ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM INSTITUTIONES

NOVA METHODO

IN QUATUOR LIBROS TRIBUTÆ

AD USUM SEMINARII NEAPOLITANI

AUCTORE

JULIO LAURENTIO SELVAGIO

PRESBYTERO NEAPOLITANO

Et in eodem Seminario Juris Utriusque Antecessore.

EDITIO ALTERA PATAVINA, OMNI DILIGENTIA ET CURA EMENDATA.

LIBRI II. PARS I.



PATAVII, MDCCLXXX.

EX TYPOGRAPHIA SEMINARII.

Apud JOANNEM MANFRE'.

SUPERIORUM PERMISSU.

INDEX

PARTIS I. LIBRI II.

De Ecclesiis, Liturgiis, ceteroque cultu Deo, sanctisque exhibendo.

CAPUT I.

De diversis Nominibus, ac prima Ecclesiarum inter Christianos origine.

§. I. *De Nominibus* Ecclesia, Dominicum, Domus columbæ, *nec non de discrimine inter* Domum Dei, Domum Divinam, *&* Domum Ecclesiæ. *pag.* 1.
§. II. *De Nominibus* Oratorium, Basilica, Templum. 3
§. III. *De Nominibus* Synodi, Concilia, Conciliabula, Conventicula. 4
§. IV. *De quibusdam specialioribus Ecclesiarum nominibus*. ibid.
§. V. *De distinctione inter Ecclesiam Matricem, & Diœcesanam*. 7
§. VI. *De Ecclesiarum Origine*. ibid.
§. VII. *Christianorum Ecclesiæ primum simplices, ac modicæ, dein variis de caussis ampliorem in formam redactæ*. 9

CAPUT II.

De Diversis Antiquarum Ecclesiarum formis, & partibus.

§. I. *De Diversis antiquarum Ecclesiarum formis*. 11
§. II. *De Diversis Ecclesiarum partibus, ac primo de* Narthece *exteriore*. 12
§. III. *De* Narthece *interiore, deque illius partibus, & usibus*. ibid.
§. IV. *De* NAO, *sive* Nave *Ecclesiæ, ejusque partibus*. 13
§. V. *De* Bemate, *ejusque Partibus, & Usibus*. 14
§. VI. *De* Altari, *seu* Mensa Communionis. 16
§. VII. *De materia, ac forma Altarium in veteri Ecclesia*. 17
§. VIII. *Antiquitus nonnisi unum Altare in singulis Ecclesiis*. ibid.
§. IX. *De* Ciborio, *aliisque altaris insignibus, & ornamentis*. 18
§. X. *De* Oblationario, *& de* Diaconico. 19

CAPUT III.

De Baptisterio, aliisque exterioribus Ecclesiarum Ædificiis.

§. I. Baptisteria *olim Ædificia admodum ampla, & ab Ecclesia distincta*. 20
§. II. *De Differentia inter Baptisterium, &* Fontem. 21
§. III. *De* Secretario, *sive* Diaconico *Magno*. 22
§. IV. *De* Mitatorio, Gazophylacio, *&* Pastophoriis. ibid.
§. V. *De* Scholis, Bibliothecis, *aliisque Ecclesiæ contiguis Ædificiis*. 23
§. VI. *De Organis, & Campanis*. 24

CAPUT IV.

De diversis Antiquarum Ecclesiarum ornamentis, ac præcipue de Anathematis, & Imaginibus.

§. I. *De* Anathematis. 25
§. II. *De Inscriptionibus Ecclesiarum Parietibus appingi solitis*. 26
§. III. *De interioris Tecti exornatione*. ibid.
§. IV. *De Imaginibus*. ibid.

CAPUT V.

De Consecratione Ecclesiarum, ac de Reverentia, quam Antiqui Fideles Ecclesiis exhibuere.

§. I. *De Solemni Ecclesiarum Consecratione*. 30
§. II. *De Ordinario Consecrationis Ecclesiarum* Ministro. 31
§. III. *Undenam Ecclesiæ antiquitus nomen sortirentur*. ibid.
§. IV. *De Die Consecrationis*. 32
§. V. *Ecclesiæ earumque supellectiles nonnisi ad sacrum, & religiosum cultum adhibitæ*. 33
§. VI. *Alia quædam præcipuæ venerationis indicia a veteribus Catholicis Ecclesiis exhibita*. 34

§. VII. *De Primo Asylorum Origine.* 35
§. VIII. *Quibusnam Ecclesiarum Asyli privilegio frui licuerit, quibusnam non licuerit.* ibid.
§. IX. *Quænam Conditiones antiquitus a confugientibus ad Ecclesiam observandæ essent.* 36

CAPUT VI.

De Liturgiis generatim, ac in specie de variis Cultus Divini Nominibus.

§. I. *De Missa Catechumenorum.* 37
§. II. *De Missa Fidelium solis communicantibus peculiari.* 38
§. III. *De Origine, & Sensu antiqui nominis* Missa. 39
§. IV. *De aliis cultus Divini Nominibus in Ecclesia Latina.* 40
§. V. *De aliis cultus Divini Nominibus in Ecclesia Græca.* 41
§. VI. *De* Litaniis, *earumque significatione, & origine.* 42
§. VII. *De* Rogationibus *a Gregorio M. institutis, de distinctione inter* Litanias Majores *&* Minores. 43
§. VIII. *Qua lingua antiquitus Sacra Liturgia peragi consueverit.* 44

CAPUT VII.

De Origine, & Usu Liturgiarum in Ecclesia per quatuor priora Secula.

§. I. *De Sacræ Liturgiæ Origine.* 47
§. II. *Cur nulla ex antiquis Liturgiis perfecta, & integra hodie superstes sit, quales fuerunt in prima sua origine.* 48
§. III. *Quænam precandi formulæ Apostolorum tempore in usu fuerint.* 49
§. IV. *Documenta de usu statarum formularum in secunda Ecclesiæ seculo.* 50
§. V. *Documenta de usu statarum formularum tertia Ecclesiæ seculo.* 52
§. VI. *Documenta de usu statarum precum in quarto Ecclesiæ seculo.* 54
§. VII. *Documenta Chrysostomi de Liturgia IV. seculi.* 57
§. VIII. *Documenta Augustini de Liturgia IV. seculi.* 60
§. IX. *De Liturgiis Constitutionum Apostolicarum.* 61

APPENDIX.

De Usu Orationis Dominicæ in Liturgia Veteris Ecclesiæ. 62

CAPUT VIII.

De Habitu Gestu aliisque in Publico divino Cultu antiquitus in Ecclesia observatis.

§. I. *De Usu Sacrarum vestium in Ecclesiæ ministerio per priora Ecclesiæ secula.* 63
§. II. *De gestu in precationibus ab veteribus Christianis adhibito.* 67
§. III. *De aliis quibusdam Ritibus in publico divino cultu antiquitus observatis.* 68

CAPUT IX.

De Temporibus Religiosorum Conventuum, aliisque ritibus Publici Divini Cultus in veteri Ecclesia observatis.

§. I. *De temporibus Religiosorum Conventuum per duo priora Ecclesiæ secula.* 70
§. II. *De Diebus Stationum, sive Conventibus Ecclesiasticis Feria IV. & VI. hebdomadis.* 71
§. III. *Antiquitus etiam die Sabbati Ecclesiastici conventus cum celebratione Sacri ministerii habebantur.* ibid.
§. IV. *De vigiliis Sabbati, diei Dominicæ, aliorumque in martyrum memoriam festorum dierum.* 72
§. V. *De Festis diebus Martyrum.* 73
§. VI. *De Religiosis Conventibus quotidie habitis tempore quadragesimalis jejunii, & quinquaginta diebus inter Pascha, & Pentecosten durantibus.* 74
§. VII. *De publicis precibus quotidie mane, & vespere factis.* 76
§. VIII. *De Ordine Quotidiani Officii Matutini.* 77
§. IX. *Num Psalmi, & Lectiones recitatæ fuerint in matutinis cujusque diei precibus.* 79
§. X. *De Primæva Nocturnorum, sive Antelucanorum Conventuum Origine.* ibid.
§. XI. *Ordo Matutini officii ex S. Basilio, & Cassiano.* 80
§. XII. *De diversa apud Veteres psallendi ratione ex eodem Cassiano.* 81
§. XIII. *De ordine Quotidiani Officii Vespertini.* 82
§. XIV. *Utrique hi conventus Matutini, & Vespertini magna populi frequentia celebrati.* 84
§. XV. *De origine horarum Canonicarum.* ibid.
§. XVI. *Quænam divini cultus partes hisce horis canonicis ab Ecclesia constitutæ fuissent.* 85
§. XVII. *De Completorio.* 87

CAPUT X.

De Psalmodia, & Hymnodia in Missa Catechumenorum antiquitus in Ecclesia servata.

§. I.

§. I. *Quonam ordine Psalmi in Missa Catechumenorum cani consueverint.* 88
§. II. *De variâ Psalmos cantandi ratione.* 89
§. III. *Psalmodia semper a flentibus, & plano simplicique cantu antiquitus peracta.* 92
§. IV. *De Minore Doxologia* Gloria Patri, & Filio *&c.* 93
§. V. *De Doxologia Majore* Gloria in excelsis Deo. 95
§. VI. *De trisagio sive hymno Cherubico* Sanctus Sanctus Sanctus *&c.* ibid.
§. VII. *De* Alleluiah, *& Psalmis* Alleluiaticis. 96
§. VIII. *De Hymno trium puerorum* Benedicite, *& de Cantico Mariæ V.* Magnificat Anima mea *&c.* 97
§. IX. *De Symbolo Niceno, & de Hymno* Te Deum. 98
§. X. *De Hymnis Ambrosii, Hilarii, Claudiani Mamerci &c.* ibid.

CAPUT XI.

De Ratione legendi Scripturas, necnon de Concionibus ad easdem explicandas, Ritibusque eo spectantibus in veteri Ecclesia.

§. I. *Lectiones tam de veteri, quam de novo Testamento lectæ sunt.* 99
§. II. *De Regulis, ac Ritibus in legendis Sacris Scripturis antiquitus in Ecclesia servatis.* 101
§. III. *Quid in Ecclesia sub titulo lectionum prætee Sacras litteras legi consueverit.* 103
§. IV. *Conciones in Euangelia, aliosve Sacræ Scripturæ Libros antiquitus votatæ* Homiliæ, Disputationes, Tractatus, Adlocutiones. 104.
§. V. *Concionariis ordinariis in casibus nonnisi Episcoporum, & Presbyterorum officium antiquitus fuit.* ibid.
§. VI. *In una eademque congregatione duæ, ac etiam plures Sermones nonnunquam habiti.* 107.
§. VII. *De diversis tioncionandi methodis in veteri Ecclesia.* 109
§. VIII. *De Ritibus, & Caremoniis in ipso concionandi actu servatis.* 110
§. IX. *Quid potissimum Veteres præstiterint, quidve vitaverint, ut Conciones Auditoribus prodessent.* 113
§. X. *Quid Auditores antiquitus præstiterint, cum conciones audirent.* 115

CAPUT XII.

De Præcibus pro Catechumenis, Energumenis & Pœnitentibus.

§. I. *Preces antiquitus nonnisi post sermonem, Infidelibus, & etiam audientibus exire jussis, fieri solitæ.* 117
§. II. *De Precibus pro Catechumenis.* 118
§. III. *De Precibus pro Energumenis.* 119
§. IV. *De Precibus pro Competentibus.* ibid.
§. V. *De Precibus pro Pænitentibus.* 120
§. VI. *De Manus Impositione super Catechumenos, & Pænitentes inter Orationem fieri solita.* 121
§. VII. *De Sacramento* Salis *item Catechumenis in Ecclesia dari solito, ac de spetialibus eorundem Catechesibus.* 122

APPENDIX.

De Liturgia Funebri, seu de Ritibus veteris Ecclesiæ in sepeliendis defunctorum fidelium Corporibus.

§. I. *Per tria priora secula Defunctorum fidelium corpora haud quidem in Oppidis, vel in Ecclesiis, at vero in Cryptis, & Catacumbis extra civitatem sepulta sunt.* 125
§. II. *Neque per subsequuta aliquot secula fidelium corpora intra civitates & Ecclesias sepulta sunt.* 127
§. III. *Secutis temporibus sensim veluti quibusdam gradibus humatio in Ecclesiis, & intra civitates inducta est.* 128
§. IV. *Observationes quædam de loco, ratione, & tempore sepeliendi.* 131
§. V. *De Cura Veterum Christianorum sepeliendi mortuos.* 134
§. VI. *De ipsorum Funerum Ritu, & caremoniis.* 135
§. VII. *De Exequiis, earumque Comitatu.* 136
§. VIII. *De ceteris Ritibus, ac precibus super Mortuos in Ecclesiis fieri solitis.* 139
§. IX. *De quibusdam doloris animi significationibus partim admissis, partim reprobatis in veteri Ecclesia.* 141
§. X. *De ceteris superstitiosis ritibus a Patribus olim reprehensis in Funeribus Christianis.* 142.
§. XI. *De Legibus adversus sepulcrorum spoliatores, ac direptores ab Imperatoribus latis.* 143

INDEX

PARTIS II. LIBRI II.

CAPUT I.

De Missa Fidelium, seu de Sacrosancto Missæ Sacrificio. *Pag.* 145

§. I. *De precibus διὰ σιωπῆς sive* sub silentio. 146.
§. II. *De precibus διὰ προσφωνήσεως* Per proclamationem *fieri solitis*. 147
§. III. *De Invocatione Episcopi, sive* Collectis *communes populi preces insequentibus*. 150
§. IV. *De Symbolo Nicæno*. 151.
§. V. *De Osculo pacis*. 152
§. VI. *De Oblationibus ad Altare, earumque Natura*. 154
§. VII. *Qui admissi fuerint ad Oblationes, qui secus*. 157
§. VIII. *De recitatione ad altare nominum eorum, qui dona obtulerant, tum de precibus ad Oblationes fieri solitis*. 160
§. IX. *De aliis quibusdam ritibus ad oblationes spectantibus*. 163.

CAPUT II.

De Ritibus, ac Precibus a Præfatione ad Communionem usque olim servatis.

§. I. *De Præfatione, Gratiarum actione, ac Trisagio Sanctus Sanctus &c.* 166.
§. II. *De Consecratione*. 170.
§. III. *De Oratione Episcopi post* Ἐπίκλησιν Invocationem, *ac de Diaconi* Προσφωνήσει *seu* Precum Indictione. 172
§. IV. *De Precibus in Episcopi* Oratione, *& Diaconi* Proclamatione *contentis, tum quo sensu pro SS. Martyribus oblatio offerri in illis dicatur*. 173.
§. V. *De reliquis precibus pro mortuis, proque singulis viventibus Ecclesiæ membris*. 176
§. VI. *De Diptychis Mortuorum*. 179.
§. VII. *De Diptychis Vivorum*. 181
§. VIII. *De* Symbolo, Oratione Dominica, *&* Benedictione *Communioni præmissa*. 183

CAPUT III.

De ceteris Ritibus ab Communione ad extremum usque Missæ finem servatis.

§. I. *De Formula* Sancta sanctis, *de Hymno* Gloria in Excelsis, *ac de Psalmo ad Communionem invitante*. 185
§. II. *Distributionem Eucharistiæ Fractio præcedebat, uti etiam Elevatio, & Adoratio*. 186.
§. III. *Quo ordine, quove ritu Eucharistiam distribuerint veteres*. 190.
§. IV. *Olim adstantes omnes communicabant, ac subinde etiam usque ad XII. Ecclesiæ seculum ad utramque speciem admissi*. 195.
§. V. *Quid factum de Eucharistiæ reliquiis, quæ supererant*. 201
§. VI. *De veterum* Postcommunione: *ea duas partes complectebatur* Gratiarum actionem, *& Populi* Benedictionem. 202.

APPENDIX I.

De variis Missarum generibus.

§. I. *De Missa* Publica. 204.
§. II. *De Missa* Privata, *&* Solitaria. 206
§. III. *De Missis* de Sanctis, pro Defunctis, Votivis: *tum quis earum olim Ritus fuerit*. 208.
§. IV. *De Missis* Præsanctificata, Nautica, *seu* Sicca, Bifaciata, Trifaciata *&c.* 212.

APPENDIX II.

De Canone Latinorum.

§. I. *De Canonis Antiquitate, & nominibus; tum de veterum in eo recitando exscribendoque diligentia*. 213
§. II. *De Orationibus* Te igitur, Memento, Hanc igitur Oblationem, *& Consecratione*. 216.
§. III. *De ceteris Canonis Orationibus*. 219
§. IV. *De reliquis Ritibus, ac Precibus post Canonem ad finem usque Missæ*. 222.

CA-

CAPUT IV.

De Festis Diebus Christianorum in genere.

§. I. De Origine Festorum dierum inter Christianos. 226
§. II. De Profanis, sive Civilibus Feriis ab Ecclesia partim admissis, partim rejectis, partim in Christianum cultum conversis. 228.
§. III. De Festis diebus intra sex priora Ecclesiae secula celebratis. 230
§. IV. De Origine, & Observatione diei Dominicae inter Christianos. 234
§. V. De Operibus die Dominico prohibitis. 235.
§. VI. Quidnam veteres fideles potissimum die Dominica praestiterint. 239
§. VII. De Observatione diei Sabbati. 241

CAPUT V.

De Praecipuis Christi Domini per annum festis Solemnitatibus.

§. I. De Solemnitate Natalis Domini. 243
§. II. De Octava Nativitatis, & solemnitate Circumcisionis Domini Salvatoris. 245
§. III. De Festo Epiphaniae. 246
§. IV. De Paschate. 248
§. V. De Pentecoste latiori sensu accepta, sive de Quinquaginta inter Pascha, & Pentecosten diebus. 252
§. VI. De Festis Ascensionis Domini, & Pentecostes. 253
§. VII. De Festo Transfigurationis Domini. ibid.

CAPUT VI.

De Festis Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Sanctorumque veteris Testamenti.

§. I. De Festis Apostolorum. 254
§. II. De Festis Martyrum. 256
§. III. Quo ritu, quave pietate Martyrum festa olim celebrata. 258
§. IV. De Festis Sanctorum Veteris Testamenti. 260

CAPUT VII.

De Jejunio Quadragesimae.

§. I. De Jejuniis generatim, ac praecipue de eorum Antiquitate. 261
§. II. De jejunii Quadragesimalis origine: num ab ipso Christo institutum fuerit. 262
§. III. Num jejunium Ante-Paschale ad Apostolicam institutionem sit referendum. ibid.
§. IV. Idem hoc jejunium Ante-Paschale jam inde ab Apostolica aetate ad Quadraginta dies productum fuit. 264
§. V. Num Apostoli ipsi Quadragesimale jejunium praeceperint. 266
§. VI. De Ratione servandi jejunium Quadragesimale in veteri Ecclesia. 267
§. VII. Quasnam ob caussas institutum fuerit Quadragesimale jejunium. 269
§. VIII. De Varia diversarum Ecclesiarum in Jejunii Quadragesimalis observatione Disciplina. 270
§. IX. De Praecipuis quibusdam Quadragesimae praerogativis. 272
§. X. De Magna Hebdomade, quae proxime Pascha praecedebat. 273
§. XI. Quinam Christianorum olim crediti Quadragesimalis jejunii necessitate obstricti. 275
§. XII. Quinam Quadragesimae dies ab jejunio immunes olim fuerint; cum quo primum tempore primi quatuor dies Quadragesimae accesserint. 277

CAPUT VIII.

De Jejuniis quatuor temporum, Menstruis, & Rogationum: tum de Jejuniis feriae IV. & VI.

§. I. De Jejuniis quatuor temporum. 279
§. II. De Jejuniis menstruis, & Rogationum. 281.
§. III. De Jejuniis IV. & VI. Feriae. 282

CAPUT IX.

De Dei Adoratione.

§. I. De Adoratione Οὐσίᾳ sive Essentiae. 284
§. II. Latreutico cultu solum Deum jam inde ab suis primordiis adoravit Ecclesia. 285
§. III. Eodem cultu Verbum, seu Filius secunda Trinitatis Persona adoratus fuit. 287
§. IV. Idem Latriae cultus exhibitus Spiritui Sancto. 289
§. V. Eodem demum cultu adoratus Christus secundum utriusque Naturae Divinae, atque Humanae proprietatem. 291

CAPUT X.

De Sanctorum cultu, eorumque Imaginum, & Reliquiarum Veneratione.

§. I. *De Sanctorum cultu antiquissimo apud Hebræos, & Christianos.* 296

§. II. *De usu, cultuque Sanctarum Imaginum in veteri Ecclesia.* 302

§. III. *Expenduntur aliquot monumenta veterum contra sanctarum Imaginum usum: tum quo adorationis genere eæ colendæ sint, explicatur.* 306

§. IV. *De Cruce, in qua Christus passus est, tum de quarumvis Crucium adoratione.* 309

§. V. *De Sanctorum Reliquiarum cultu in veteri Ecclesia.* 312

ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM

INSTITUTIONES.

LIBER II.

DE ECCLESIIS, LITURGIIS, CETEROQUE CULTU DEO, SANCTISQUE EXHIBENDO.

CAPUT I.

De diversis nominibus, ac prima Ecclesiarum inter Christianos origine.

§. I. *De Nominibus* Ecclesia, Dominicum, Domus columbæ, *necnon de discrimine inter* Domum Dei, Domum Divinam, & Domum Ecclesiæ.

I. Quum superiori Libro de Personis ad Ecclesiam quoquo modo spectantibus verba fecerimus, necnon ex æquo Clericos, Fideles laicos, & Cathecumenos, nonnisi eo respectu, quo Christianam Ecclesiam constituunt, inspexisse oportuerit; hinc ut via, & ordine nostræ procedant Sacrarum Antiquitatum Institutiones, de Ecclesiis sermo instituendus videtur.

II. Principio autem illud omnino juvat animadvertere, *Ecclesiæ* nomen triplici potissimum sensu antiquitus usurpatum occurrere. 1. ut concionem populi ad res sacras, vel civiles tractandas congregati significet; atque hoc modo nonnunquam in Sacro Codice adhibitum reperitur. Act. XIX. 40. (1) Matth. XVIII. 17. Huc facit Isidori Pelusiotæ auctoritas, qui inter Ecclesiam, & Ecclesiasterion distinguens: *Aliud*, inquit, est

(1) *Hoc Commate, & proxime superiori* 39. Si quid autem, *inquit*, alterius rei quæritis, in legitima Ecclesia poterit absolvi, *seu* in Loco ad Concionem dato, *ut Syrus habet*.

est Ἐκκλησία, *aliud* Ἐκκλησιαστήριον : *nam ea ex immaculatis animis constat* ; *hoc autem ex lapidibus* , *& lignis exædificatur*. Et hoc sensu recte ἀπὸ τοῦ ἐκκαλεῖν deducitur, quod est concilium hominum solemniter convocare. De Ecclesia hoc sensu accepta, ubi de Liturgiis agemus, opportunius sese offeret edisserendi locus.

2. Ecclesiæ dictæ sunt certi Diœceseon Provinciarum ac Parochiarum Fines, in quos universa Christiana Ecclesia divisa fuit. De altera isthac Ecclesiæ acceptione Capite V. præcipua, ac quæ magis expedire videbuntur, delibabimus.

3. Tandem Ecclesiæ adpellatio sæpe adhibita ad significanda materiata ædificia, sive loca conventus ad divinum cultum erecta : in qua acceptione, & Judæorum Synagogis, & Gentilium Templis opponitur : id ex quodam Ambrosii loco perspicuum est (2), ubi Theodosium Imperatorem admonet æquum non esse, ut propter Synagogæ alicujus exustionem, in Populum Christianum tam severe animadvertatur, quum Judæis, & Gentilibus qui Ecclesias vastarint, parcitum sit.

III. Quæ postremo hoc sensu Ecclesia dicta est aliis quoque nominibus adpellari consuevit : ac 1. dicta est *Dominicum*, sive Domus Dei, quod Græco Κυριακὸν respondet. Ita Cyprianus de Opere & eleemos. (3) ; qui & ibidem, observante Fello, nomen Dominicum ad epulum quoque, & diem Dominicum adplicat. Idem nomen in aliis quoque Scriptoribus occurrit ; adhæc & in Conciliis (4) Ancyrano, Neocæsareensi, & Laodiceno. Tertullianus adpellatione *Domus columbæ* pro Ecclesia semel utitur. Scribens enim adversus Valentinianos hæreticos adyta in doctrina sua adsectantes ; quorum templum januis, ac velamentis munitum dicit, ne ad ejus interiora, nisi post longam institutionem quis intromitti posset, statim subnectit : *Sed tamen columbæ Domus simplex in editis semper, & apertis, & ad lucem* (5). Hic sane Domus Christi significatur, quum ibidem Tert. ipse scribat : *Christum columba demonstrare solita est*.

IV.

(2) *Ambros. Ep. XIX. ad Theod.* Synagoga incensa est perfidiæ . . . Ecclesia non vindicata est, vindicabitur Synagoga?

(3) Locuples, & Dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non respicis? *Fellus in hunc locum* : Observandum venit Dominici voce tria significari apud veteres. I. Diem ipsum : ita Apoc. 1. 9. & Ignat. ad Trallianos. II. Ecclesiam. Ita Concilium Neocæs. Can. V. jubet Catechumenum ingredientem εἰς τὸ κυριακὸν in loco Catechumenorum subsistere. Et Hieronymus in Chron. sic voce Dominici utitur . . . III. Ponitur pro ipsis mysteriis loco ac tempore prædictia celebrari solitis. Ita κυριακὸν τελεῖν est sacris Christianis operari. *Hæc Fellus, licet Ignatii quem citat locum, in Trallensium Epistola nullus legerim. Melius dixisset ad* Magnesianos, *ubi reipsa n. IX. id reperi*.

(4) *Conc. Ancyr. Can. XV.* De his, quæ pertinent ad Dominicum, quæcumque dum non esset Episcopus, Presbyteri vendiderunt, revocare Dominicum. *Laodicenum quoque* C. *XXVIII.* Quod non oportet in Dominicis, vel in Ecclesiis eas, quæ dicuntur, Agapes facere.

Hujus autem Nomenclaturæ quæ fuerit ratio, explicat Eusebius de Laud. Constant. Cap. XVII. Domini vocabulo honorata sunt : non ab hominibus, sed ab ipso omnium Domino cognomen sortita. Ab eo quippe Dominica adpellantur. *Quin quibusdam Ecclesiis id nominis non adpellativum, sed proprium fuit. Sic teste Hieronym. in Chron. Antiochensis Ecclesiæ ab Constantino Patre cœpta, & a filio Constantio dedicato* Aureum Dominicum *dicta est*.

(5) *Tertull. cont. Valent. Cap. III. Hunc tamen locum si quis adeat, vereor, ut de legitimo verborum sensu subdubitet. Valentinianos enim arguit ibi, eorumque Theologiam* Eleusiniana Valentiniana Sancta silentio magno, sola taciturnitate Cælestia *adpellat*. *Tum notari nos ab iis dicit ceu* Simplices. *Quare eos perstricturus* Columbæ *simplicitatem ab Christo suis præcipi ais, contraque serpentis prudentiam, si sola sic, reprehendi, quippe* Columba Christum demonstrare solita est, serpens tentare. Abscondat itaque se serpens, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat . . . . tortuose procedat, nec semel totus Lucifuga bestia. Nostræ Columbæ domus simplex etiam in editis semper & ad lucem, amat figuram Sp. Sancti, &c. *His latebrosis Serpentis habitaculis Columbæ habitacula Tertullianum opponere quis non videt? Columbæ, inquam, in apricis semper, positisque ad lucem locis nidificantis. Domus ergo Columbæ nidus est*,

IV. Jam vero Nomina *Domus divina*, & *Domus Ecclesiæ* non eadem, qua Domus Dei acceptione plerumque sumta sunt. *Domus* enim *divina* in jure civili quam sæpissime Imperatoris Palatium *dictum est*. Quum enim Imperatores *Divi* dicerentur, hinc quidquid ad ipsos spectabat *divinum* dici consuevit; unde *Domus divina*, *Constitutiones divinæ*, *divale Edictum*, *litteræ sacræ*, *oraculum cæleste*, & id genus alia, quæ in jure civili passim occurrunt. Tum Domus Ecclesiæ nonnunquam pro Episcopi Domo usurpatur, quo sensu in Concilii Toletani II. Can. I. de puerulis ab infantia clericatus officio a Parentibus mancipatis decernitur, ut *in Domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia a Præposito sibi debeant erudiri* (6).

§. II. *De Nominibus* Oratorium, Basilica, Templum.

V. Uti Hierosolymitanum Templum, ita quoque Templa Christianorum *Oratoria*, sive *Domus precationis* dici consueverunt. Ita Eusebius, Socrates, Sozomenus &c. Verum in quibusdam Canonibus *Oratorii* nomen strictiori significatu privatis Sacellis tributum est, quæ pro privatarum familiarum commoditate constituta a Parochialibus Ecclesiis dependebant (7). Hæc loca erant, vel faciendis tantum precibus destinata (8); vel si ibi Missas celebrare aliquando permittebatur, majores, & solemniores dies festi excipiebantur, in quibus ad Ecclesiam Parochialem ad percipiendam Eucharistiam omnino conveniendum erat. Ita Syn. Agathensis Canone XXI. (9).

VI. Adhæc Ecclesiæ dictæ quoque sunt *Basilicæ*. Ita Ambrosius, Augustinus, Hieronymus (10): cujus nominis rationem paucis dabo. Antiquitus Basilicæ apud Romanos adpellabantur Ædes publicæ porticibus, & ambulationibus magnifice exstructæ, ubi Principes, sive Magistratus ad audiendas, & decidendas caussas sedebant. Harum multas Constantinus Imperator Christianam religionem amplexus Episcopis ad sacros inibi conventus agendos concessit; atque hinc fortassis nomen Basilicæ generalitet Ecclesiis datum est (11): præsertim cum

 ante

est, non Ecclesia. Nam quam tandem Sp. Sancti figuram gerent Ecclesiæ materiales? Recte hic Pamelius priorem interpretationem metaphoris accenset. Quare hoc Ecclesiarum nomen per me expungas licet. Illud tamen pro certo hic darem, antiquitus Eucharistiæ adservandæ Columbas Argenteas, *aut* Aureas *destinari solitas, quod advertit quoque Mazoch. noster Cap. III. De Cathedr. Neapol. semper Unica num. 25. Sed de his alias.*

(6) *Quandoque* Domus Sacerdotalis, *ut ab Ecclesia distingueretur, dicta est* Ε'πισκόπιον *etiam, &* Ε'πισκοπεῖον *Episcopium. Quamvis id nominis promiscue etiam adhibitum sit cum ad Episcopi domum, tum ad Ecclesias significandas. Vide Cangium in utroque Glossario.*

(7) *Immo ab Monachis ad privatas Magnatum præsertim domos deductus* oratoriorum usus. *Vide Ducangium in Gloss., ubi fuse probat Oratoria Monachorum fuisse propria, in quibus tamen nec collectæ fierent, nec aliis aditus pateret; orationi tantum, ac Psalmodiæ destinata. Quod si communicare voluissent, sacrisque interesse, turmatim Parochias, seu Titulos adibant. Athan. Apol. De Fuga sua, Palladius in Vita S. Apollinaris Lib. II. Cap. 17.*

(8) *Aug. Ep. 109.* In Oratorio nemo aliquid agat, nisi id, ad quod est factum: unde & nomen accepit. *Oratoriis ferme similia erant* Cubicula *vel in privatis domibus, vel juxta navim Ecclesiarum construi solita. Hæc vero sicuti Oratoria orationibus tantum destinabantur. Paulinus Ep. XII. ad Sever. in Ecclesia S. Felicis quaterna Cubicula ad latera Navis fuisse tradit* Secretos Orantium, vel in lege Domini meditantium locos præbentia. *Sed tamen sequutis temporibus & imagines Sanctorum inibi depingi, & Reliquias condi, & altaria extrui cœpta. Quod & de perveteri nostro S. Januarii Cubiculo tradit Joan. Diac. in S. Ath.*

(9) Siquis . . . . . Oratorium in agro habere voluerit, ut ibi Missas teneat, justa ordinatione permittimus. Pascha vero, Natalem Domini, Epiphaniam Domini, Adscensionem Domini, Pentecosten, & Natalem S. Joannis Baptistæ, nonnisi in civitatibus, aut in Parochiis teneat.

(10) *Ambros. Ep. XXXIII. Aug. de divers. Serm.* Sermo XII. habitus in Basilica Carthaginis. *Hieron. Ep. VII. ad Latam.*

(11) *Atqui omnino ita se res habet. Neque enim eorum probaverim sententiam, qui eas Ecclesias Basilicarum nomen indeptas putant, quæ magnificentia, magnitudineque ceteras antecellerent.*

ante' Constantini tempora vix in ullo Christiano Auctore illud inveniatur (12).

VII. Eadem prorsus ratione quum Idololatria prostrata Gentilium Templa superstitione destructa, & statuis undique dejectis in Christianorum Ecclesias converterentur, sequentium Seculorum Scriptores *Templorum* nomine eas indicare non dubitarunt, ita Eusebius, Ambrosius, Lactantius (13). Verum a nomine Fani abstinebant, nec eo, nisi contemtim utebantur, ad hæreticorum conventicula significanda. Hinc Ambrosius quoddam Valentinianorum conventiculum *Fanum* dicit, scribens: *Quod est enim, nisi Fanum, in quo est conventus Gentilium? licet Gentiles duodecim Deos adpellent, isti triginta Eonas colant, quos Deos adpellant:* Ep. XXIX. ad Theodosium.

§. III. *De Nominibus* Synodi, Concilia, Conciliabula, Conventicula.

VIII. Quamvis nomina isthæc ut plurimum Synodos Ecclesiasticas, & nonnunquam Ecclesiæ conventus ad divinum cultum denotarent: attamen nomine a conventu ad locum conventus translato ad ipsa Ecclesiarum materiata ædificia significanda adhibita sunt; hinc Constantinus Ecclesiam vocat *Sanctissimum Catholicæ, & venerabile Concilium*. Cod. Theod. lib. XVI. Tit. II. L. 4. Hieronymus Nepotianum laudat, quod *Conciliabula martyrum diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrarit*. Hieron. Ep. III. Epitaph. Nepotiani, & alibi: *In tantam rabiem persecutorum feritas excitata est, ut etiam conciliabula nostra destruerent*. Hieron. Comment. in Zachar. Cap. VIII. Tum Lactantius, & Arnobius (14) nomine Conventiculi utuntur, dum ille de quodam Catholicorum persecutore loquens scribit: *Sicut unus in Phrygia, qui universum populum cum ipso pariter Conventiculo concremavit*; iste vero eadem queritur: *Nostra quidem*, inquit, *scripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter Conventicula dirui? &c.* Igitur nomen Conventiculi Catholicorum quoque Ecclesiis tributum est; hinc cum de hæreticorum conventibus veteribus loquendum fuit, plerunque cum epitheto hæretica conventicula eos vocabant: uti ex diversis Theodosii, Arcadii, & Honorii legibus perspicere licet (15).

§. IV. *De quibusdam specialioribus Ecclesiarum nominibus*.

IX. Ac 1. Ecclesiæ super alicujus martyris sepulcrum extructæ, vel de ejus nomine nuncupatæ *Martyria*, vel *Memoriæ* dici consueverunt. Hinc de Constantino observat Eusebius, novam Civitatem Constantinopolim amplissimis con-

ent. *Certe Ambrosius Epistola citata* Extramuranæ Basilicæ *meminit*, (*quarum structura plerumque non immanis & elegans*) *& Hieron. Ep. III. ad Heliod.* Basilicas Ecclesiæ *adpellat*, *quæ* Oratoria *olim &* Cubicula, *postremis temporibus* Capellæ *dictæ sunt ipsi Ecclesiæ adhærentes*.

(12) *Profanas Basilicas, Romæ instar, frequentissimas in nostro Neapolitano Regno fuisse ab Suetonio teneo. Refert enim delatum Nolæ Octavium Cæsarem funerea pompa, inde Bovillas usque delatum noctu, interdiu vero in Basilica cujusque Oppidi repositum. N. 100.* Corpus Decuriones municipiorum, & Coloniarum a Nola Bovillas usque deportarunt noctibus, propter anni tempus, cum interdiu in Basilica cujusque oppidi . . . . . reponeretur. *Quod si Basilicarum plerasque Ecclesiasticæ Συνάξει dedicandas Episcopis concessit Constantinus M. earum numerum auctiorem apud majores nostros fuisse constitit*.

(13) *Euseb. Lib. X. Cap. 2. Ambros. Ep. XXXIII. ad Marcellinum. Lactant. Lib. V. Cap. 2.* Cum ego in Bithynia literas Oratores accitus docerem, contigissetque ut eodem tempore Templum Dei everteretur. *Innuit persequutionem ab Diocletiano motam*.

(14) *Lact. Lib. V. Cap. XI. Arnob. Lib. IV. contra Gentes*.

(15) *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. V. de Hær. leg.* 10. A conventiculis suis hæreticæ superstitionis turba compulsetur. *Eadem visere est in L. 4. Lib. XVI. Tit. IV.*

construĉtis Martyriis exornasse (16). Post Eusebium apud Socratem (17), aliosque sequentium Sæculorum Scriptores quamsæpissime idem nomen ad ejusmodi Ecclesias significandas usurpatum occurrit. Hinc *Martyrium Thomæ* Apostoli Edessæ; *Martyrium Petri*, *& Pauli* Romæ; *Martyrium Euphemiæ* Chalcedone (18). Ob eandem rationem Ecclesia a Constantino in Golgotha monte ipsi Martyrum Principi Jesu Christo dicata ab Eusebio, aliisque *Martyrium Salvatoris* communiter vocari consuevit (19). Quod Græci Martyrium, Latini Memoriam dixere; hinc illud Augustini: *Nos martyribus nostris non templa sicut Diis, sed Memorias . . . fabricamus* (20).

2. Ecclesiæ in alicujus Apostoli, vel Prophetæ memoriam ædificatæ *Apostolea*, vel *Prophetea* dictæ sunt. Hinc apud Sozomenum (21) Ἀποστολεῖον *Apostoleum Petri in Urbe Roma*; & iterum *Apostoleum Petri*, *& Pauli ad Quercum in Suburbio Chalcedonis* (22); tum in Concilio Const. (23) sub Menna *Propheteum Isaiæ* occurrit, & apud Theodorum Lectorem *Propheteum Samuelis* (24).

3. Christianos fervente persecutionis æstu in cryptis, vel locis sepulturæ addictis, & speciatim in Martyrum monumentis congregari consuevisse plenæ sunt Ecclesiasticæ historiæ chartæ. Jam vero finitis persecutionibus Ecclesiæ in ipsis cryptis super martyrum sepulcra, ac etiam in locis, ubi erant cœmeteria, exstrui cœperunt, quæ & ipsæ Cœmeteria, vel Sepulcra Martyrum dictæ sunt. Hinc Synodi Laodicenæ Can. CX. *Non est concedendum, ut in Cœmeteria, vel ea, quæ dicuntur Martyria* &c. Eodem cœmeterii vocabulo pro Ecclesia utuntur Athanasius, Socrates (25): tum Chrysostomus sæpe usurpat vocabula περὶ μαρτύρων *Sepulcra Martyrum* pro Ecclesiis (26): & in Gestis purgationis Cæciliani Episcopi Carthaginiensis in eandem significationem occurrit nomen *Areæ Martyrum*. *Cives in area martyrum fuerunt inclusi... tollat aliquis vestrum, in Area, ubi orationem facitis* &c. ubi de Ecclesia sermonem haberi perspicuum est (27).

4. Ec-

(16) *Euseb. de Vita Constant. Lib. III. Cap.* 48. Μαρτύρια μέγιστα *ab eo Constantinopoli exstructa memorat.*

(17) *Socr. Lib. IV. Cap.* 18. In ea Urbe (*Edessæ*) illustre, ac splendidum est Thomæ Apostoli Martyrium.

(18) *Harum Ecclesiarum, quæ* Martyria *dicebantur, idem meminit Socr. Prioris quidem Lib. IV. Cap.* 23. *Posterioris Lib. VI. Cap.* 26. *Ubi observet hoc, in Euphemiæ Martyrio, sive Ecclesia Chalcedonense Œcumenicum Concilium habitum anno* 451., *ac sæpe* Μαρτυρίου Εὐφημίας *mentionem in ejus Concilii Actis injisi.*

(19) *Euseb. Lib. IV. De Vita Constant. Cap.* 49.

(20) *August. de Civit. Dei Lib. XXII. Cap.* 10. *Vide etiam Optatum contra Parmen. Lib. II. aliosque. Hic tamen mecum adverte, quæ* ἁπλῶς *ab Græcis* Μαρτύρια, *expressius ab Latinis* Martyrum Memoriæ *vositata*, i. e. Monimenta, *aut etiam Sepulcra. Antiquis enim* Memoriæ *idem, ac Monumenta, seu Sepulcra, ut in Inscriptione apud Gruterum p.* 837. SERVILIUS SE VIVO COMPARAVIT MEMORIAM SIBI ET SUIS. *Est quoque eximius locus apud Ammianum Marcellinum* Lib. XXII. Cap. 11., *ubi Christianorum Ecclesias* Sepulcra adpellat. *Memoriæ ergo recte dictæ sunt Ecclesiæ, quod sin minus busta ipsa,* λείψανα *certe Martyrum ibi reconderentur.*

(21) *Sozom. Lib. IX. Cap.* 10.

(22) *Sozom. Lib. VIII. Cap.* 16.

(23) *Act. III. Tom. V. Conc.*

(24) *Theod. Lect. Lib. II.* Ejusdem Arcadii temporibus, Attico Patriarcha, adlatæ sunt Constantinopolim Reliquiæ Sancti Samuelis, & deposita sunt in ipsius Propheteo ἐν τῷ προφητείῳ αὐτοῦ. *Ex quo colligas licet, jam tum ex Arcadii temporibus festos dies etiam antiqui Fœderis Prophetis statui solitos nedum Christianis martyribus. Eorum quippe Sanctorum memoria stato die ea in Ecclesia recolebatur, ubi sancta Lipsana eorundem recondebantur. Sed de hoc fusius ad finem primæ partis hujus Tomi, ubi id e Græcis Menologiis testatum dabo.*

(25) *Athanas. Apol. II. apud Socr. Lib. II. Cap.* 28.

(26) *Chrysost. Hom. I. in Psalm. XLVIII.*

(27) *Hæc Cæciliani Gesta vide ad Calcem Optati.*

ante Constantini tempora vix in ullo Christiano Auctore illud inveniatur (12).

VII. Eadem prorsus ratione quum Idololatria prostrata Gentilium Templa superstitione destructa, & statuis undique dejectis in Christianorum Ecclesias converterentur, sequentium Seculorum Scriptores *Templorum* nomine eas indicare non dubitarunt, ita Eusebius, Ambrosius, Lactantius (13). Verum a nomine Fani abstinebant, nec eo, nisi contemtim utebantur, ad hæreticorum conventicula significanda. Hinc Ambrosius quoddam Valentinianorum conventiculum *Fanum* dicit, scribens: *Quod est enim, nisi Fanum, in quo est conventus Gentilium? licet Gentiles duodecim Deos adpellent, isti triginta Eonas colant, quos Deos adpellant:* Ep. XXIX. ad Theodosium.

§. III. *De Nominibus* Synodi, Concilia, Conciliabula, Conventicula.

VIII. Quamvis nomina isthæc ut plurimum Synodos Ecclesiasticas, & nonnunquam Ecclesiæ conventus ad divinum cultum denotarent: attamen nomine a conventu ad locum conventus translato ad ipsa Ecclesiarum materiata ædificia significanda adhibita sunt; hinc Constantinus Ecclesiam vocat *Sanctissimum Catholicæ, & venerabile Concilium*. Cod. Theod. lib. XVI. Tit. II. L. 4. Hieronymus Nepotianum laudat, quod *Conciliabula martyrum diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrarit*. Hieron. Ep. III. Epitaph. Nepotiani, & alibi: *In tantam rabiem persecutorum feritas excitata est, ut etiam conciliabula nostra destruerent*. Hieron. Comment. in Zachar. Cap. VIII. Tum Lactantius, & Arnobius (14) nomine Conventiculi utuntur, dum ille de quodam Catholicorum persecutore loquens scribit: *Sicut unus in Phrygia, qui universum populum cum ipso pariter Conventiculo concremavit*; iste vero eadem queritur: *Nostra quidem*, inquit, *scripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter Conventicula dirui? &c.* Igitur nomen Conventiculi Catholicorum quoque Ecclesiis tributum est; hinc cum de hæreticorum conventibus veteribus loquendum fuit, plerunque cum epitheto hæretica conventicula eos vocabant: uti ex diversis Theodosii, Arcadii, & Honorii legibus perspicere licet (15).

§. IV. *De quibusdam specialioribus Ecclesiarum nominibus.*

IX. Ac 1. Ecclesiæ super alicujus martyris sepulcrum extructæ, vel de ejus nomine nuncupatæ *Martyria*, vel *Memoriæ* dici consueverunt. Hinc de Constantino observat Eusebius, novam Civitatem Constantinopolim amplissimis con-

vent. *Certe Ambrosius Epistola citata* Extramuranæ Basilicæ *meminit*, (*quarum structura plerumque non immanis & elegans*) *& Hieron. Ep. III. ad Heliod.* Basilicas Ecclesiæ *adpellat*, *quæ* Oratoria *olim &* Cubicula, *postremis temporibus* Capellæ *dictæ sunt ipsi Ecclesiæ adhærentes*.

(12) *Profanas Basilicas, Romæ instar, frequentissimas in nostro Neapolitano Regno fuisse ab Suetonio teneo. Refert enim delatum Nolæ Octavium Cæsarem funerea pompa, inde Bovillas usque delatum noctu, interdiu vero in Basilica cujusque Oppidi repositum. N. 100.* Corpus Decuriones municipiorum, & Coloniarum a Nola Bovillas usque deportarunt noctibus, propter anni tempus, cum interdiu in Basilica cujusque oppidi . . . . . reponeretur. *Quod si Basilicarum plerasque Ecclesiasticæ* Συνάξει *dedicandas Episcopis concessit Constantinus M. earum numerum auctiorem apud majores nostros fuisse conjicio.*

(13) *Euseb. Lib. X. Cap. 2. Ambros. Ep. XXXIII. ad Marcellinum. Lactant. Lib. V. Cap.* 2. Cum ego in Bithynia literas Oratores accitus docerem, contigissetque ut eodem tempore Templum Dei everteretur. *Innuis persequutionem ab Diocletiano motam.*

(14) *Lact. Lib. V. Cap. XI. Arnob. Lib. IV. contra Gentes.*

(15) *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. V. de Hær. leg.* 10. A conventiculis suis hæreticæ superstitionis turba compulsetur. *Eadem visere est in L. 4. Lib. XVI. Tit. IV.*

conſtructis Martyriis exornaſſe (16). Poſt Euſebium apud Socratem (17), aliosque ſequentium Sæculorum Scriptores quamſæpiſſime idem nomen ad ejuſmodi Eccleſias ſignificandas uſurpatum occurrit. Hinc *Martyrium Thomæ* Apoſtoli Edeſſæ; *Martyrium Petri*, & *Pauli* Romæ; *Martyrium Euphemiæ* Chalcedone (18). Ob eandem rationem Eccleſia a Conſtantino in Golgotha monte ipſi Martyrum Principi Jeſu Chriſto dicata ab Euſebio, aliiſque *Martyrium Salvatoris* communiter vocari conſuevit (19). Quod Græci Martyrium, Latini Memoriam dixere; hinc illud Auguſtini: *Nos martyribus noſtris non templa ſicut Diis, ſed Memorias . . . fabricamus* (20).

2. Eccleſiæ in alicujus Apoſtoli, vel Prophetæ memoriam ædificatæ *Apoſtolea*, vel *Prophetea* dictæ ſunt. Hinc apud Sozomenum (21) Ἀποστολεῖον *Apoſtoleum Petri in Urbe Roma*; & iterum *Apoſtoleum Petri*, & *Pauli ad Quercum in Suburbio Chalcedonis* (22); tum in Concilio Conſt. (23) ſub Menna *Propheteum Iſaiæ* occurrit, & apud Theodorum Lectorem *Propheteum Samuelis* (24).

3. Chriſtianos fervente perſecutionis æſtu in cryptis, vel locis ſepulturæ addictis, & ſpeciatim in Martyrum monumentis congregari conſueviſſe plenæ ſunt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ chartæ. Jam vero finitis perſecutionibus Eccleſiæ in ipſis cryptis ſuper martyrum ſepulcra, ac etiam in locis, ubi erant cœmeteria, extrui cœperunt, quæ & ipſæ Cœmeteria, vel Sepulcra Martyrum dictæ ſunt. Hinc Synodi Laodicenæ Can. CX. *Non eſt concedendum, ut in Cœmeteria, vel ea, quæ dicuntur Martyria* &c. Eodem cœmeterii vocabulo pro Eccleſia utuntur Athanaſius, Socrates (25): tum Chryſoſtomus ſæpe uſurpat vocabula περὶ μαρτύρων *Sepulcra Martyrum* pro Eccleſiis (26): & in Geſtis purgationis Cæciliani Epiſcopi Carthaginienſis in eandem ſignificationem occurrit nomen *Area Martyrum*. *Cives in area martyrum fuerunt incluſi... tollat aliquis veſtrum, in Area, ubi orationem facitis* &c. ubi de Eccleſia ſermonem haberi perſpicuum eſt (27).

4. Ec-

(16) *Euſeb. de Vita Conſtant. Lib. III. Cap.* 48. Μαρτύρια μέγιστα *ab eo Conſtantinopoli extructa memorat.*

(17) *Socr. Lib. IV. Cap.* 18. In ea Urbe (*Edeſſæ*) illuſtre, ac ſplendidum eſt Thomæ Apoſtoli Martyrium.

(18) *Harum Eccleſiarum, quæ* Martyria *dicebantur, idem meminit Socr. Prioris quidem Lib. IV. Cap.* 23. *Poſterioris Lib. VI. Cap.* 26. *Ubi obſerves hoc, in Euphemiæ Martyrio, ſive Eccleſia Chalcedonenſe* Œcumenicum Concilium *habitum anno* 451., *ac ſæpe* Μαρτυρίου Εὐφημίας *mentionem in ejus Concilii Actis injici.*

(19) *Euſeb. Lib. IV. De Vita Conſtant. Cap.* 49.

(20) *Auguſt. de Civit. Dei Lib. XXII. Cap.* 10. *Vide etiam Optatum contra Parmen. Lib. II. aliosque. Hic tamen mecum adverte, quæ* ἁπλῶς *ab Græcis* Μαρτύρια, *expreſſius ab Latinis* Martyrum Memorias *vocitata*, i. e. Monimenta, *aut etiam Sepulcra. Antiquis enim* Memoriæ *idem, ac Monumenta, ſeu Sepulcra, ut in Inſcriptione apud Gruterum p.* 837. SERVILIUS SE VIVO COMPARAVIT MEMORIAM SIBI ET SUIS. *Eſt quoque eximius locus apud Ammianum Marcellinum* Lib. XXII. Cap. 11., *ubi Chriſtianorum Eccleſias* Sepulcra adpellat. *Memoriæ ergo recte dictæ ſunt Eccleſiæ, quod ſin minus buſta ipſa,* λείψανα *certe Martyrum ibi reconderentur.*

(21) *Sozom. Lib. IX. Cap.* 10.

(22) *Sozom. Lib. VIII. Cap.* 16.

(23) *Act. III. Tom. V. Conc.*

(24) *Theod. Lect. Lib. II.* Ejuſdem Arcadii temporibus, Attico Patriarcha, adlatæ ſunt Conſtantinopolim Reliquiæ Sancti Samuelis, & depoſita ſunt in ipſius Propheteo ἐν τῷ προφητείῳ αὐτοῦ. *Ex quo colligas licet, jam tum ex Arcadii temporibus feſtos dies etiam antiqui Fœderis Prophetis ſtatui ſolitos nedum Chriſtianis martyribus. Eorum quippe Sanctorum memoria ſtato die ea in Eccleſia recolebatur, ubi ſancta Lipſana eorundem recondebantur. Sed de hoc fuſius ad finem primæ partis hujus Tomi, ubi id e Græcis Menologiis teſtatum dabo.*

(25) *Athanaſ. Apol. II. apud Socr. Lib. II. Cap.* 28.

(26) *Chryſoſt. Hom. I. in Pſalm. XLVIII.*

(27) *Hæc Cæciliani Geſta vide ad Calcem Optati.*

4. Ecclesia in loco, ubi aliquis martyr passus esset, ædificata, *Mensa Martyris* illius dicta est: hinc Ecclesia in loco, in quo martyrium subierat Cyprianus, ab Augustino *Mensa Cypriani* dicitur: *Mensa dicitur Cypriani, non quia ibi est unquam Cyprianus epulatus, sed quia ibi est immolatus, & quia ipsa immolatione sua paravit hanc mensam, non in qua pascat, sive pascatur, sed in qua sacrificium Deo, cui ipse oblatus est, afferatur*. Ita Augustinus (28).

5. Ecclesiæ aliquando etiam *Casæ* adpellatæ sunt: ita in Actis Purgationis Cæciliani, & Felicis: *Nunquid Populus Dei ibi fuit? Saturnius dixit, in Casa majore Ecclesia fuit inclusus*. Tum quoque *Tropæa*: ita Hieronymus Ep. ad Marcellam: *Est ibi Romæ, sancta Ecclesia; sunt Tropæa Apostolorum, & Martyrum: adhæc & Tituli*. Hinc de S. Marcello Papa in Libro Pontificali scribitur, viginti titulos Romæ constituisse propter baptismum & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, & propter sepulturas martyrum, & ibidem matrona quædam nomine Lucina *domum suam nomine tituli Ecclesiæ S. Marcelli dedicasse* perhibetur. Hi Tituli, ceu Ecclesiæ Parochiales erant, multitudine convenarum Romæ increscente, ad Sacramentorum administrationem erectæ. Tituli dicti sunt, vel quod crucis signum sibi impositum haberent, vel quod in earum dedicatione nomen D. N. J. X. illis ceu titulus inscriptum fuerit, vel tandem quod titulum, sive denominationem, illis Presbyteris dederint, quibus fuerunt commissæ. Prior conjectura est Baronii, duæ posteriores sunt Medi. Tandem dictæ quoque sunt *Limina Martyrum*: ita Hier. *Religiosa Ædes, ac Septa* (29): ita Synesius (30): *Domus Synaxeos* apud Eusebium (31): & *Sedes doctrinæ* a Chrysostomo (32).

X. Duo tantum hic liceat subnectere, Philonem Judæum de Therapeutis loquentem, ut refert Eusebius *Lib. II. Cap. 17.* qui eos Christianos fuisse a S. Marco in Ægypto conversos asserit (33), eorum Ecclesias *Semnea*, & *Monasteria* adpellasse; cur vero hisce nominibus adpellatæ sint tradit ipse Philo scribens: *In singulis Domiciliis est quoddam Sacellum, quod* Semneum & Monasterium *adpellatur, in quo soli remotis arbitris sanctioris vitæ mysteria peragunt.... Legem, & Prophetarum oracula hymnosque & alia hujusmodi, quibus pietas simul, ac scientia augentur, &c.* Alterum Ecclesias mobiles, nec certo loco fixas.

(28) *Aug. Serm. CXIII: de Diversis. Nonnullos etiam Sermones suos ex iis, quos edidit Sirmondus, in hac Ecclesia habuit Augustinus, sic inscriptos*: Ad Mensam Cypriani.

(29) *Hieron. Ep. XV. ad Marcellam*: Ad Martyrum Limina pene invisa properabat.

(30) *Synesius Ep. LVIII.*

(31) *Eusib. Lib. VII. Cap. 8.*

(32) *Chrysost. Hom. II. in Joan.*

(33) *Atqui Philonicos Therapeutas, quorum erant* Μοναστήρια & Σεμνεῖα, *sunt qui aut Judæis, aut certe Essenis, quidam etiam Gentilibus Philosophis accenseant, uti Scaliger, Junius, Salmasius, Grotius, Langius, aliique. Id tamen in hac re observatione dignum, veteres quosque a Patribus sagacissimos nec adeo severioris ἀκριβείας ignaros, illos Christianos judicasse. Vide Hieron. in Cat. Script. Eccl. Epiph. Lib. de Hæres. Cap. 29. Soz. Hist. Lib. I. Cap. 12. immo, quod mireris, Photius ipse severissimi vir ingenii in Biblioth. Cod. 103. Sed tamen, ut opinor, nonnullæ intermorientis Judaismi reliquiæ, quæ in Therapeutarum moribus offenduntur, forte recentioribus offucias fecere in tantum, ut & Eusebium* levem hominem, *qui id crediderit, & veteres, qui eum sequuti sunt, Patres* hariolatos *esse dixerit Scaliger, de Emend. Temp. Quamquam id postremum falsum plane sit. Nec enim in hanc sententiam ivere Epiphanius, Hieronymus, ac Photius, velut si servum Eusebii pecus fuissent, sed pro re nata id ipsum Philonis opus lectitantes judicarunt. Quamobrem id modo in salebrosa hac quæstione tutius dici posset, Therapeutas origine quidem Essenos fuisse, Religione vero recens suscepta Christianos. Atque hinc factum, ut Philo eos Judæos esse aut crederet, aut simularet, nostri vero Christianis eos vindicarent. Vide Tillemontium, Montfauconium, Beveregium, aliosque.*

fixas Tabernacula nuncupatas fuisse; ita Eusebius (34), & Socrates, ubi de Constantino referunt, quod in Persica expeditione tabernaculum ad instar Ecclesiæ confici jusserit, ac secum portari, *ut in locis etiam desertissimis paratum haberet oratorium*.

§. V. *De distinctione inter Ecclesiam Matricem, & Diœcesanam*.

XI. Ecclesiæ Matricis nomen triplici sensu antiquitus acceptum videtur; 1. pro originali quadam Ecclesia ab ipsis Apostolis plantata, unde aliæ derivatæ fuerint. Ita Tertullianus (35); hoc sensu in Concilio Constantinopolitano Ecclesia Hierosolymitana *Ecclesiarum omnium Mater* nuncupatur (36). 2. Matrix Ecclesia dici quoque consuevit Metropolitana, sive Princeps cujusque Provinciæ Ecclesia; ita in quibusdam Africanis Canonibus (37). 3. Plerumque vero Cathedralis, sive Episcopalis Ecclesia eo nomine indicata est; ita in binis Codicis Africani Canonibus (38). Quo sensu a Fulgentio Ferrando aliis inferioribus Ecclesiis in Diœcesi opponitur, quibus Presbyteri tantum præsidebant. Hæ, quas nunc Parochianas Ecclesias vocamus, *Diœceses*, & *Ecclesiæ Diœcesanæ* dictæ occurrunt in Libro Pontificali, in pluribus Africanis Canonibus (39), in Concilii Tarrac. Can. VIII. &c. Hinc patet quid discriminis fuerit inter Ecclesiam matricem, & Ecclesiam Diœcesanam: adhæc Ecclesia Matrix dicta quoque invenitur Cathedra Principalis, & Ecclesia Catholica in oppositione minorum Ecclesiarum, quæ ei subjectæ erant; uti ex Epiphanio, & Nicephoro observat Valesius (40).

§. VI. *De Ecclesiarum Origine*.

XII. Vedelius, Suicerus (41), aliique sacrarum antiquitatum Auctores ex locis quibusdam Origenis, Minucii Felicis, Arnobii, & Lactantii, in quibus Christiani nulla habuisse templa dicuntur, demonstrare contendunt Christianos tribus prioribus Seculis nulla distincta cultus divini loca habuisse. At verosimilior videtur Medi sententia, qui absolutissima Dissertatione Christianis tribus prioribus Seculis Ecclesias vindicat. Præcipua eruditi Auctoris argumenta hic paucis dabimus; ac primo observat veteres Patres, Augustinum præsertim, Basilium, Personatum Hieronymum, Chrysostomum &c. (*) in commentationibus suis in illud Apostoli 1. Cor. xi. 21. *Num domos non habetis ad edendum & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemni-*

(34) *Euseb. de Vita Constant. Lib. IV. Cap.* 55. *Socrat. Lib. I. Cap.* 18. *Erant vero, ut Socrates testatur, Tabernacula e velis varie pictis compacta, quæ in se complicata militaribus profectionibus minus erant incommoda. Constantini exemplum reliquum pellexit exercitum, sic ut singulæ quaque legiones Romanæ, ut ait Sozom. Lib. I. Cap.* 8. *suam haberent* Σκηνὴν Tabernaculum *cum* Presbyteris, *&* Diaconis. *An vero ibi etiam sacris operatum sit, id subindicare videtur Sozomeni locus, qui Presbyteros etiam circumductos testatur. Sed de hoc opus speramus Excellentissimi, atque Eruditissimi Clementis de Arostegui.*

(35) *Tertull. de Præscript. Cap.* vi. Constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, Matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandum.

(36) *In Ep. Synod. ad Damasum apud Theod. Lib. V. Cap.* 9.

(37) *Cod. Afric. Can. CXIX.*

(38) *Cod. Afric. Can. XXXIII.* Non habenti necessitatem nec Episcopo liceat Matricis Ecclesiæ, nec presbytero rem tituli sui usurpare. *Item Can. CXXIII.*

(39) *Lib. Pontif. in Vita Marcelli*: Hinc viginti quinque titulos in Urbe Roma constituit quasi *Diœceses* propter baptismum. *Vide etiam Cod. Afric. Can. LIII. ubi semel atque iterum eadem occurrit nomen* Diœcesis *pro ea, quam nunc Parochialem dicimus Ecclesiam.*

(40) *Valesius Notis in Theod. Lect. Lib. I. pag.* 553.

(41) *Vedelius exercit. in Ignat. Epist. ad Magnes. Cap. IV. Tum Suicerus Thes. Eccl. in voce* Ναός.

(*) *Aug. Quæst. XVII. in Levit. Ecclesiam* tamen vocari ipsam Domum Orationum, idem Apostolus testis est &c. *Basil. Regul. Minor Quæst.* CCC. X.

temnitis? concorditer tradidisse, Apostolos in certum locum cultui divino speciatim consecratum ad liturgiam peragendam semper coivisse; qui locus *Cœnaculum* fuerit toties in Actis Apostolorum memoratum; ubi Christus ultimam Cœnam celebravit, ubi discipulis suis post resurrectionem apparuit, ubi in Apostolos Spiritus S. descendit; ubi septem Diaconi electi, & ordinati sunt, & ubi primum Hierosolymitanum Concilium coactum est, quo in loco postea Ecclesia erecta est *Ecclesiæ montis Sion*, & *Superioris Apostolorum Ecclesiæ* nomine donata, uti referunt Cyrillus Catech. XVI. & Hieron. XXVII. Adhæc ubi Apostolus in suis Epistolis Ecclesias in hac, vel illa domo salutat, procul dubio loca in piorum Christianorum ædibus divino cultui destinata intelligit. Ad Apostolica quoque tempora spectat tum modo productum Philonis testimonium de Ecclesiis Therapeutarum in Ægypto, tum id, quod Auctor Constitutionum de Theophilo narrat, cui S. Lucas suum Euangelium inscripsisse creditur: nimirum quod domum suam ingentem Basilicam Ecclesiæ nomine consecraverit (42); huc etiam facere videtur insignis genuinæ S. Clementis Romani 1. ad Cor. Epistolæ locus, ubi scribit: *Deum non modo tempora, & horas præfinivisse, sed etiam apta loca, ubi a legitimis ministris oblationes, & officia peragerentur*: quæ hactenus producta sunt Testimonia ad I. Ecclesiæ Seculum spectant.

XIII. Jam vero ex Patribus II. Seculi primo occurrit Ignatius M. qui tum Ep. ad Magnesianos (n. VII.) locum Orationis commemorat, quem *Templum Dei* vocat, tum Ep. (n. IV.) ad Philadelphios unicuique Ecclesiæ *unum altare* adsignat, *sicut unus Episcopus cum Presbyteris, & Diaconis*. Præterea Pius I. Epistola 1. & 2. de binis Titulis, sive Ecclesiis verba facit, ubi missas egisse scribit, quorum alter ad Eutrepia, alter vero a Presbytero Pastore conditus sit: & Clemens Alex. haud semel nomen Ecclesiæ pro loco Ecclesiastici conventus usurpat (43). Isthæc profecto satis indicant fuisse tunc stata loca conventibus Ecclesiasticis destinata.

XIV. Tertii Seculi testimonia copiosiora sunt, & planiora: nos præcipua delibabimus. Ac 1. Tertullianus (44) loquens de gravioribus libidinum flagitiis scribit: *Non modo limine, verum omni Ecclesiæ Tecto submovemus, quia non sunt delicta, sed monstra*; tum alibi inter Baptisterium, & Ecclesiam aperte distinguit (45).

2. De S. Gregorio Thaumaturgo scribit S. Gregorius Nyssenus in ejus vita, plures diversasque Ecclesias Neocæsareæ, & in adjacentibus Ponti Regionibus ædificasse (46).

3. De

(42) *Constitut. Apost. Lib. V. n. LXXI.* Theophilus, qui erat cunctis potentibus sublimior, Domus suæ ingentem basilicam Ecclesiæ nomine consecravit.

(43) *Clemens Alex. Strom. VII. tum apud Eusebium Lib. III. Cap. 23. Huc faciunt etiam duo quantivis pretii loca, Plinii junioris alter, alter Luciani. Plinius quidem Ep. ad Trajanum XCVII. de Antelucanis Christianorum conventiculis verba facit.* Affirmabant, *inquit*, hanc summam omnis vel culpæ suæ vel erroris, quod stato die ante lucem CONVENIRENT, carmenque Christo quasi Deo dicerent. *Lucianus autem, vel quis est Auctor Dialogi* Philopatris, *aperte loci cujusdam meminit quo confluebant Christiani Religionis caussa.*

(44) *Tertull. de Pudicitia Cap. IV.*

(45) *Tertull. de Corona Mil. Cap. III.* Aquam adituri ibidem, sed & aliquando prius in *Ecclesia* sub Antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. *Plura sunt ejusdem, quæ idem innuunt, loca, quæ videsis apud Pamelium Not. in* De Idololatria *Cap. VII.*

(46) *Greg. Nyssen. Vita Greg. Thaum.* Omnibus in omni loco *Templa* ad orandum sub nomine Christi exstruentibus, &c. *Imma Gregorius ipse Thaumaturgus in Canonica, quam scripsit Epistola, varios pœnitentiæ gradus in variis Ecclesiæ partibus digerendos statuens, aperte Ecclesiarum usum ævo suo sat frequentem fuisse plane ostendit.*

3. De Ecclesiis in ultima persecutione Diocletiani Edicto solo æquatis aperte loquuntur Eusebius, Arnobius, Lactantius, Gildas, Augustinus, Theodoretus, Hieronymus (47) &c. Omittendus hic non est insignis Eusebii locus, quo testatur tempore inter Valerianam, & Diocletianeam persecutionem intertitio Christianorum multitudinem adeo increvisse, ut *priscis ædificiis jam non contenti in singulis urbibus, spatiosas ab ipsis fundamentis extruerent Ecclesias*. Lib. VIII. Cap. I.

4. Optatus Milev. ante postremam persecutionem Romæ quadraginta basilicas fuisse scribit, quæ Christianis ablatæ, postea iisdem restitutæ sint, uti haud semel testatur Augustinus (48).

5. Optatus ipse tempore persecutionum, ceu quid insuetum in privatis domibus Ecclesiasticos conventus celebratos scribit, expresse adjungens: *Quia basilicæ nec dum fuerant restitutæ*. Lib. I. p. 39. Tandem reliqua, quæ hic adferri possent veterum Scriptorum testimonia, ut brevitati consulamus, omittentibus, tantummodo pro coronide memorabilem historiam subnectere liceat, quam de Marino M. Cæsarensi an. CCLIX. tempore Gallieni Imp. refert Eusebius *Lib. VII. Cap.* 15. nimirum quod ei ab Ethnico Judice Achæo trium horarum spatium ad deliberandum concessum fuisset; *Theotecnus civitatis Episcopus ad illum accedens, & sermocinando longius eum abstrahens præbensa manu ad Ecclesiam eum perducit. Quumque interius ad ipsum altare eum statuisset, reducta tantisper ejus chlamyde, gladium quo præcinctus erat, ostendens, mox sacrorum Evangeliorum Codicem ex adverso locat, jubens, ut ex duobus utrum mallet, eligeret* &c. jam vero qui hanc historiam legerit, dubitare non poterit Seculo III. communem fuisse Ecclesiæ morem, ut stata essent loca cultui divino speciatim destinata, in quæ coierint, quandiu eas frequentandi habuerint facultatem.

XV. Quod vero Origenes, Arnobius, & Lactantius (49) scribant Christianos sua ipsorum ætate nec templa habuisse, nec altaria, id de iis Templis tantummodo intelligendum est, quæ Gentiles defendebant, divinitatem Idolis includentes; alias ipsi sibi mirifice contradicerent. Namque tum Arnobius, & Lactantius, uti modo observavimus, de Christianorum Templis, & Conventiculis Diocletiani Edicto destructis verba faciunt, tum Origenes de adornandis Christianis Ecclesiis, & altaribus perspicue loquitur (50).

§. VII. *Christianorum Ecclesiæ primum simplices, ac modicæ, dein variis de caussis ampliorem in formam redactæ.*

XVI. Quum tribus prioribus Ecclesiæ Seculis conversorum status plerunque persecutioni obnoxius esset; adhæc non multi divites, nec multi nobiles Christianam reli-

(47) *Euseb. Lib. VIII. Cap.* 13., *ac clarius etiam ejusdem libri Cap.* 2. *Lactantius De Mort. Persecut. Cap. XII.* Qui dies cum illuxisset agentibus Consulatum Senibus ambobus octavum, & septimum, repente adhuc dubia luce ad *Ecclesiam* profectus cum Ducibus, & Tribunis, & Rationalibus venit, & revulsis foribus simulacrum Dei quæritur. Scripturæ repertæ incenduntur, datur omnibus præda, rapitur, trepidatur, discurritur, &c. *Gildas de Excid. Britann.* Ad persecutionem Diocletiani novennem, in qua subversæ per totum Mundum sunt *Ecclesiæ*. *Augustinus Brevic. Collationis diei II. Cap.* 18. *Theod. Lib. V. Cap.* 39. *Hieron. Comment. in Zacch. Cap. VII.*

(48) *Optatus Lib. I. p.* 39. *Aug. in citato Brevic. Cap.* 17. *&* 18.

(49) *Orig. contra Celsum Lib. VIII. Arnob. adversus Gentiles Lib. VI. Lactan. Lib. II. Cap.* 2.

(50) *Sane quam luculentus est Origenis locus, qui id demonstrat ex Hom. X. in Josuam ab Rufino in Latinum versa*. Sciendum est, *inquit*, ... quod si qui tales sunt in nobis, quorum fides id tantummodo habet, ut ad *Ecclesiam* veniant, & inclinent caput suum Sacerdotibus, officia exhibeant, servos Dei honorent, ad ornatum quoque *Altaris*, vel *Ecclesiæ* aliquid conferant &c. *Confer Arnobium, cujus locus omissus in Not.* 47. *Lib. IV. adversus Gentes*. Nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? Cur immaniter *Conventicula* (*Ecclesias intellige*) dirui? in quibus summus oratur Deus, &c.

religionem amplecterentur; hinc factum est, ut Ecclesiæ nonnisi simplices essent, ac modicæ, quapropter, uti modo observavimus, aliquando Casæ dictæ sunt, tituli, conventicula, aliisque nominibus donatæ, quæ earundem simplicitatem exhibent. In Britannia, Beda attestante *Hist. Lib. III. Cap.* 4. antiquitus universæ, nonnisi ex lignis extructæ: & Ecclesias Cyrenes describens Severus Sulpitius hæc habet: *Erat vilibus texta virgultis non multo ambitiosior, quam nostri hospitis tabernaculum, in quo nisi incurvus quis non potest consistere* (*).

XVII. Tum ipso III. Seculo quum ex Imperatorum domesticis liberis, ac servis nonnulli Christianam religionem amplecterentur, ac innumerabilis gentilium multitudo quotidie Christo nomen daret; hinc, referente Eusebio *Lib. VIII. Cap. I.* factum est, ut in singulis urbibus ampliores Ecclesiæ a fundamentis exstruerentur. Quarum quum multæ in Diocletianea persecutione destructæ essent, pace a Constantino Ecclesiæ reddita, rursus a solo in immensam altitudinem erectæ sunt maximo cultu, nitore, ac magnificentia splendentes.

XVIII. Cur vero Fideles vix tranquillis Ecclesiæ rebus continuo adeo vehementi studio ad templa ædificanda excitarentur, duo potissimum in caussa fuere. 1. Liberalis ipsorum Imperatorum munificentia, qua ut magnifica in Christi honorem erigerent ædificia, magnos sumptus impendebant. Hinc Constantinus ad splendidas in variis Orbis Christiani partibus Ecclesias erigendas decorandas exornandas nullis unquam pepercit sumptibus; inter quas præcipuæ fuerunt, quas Romæ & Constantinopoli magnificentissime ædificavit (51). 2. Eorundem Imperatorum Edicta de Gentilium Templis in Christianas Ecclesias convertendis.

XIX. Primum quidem sub Imperatoribus, qui Theodosium M. præcessere, Idolorum Templa, vel Gentilibus ad tempus sunt relicta, vel occlusa, vel etiam diruta (**). At post regnantis Theodosii tempora in Christianas Ecclesias converti cœperunt; & sane, uti ex Chronico Alexandrino anni 379. observat Gothofredus (52), *Theodosius Templum Heliopolitanum, quod Balanii dicebatur, ingens & celeberrimum in Christianorum Ecclesiam convertit*. Idem quoque celebri Deæ Cælestis templo Carthagine Aurelii Episcopi opera regnante Honorio contigisse scribit Auctor Libri de Prædictionibus.

XX. Tum Honorius anno 408. binis latis legibus vetuit, ne ulla amplius Templa in Civitatibus diruerentur, quippe quæ repurgata ornamento, & usui publico esse possent. Hinc Auctor Libri de Promiss. *Lib. III. Cap.* 38. Prospero tributus, nomine religionis Honorium laudat, quod omnia templa cum suis adjacentibus spatiis Ecclesiis contulerit, idola tan-

(*) *Mirabile illud est, quod de Christianorum Cyrenensium moribus subjungit ibidem Sulpitius:* Quum hominum mores, *inquit*, quæreremus, illud præclarum animadvertimus nihil eos neque vendere, neque emere. Quid sit fraus, aut furtum nesciunt. Aurum, atque argentum, quæ prima mortales putant, neque habent, neque habere cupiunt. Nam quum Presbytero decem aureos obtulissem, refugit altiore consilio protestatus, Ecclesiam auro non strui, sed destrui.

(51) *Profecto Constantinus pace armis quæsita, Christianaque Religione suscepta, ceteris unam Ecclesiarum ædificandarum curam prævertisse videtur. Ac in reliquis Orientis partibus plura exstruxit Templa, uti Hierosolymis, Antiochia, Nicomedia, ad Mambre, Heliopoli in Phœnicia, atque alibi, quod passim leges in Synchronis Scriptoribus. Constantinopoli vero cum* Martyrium Apostolorum *exstruxit, teste Eusebio Lib. IV.* Cap. 58. (*quod mox in* Ecclesiæ Constantinianæ *nomen evasit*) *tum fundamenta jecit alterius ingentis Ecclesiæ*, S. Sophia *postea dictæ anno* CCCXXX. *Quam tamen jampridem ab se fastigatam triginta post annis Constantinus* Ecclesiæ Pacis *copulavit, ambasque uno ambitu conclusit. Vide Socrat. Lib. II. Cap.* 16.

(**) *Ad annum usque Æræ vulg.* 333. *Constantini* 25. *Templa magnam partem tolerata sunt: verum hoc anno Constantinus Leges tulit, quibus Templa, aras, & imagines destrui jussit, uti non modo ex Hieronymo, Eusebio, aliisque Christianis Scriptoribus, verum etiam ex Auctorum gentilium querelis constat. Tempore quoque Valentiniani Imper. eadem ratio claudendi, vel vastandi Gentilium templa inita est, uti ex Rufino patet, qui universalem eorum in Ægypto destructionem narrat.*

(52) *Gothofr. in Cod. Theodos. Lib. XVI. Tit. II. de pag. leg. XXV.*

tantum destrui jubentem. Honorii exemplum secutis temporibus reliqui Imperatores, ac Principes imitati sunt, uti ex Sozomeno, Evagrio, Beda, aliisque constat.

XXI. Variarum ergo Christianorum Imperatorum legum rationem omnem sic subducito. Ad usque Constantini M. annum 25. æræ Christianæ CCCXXXIII. intacta ferme fuere Gentilium Templa, ab hisque plane temperatum. Deinceps usque ad Theodosium M. aut nudata passim, ut ait *Euseb. de Vita Constant. Lib. III. Cap.* 54. aut occlusa, aut etiam diruta ablatis superne tegulis. Quod vero eorum quædam in Christianorum Ecclesias versa sint id omnino Theodosio acceptum debemus, sequutisque deinde Imperatoribus. Quamvis non nescius sim etiam Constantini ævo Ethnica Templa Christianis cessisse, uti in Tiberiade ingens Templum *Adrianium* dictum, ab Josepho Comite in Ecclesiam mutatum. Vide Epiph. hæres. XXX.

CAPUT II.

De diversis Antiquarum Ecclesiarum Formis et partibus.

§. I. *De Diversis antiquarum Ecclesiarum formis.*

I. Quamvis antiquitus inter Christianos nullus certus ordo hac de re obtinuerit; attamen Auctor Constitutionum *Lib. II. Cap.* 57. significare videtur Ecclesias plerunque oblongas fuisse navi similes; quæ forma *dromica* quoque dicta est (1). Verum non desunt in veteri Historia aliarum formarum Ecclesiæ. Et sane quæ a Constantino in Christi D. sepulchro fabricata est, rotunda fuit; ita Eusebius, & Walafridus Strabo (2): quæ ab eodem Imperatore Antiochiæ extructa est, octaedri formam habuit, ita Eusebius idem (3); tum aliæ in formam crucis ædificatæ sunt, uti Basilica Apostolorum (4) Constantinopoli, Ecclesia S. Simeonis Stylitæ, aliæque. Tandem Ecclesia a Constantino ad quercum Mambre ædificata figuram quadrangulam exhibebat; atque hæ præcipuæ sunt formæ, ad quas antiquitus Ecclesiæ extructæ sunt, ac hodiedum quoque extruuntur.

II. Quod vero ad situm attinet, in plerisque præcipuus introitus occidentem versus, altare vero orientem spectabat; namque, Cardinali Bona observante, *Rer. Liturg. Lib. I. Cap.* 20. *Usus frequentior, & rationi vicinior habebat in Orientem orantes converti*, in aliis Ecclesiis ex adverso altare non ad solis ortum spectabat, sed ad occasum, quod de Antiochena Socrates *Lib. V. Cap.* 22. ac de suis uterque Paulinus Tyrius, & Nolanus (5) testantur. Nec desunt exempla Ecclesiarum ab aquilonari parte versus meridianam plagam respicientium, uti illa, quam S. Patricius in Hibernia in oppido Sabul construxit. Igitur licet Auctor Constitutionum (6) de Ecclesiis Orientem versus

(1) *Hujus nominis rationem post Allatium* de Templis Græcorum, *hanc adfert Suicerus in voc.* Ναός. *Ab Deambulatione scilicet* δρομικὰ *dicta, quod ob oblongam Ecclesiarum figuram spatiari deambulando in iis posset.* Δρόμος *enim* Cursus *est, ac* Pervagatio.

(2) *Strabo de Rebus Eccl. Cap. IV.* Verissima relatione didicimus in Ecclesia, quam apud Æliam Constantinus . . . super sepulchrum Domini miræ magnitudinis in *Rotunditate* constituit.

(3) *Euseb. Lib. III. Cap.* 50. Basilicam ipsam ad summam erexit altitudinem: figura quidem *Octaedri* constructam.

(4) *Nazianz. Carm. IX. Evagrius Lib. I. Cap.* 14. Templi Fabrica formam *Crucis* refert.

(5) *Paul. Ep. XII. ad Sever.* Prospectus Basilicæ non ut usitatior mos est, Orientem spectat, sed ad Domini mei beati Felicis Basilicam pertinet, memoriam ejus adspiciens.

(6) *Const. Ap. Lib. II. Cap.* 57. Ædes sit oblonga κατ᾽ ἀνατολὰς τετραμμένος orientem versus,

versus exstruendis præcipiat; attamen hic mos non adeo universalis fuisse videtur, ut nullas admiserit exceptiones prout necessitas id postulaverit, vel tulerit loci opportunitas.

§. II. *De Diversis Ecclesiarum partibus, ac primo de* Narthece *exteriore*.

III. Quemadmodum in Hierosolymitano Templo non modo interiora ædificia, verum & exteriora atria, ac ipsum quoque atrium Gentilium pro Templi partibus habita sunt, haud secus apud veteres Christianos exteriora Ecclesiæ atria, & limites, loca perfugii, sive asyla, porticus, ac peristylia ceu Ecclesiæ partes spectari consueverunt. Ac primo duplex erat Ecclesiæ Narthex, unus interior, exterior alter; de exteriore hic, de interiore sequ. §.

IV. Igitur Narthecem exteriorem dicimus περίβολον, sive exteriorem. Ecclesiæ ambitum atria exteriora includentem, cujus prior Pars erat splendidum, & spatiosum vestibulum ab Eusebio aliisque Græcis Scriptoribus (7) πρόπυλον μέγα *vestibulum magnum*, & πρώτη ἄσοδος *primus introitus* nuncupatum. Inter hoc vestibulum ab Ecclesia intervallo quodam disjunctum, ac ipsam Ecclesiam spatiosa erat area, a Græcis αἴθριον, & αὐλή, a Latinis *atrium*, & *impluvium* dicta, quæ plerunque porticibus circumsepta columnis undique attollebatur. Hic erat proprius pœnitentium primæ classis locus, quibus nonnisi vel in atrio, vel in porticibus consistere licebat, ut fidelium Ecclesiam introenntium preces expeterent.

V. In hujus areæ medio fons erat, sive cisterna in usum populi ad abluendum se ex ea, priusquam templum ingrederentur. Hujus expresse meminit Eusebius (8) in templo Paulini; tum quoque Paulinus Nolanus, eique *Canthari* nomen tribuit (9); uti quoque ab aliis veteribus Scriptoribus passim adpellatur *Nymphæum*, *Phiala*, Ἐμβάτης, κολυμβεῖον, φρέαρ; quæ adpellationes omnes ex æquo fontem significant. Num ex hac vetusta consuetudine suam traxerit originem aqua benedicta, qua modo ad Ecclesiarum ingressus utimur, disputant eruditi.

VI. Illud tandem hic subnectere oportet, quod ubi primum loca sepulturæ in Civitatibus permissa fuere, nonnisi in exterioribus hujus Narthecis partibus, atrio scilicet, & porticibus concessa sunt; hinc Syn. Namnetensis Can. VI. an. 658. decrevit: *In Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut porticu, aut in exedris Ecclesiæ*. Verum de his fusius alibi.

§. III. *De* Narthece *interiore, deque illius partibus, & usibus*.

VII. Prior Ecclesiæ interioris pars erat Πρόναος, sive *Narthex* intra parietes. Loci hujus multiplex usus. 1. ad rogationes, supplicationes, ac nocturnas vigilias faciendas. 2. ad justa defunctorum cadaveribus persolvenda, antequam sepulturæ mandarentur. 3. idem energumenorum locus erat; tum ibidem catechumenis, ac pœnitentibus, qui *Audientes* dicebantur, stare permissum erat, ut hymnis, scripturarum lectioni, & concionibus vacarent; quo facto statim dimittebantur. 4. Neque inde excludebantur Judæi, Gentiles, Hæretici, & Schismatici, ut Scripturarum lectioni, & sermonum recitationi interessent. Hæc generalis videtur fuisse Eccle-

(7) *Euseb. Lib. X. Cap.* 4. Hoc primum intrantium diversorium est, cunctis ornatum quemdam, ac nitorem præbens, iis autem, qui nitore adhuc opus habent, congruentem præbens mansionem. *Id ipsum innuit Tertullianus, cum in libro de Pudicitia gravissimorum criminum reos non solum* ab Ecclesiæ Limine *arceri dicit, sed &* ab omni ejus tecto.

(8) *Euseb. Lib. X. Cap.* 4. Hic sacrarum expiationum signa posuit κρήνας, scilicet *Fontes* ex adverso Ecclesiæ structos, qui interius sacrarium ingressuris copiosos Latices ad abluendum ministrent.

(9) *Paul. Ep. X. ad Severum:*
Sancta nitens famulis interluit atria Limphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne finistro.

Ecclesiarum praxis, uti ex Concilio Carthag. IV. Chrysostomo, Augustino, aliisque liquet (10); nonnisi Syn. Laodicena hæreticis in Ecclesiam ingressum interdicit Can. *6.*

VIII. Duo hic liceat subnectere: primum: priorem hunc, ac minus insignem Ecclesiæ locum *Narthecem* dictum fuisse, eo quod oblongæ esset figuræ: Νάρθηξ, latine *ferula* dicitur. Alterum: quasdam Ecclesias tres quatuorve extra parietes Nartheces habuisse. Porticus enim ad earum latera extructæ eadem ratione Nartheces vocabantur. Ejusmodi Ecclesiæ Dufresnii sententia nullum intra parietem Narthecem habebant, sed exteriores illi Porticus congruentem pœnitentibus, aliisque quibus in Ecclesiam ingredi haud licebat, stationem præbebant.

§. IV. *De* NAO, *sive* Nave *Ecclesiæ, ejusque partibus.*

IX. Altera hæc, dignior Ecclesiæ pars ναὸς, sive *navis* Ecclesiæ dicebatur, a Narthece ligneis repagulis separata; introitus in hanc e narthece per portas patebat *speciosas*, & *regias* adpellatas (11), vel per adlusionem ad nomen basilicæ, vel quod Reges suam ipsorum coronam hic deponere solerent, antequam ulterius in Ecclesiam progrederentur. Hinc Leo Grammaticus in Michaele Imperatore tanquam rem insolentem observat, quod quum venerit ad portas regias, coronam haud deposuerit suam, quemadmodum reges facere consueverant.

X. In hac Ecclesiæ parte, quæ aliquando etiam *Oratorium* dicta est, locum habebant 1. *Substrati*, idest tertii ordinis Pœnitentes, sic dicti a ritu prosternendi se ad pedes Episcopi; simul ac sermo erat finitus, ut ab eo impositis sibi manibus benedictionem reciperent; quo facto statim abire jubebantur.

2. *Ambo*, sive *Pulpitum*, sic dictus, non ab ambiendo, uti Strabo sibi persuasit, sed potius ab ἀναβαίνειν ab adscendendo; quia locus editus erat, ad quem per gradus adscendebatur; hoc etymon ab antiquis Græcis Scriptoribus Valesius, & Habertus deduxerunt. Hic locus erat adsignatus 1. Lectoribus, unde Evangelia, & Epistolas legerent. 2. Cantoribus, quibus in Ecclesia canendum erat. 3. ibidem Dipthyca legebantur, & 4. aliquando etiam Episcopi, ut facilius ab omnibus exaudirentur, in ambonem verba facturi adscendere consueverunt; uti præcipue Chrysostomus, & Augustinus.

3. *Consistentes*, sive quarti ordinis Pœnitentes, sic dicti, quod ipsis consistere, & orationes Ecclesiæ audire permissum esset, catechumenis, aliisque pœnitentibus jam dimissis. Verum num a ceteris fidelibus communicantibus loco per se distincto separati fuerint ex antiquis auctoribus non constat: at ex probatis auctoribus certum omnino est viros, & mulieres in eadem Ecclesiæ parte antiquis temporibus distincta habuisse loca; unde Diaconissarum inter officia erat custodire introitum mulierum, quemadmodum ad Janitores spectabat stare ad introitus virorum; ita Auctor Constit. (12). Et ex Socrate (13)

(10) *Conc. Carthag. IV. Can.* 84. Ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum usque ad Missam Catechumenorum.

(11) *Id nominis Regiarum, quas τῦ Ναῦ fuisse portas dicitur, ad minora etiam ostiola denotanda translatum est, uti fuse Eruditissimus monstrat Mazochius Cap. V.* De Cathedr. Neap. semper unica. *Ibi enim* Regiolas *diminutivo nomine ab nostro Joanne Diacono usurpatas ait pro ostiolis argenteis in altare Sancti Januarii ab Athanasio Episcopo patefactis, qua aditus esset tangendis ejus Martyris reliquiis, orariis, aliove panni genere ad id adhibito.*

(12) *Constitut. Ap. Lib. II. Cap.* 57. Janitores stent ad introitus virorum, Diaconissæ vero ad Mulierum, custodiendi caussa. *Atqui Chrysostomus hunc antiquæ Ecclesiæ morem minime fuisse auctor est in Homil. LXXIV.* Audivi, *inquit*, ego a senioribus non fuisse hos parietes (*ligneos scilicet*) ab initio. Apostolorum enim tempore una viri, & mulieres orabant, & mulieres veræ mulieres, & viri similiter viri erant. *Ergo hic mos post Apostolicum ævum sensim invaluit, cum glissente & inter Christianos malitia non jam domus quævis privatæ, sed communia Cubicula Christianis conventibus destinata sunt.*

(13) Helena Constantini Mater huic Ecclesiæ disciplinæ adeo se submisit, ut in parte mulierum una cum ceteris semper Deum oraverit; adhæc hujusmodi virorum a feminis distinctio plerunque ligneis parietibus facta erat; ita Chrysostomus (14).

XI. Hæc Feminis in Ecclesiæ Ναῷ constituta loca aliquando *Solaria*, sive Porticus Superiores, & Superiores Feminarum Porticus; adhæc & interdum *Catechumena*, & *Catechumenia* adpellata inveniuntur; haud quidem ex eo, quod ibi steterint Catechumeni; at vero, recte observante Dufresnio, quod divinos, qui a Sacerdotibus & cantoribus concinebantur, hymnos ibi auditu exciperent mulieres. Interiores harum Porticum partes aliquando in parvas cellas erant divisæ, quæ iis, qui lectioni, vel privatæ orationi vacare voluerint, accommodatos locos præbebant. Ita Paulinus. *Ep. XII. ad Sever.* Peculiarem quoque locum ibidem Virgines, & Viduæ a reliquis feminis tabulis separatum habebant; id quod ex Ambrosii sermone ad Virginem lapsam discimus: *Nonne*, inquit, *vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti?* Auctor quoque Constitutionum ordinem, quo quisque in Ecclesia sederet, graphice describit: cujus verba vide inferne (15).

XII. In quibusdam Ecclesiis alter adhuc in Ecclesiæ Ναῷ locus erat, Σωλεῖον *Solea*, a recentioribus Græcis nuncupatus, de quo gravis inter viros eruditos controversia, quisnam, aut ubinam fuerit, & quem usum in Ecclesia habuerit; at verosimilior videtur Suiceri, Meursii, Beveregii, Dufresnii, aliorumque sententia, qui statuunt thronum fuisse Imperatoris, σωλεῖον, a latino vocabulo *solium*, nuncupatum. Namque ex una parte eruditi omnes consentiunt locum fuisse *Bemati*, sive *tabernaculo* contiguum. Ex altera vero constat Imperatores, qui Theodosio successerunt, quem Ambrosius propter sedem intra septa altaris sumtam redarguit, in virorum loco proxime ante cancellos altaris sedere consuevisse, haud secus ac Imperatrix sedem suam in superiore porticuum feminarum extremitate habuit. Id quod vel inde aliquantum firmatur, quod Justinianus *soleam* ex auro, & onychite lapide fecerit: quæ sane materiæ solio adornando adplicari consueverunt.

XIII. Tandem Dufresnius in quibusdam recentioribus Græcorum Templis alium locum observat *Senatorium* adpellatum; quem locum fuisse putat, in quo consiterint Principes, seu Magistratus, *Senatores* vocitati, unde *Senatorii* nomine donatus fuerit.

§. V. *De* Bemate, *ejusque Partibus*, *&* *Usibus*.

XIV. Tertia, & intima Ecclesiæ Pars, quæ plerunque *Sanctuarium* dicta est, antiquitus multis aliis nominibus donata est. Ac 1. nuncupata est *Bema*, sive *Tribunal*; quod vocabulum licet interdum *ambonem*, sive *pulpitum*, *altare*, aut etiam *thronos* Episcopi, & Presbyterorum significaverit; at aliquando etiam universum spatium, in quo hi throni, & altare consistebant, denotavit. Quo sensu Synodus Laodicena Can. IX. vetuit, ne Presbyteri ante Episcopi introitum *Bema ingrediantur*. Eodem plane sensu vocem Bema usurparunt Basilius, & Chrysostomus (16).

(13) *Socrates Lib. I. Cap. 17. Helenam id etiam in virtutibus habuisse ait*, Orare in Mulierum gradu, ἐν τῷ τῶν γυναικῶν τάγματι.

(14) *Chrysost. Homil. LXXIV.* Oportebat nos interiore pariete (*Cordis murum intellige*) a mulieribus separari. Verum quoniam non vultis, necessarium esse patres nostri putarunt saltem his ligneis parietibus vos separare.

(15) *Constit. Ap. Lib. II. Cap. 57.* In Ecclesia Adolescentes quidem seorsum sedeant, si locus sit: sin autem non sit, stent; ætate vero provecti ordine sedeant, pueros autem stantes Matres, & Patres eorum suscipiant. Rursus Adolescentulæ seorsum, si fuerit locus, sin minus post mulieres locentur. Nuptæ jam, & Matresfamilias item seorsum: Virgines autem, & Viduæ, & Anus primum omnium stent, aut sedeant.

(16), qui etiam *Homilia XXXIX.* innuit Bema, æque ac ambonem originem habere ab ἀναβαίνειν adſcendere, eo quod loci reliquis editiores eſſent, ad quos per gradus adſcendebatur. 2. Dictum eſt Ἅγιον *Sanctum*, & hinc *altare* Ἅγιον ἁγίων *Sanctum Sanctorum* vocabatur: ita Euſebius (17). 3. Ἁγίασμα *Sanctuarium*, *Sacrarium*: ita Synodus Bracarenſis aliæque. 4. Θυσιαστήριον, ſive *locus altaris*; ita Synodi Laodicena, Trullana, Socrates, Theodoretus (18) &c. 5. *Presbyterium*, ſive conſeſſus Cleri: ita Cyprianus Ep. LV. Ac tandem *Chorus*: ita Syn. Tolet. IV. (19) tametſi plerumque *chorus* pro loco Cantorum, & Lectorum in altera Eccleſiæ parte uſurpetur.

XV. Intima iſthæc Eccleſiæ pars a reliquis ligneis ſeptis, & quidem ad ſummum artis faſtigium elaboratis, ſeperabatur, ut promiſcuæ multitudini inacceſſa eſſet: ita Euſebius (20). Atque hinc Synodus Laodicena ſanxit, ne alii præter τοὺς ἱερατικοὺς *clericos* ſanctuarium ingrediantur, ac ibidem communicent (21). Unde ab Euſebio, Theodoreto, aliiſque Græcis ἄβατα & ἄδυτα, a latinis *adyta*, hoc eſt inacceſſa dici conſuevit; quin nimmo in ejus introitu ad impediendum altaris proſpectum vela pendebant, quorum apud veteres frequens occurrit mentio. Athanaſius *Ep. ad Solit.* ea vocat *vela Eccleſiæ* Βῆλα τῆς ἐκκλησίας, Syneſius *Ep. LXVII. vela myſtica*, & Chryſoſtomus *Hom. III.* atque Evagrius *Lib. VI. Cap.* 21. ἀμφίθυρα, quod inſtar januarum plicatilium utrinque aperirentur. Hæc vela plerunque auro copioſe erant exornata, eorumque uſus potiſſimum erat ſacrificium euchariſticum conſecrationis tempore obtegere. Hinc illud Chryſoſtomi *Hom. III. Quando videris trahi, quæ in oſtiis ſunt* ἀμφίθυρα *vela, ſive cortinas, tunc exiſtima cœlum ſuperne diduci, & deſcendere angelos*. Erant quoque & diverſa alia vela in aliis Eccleſiæ partibus, ac præſertim ante oſtia Eccleſiæ, uti ex Hier., Paulino, Epiphanio, aliiſque colligitur (22).

XVI.

(16) *Horum Patrum teſtimonia citat Suicerus e Liturgiis rorumdem decerpta. In Liturg. Baſilii Magni*: Sacerdotes orationem ſecrete *in Tabernaculo* ἐν τῷ Βήματι: eodem tempore extra *Tabernaculum* ἔξω τοῦ Βήματος recitat preces pro pace. *Eadem viſas in Liturgia Chryſoſt. apud Suicerum in voce* Βῆμα.

(17) *Euſeb. Lib. X. Cap.* 4. Poſtremo *Sanctum Sanctorum* τὸ τῶν ἁγίων ἅγιον, Altare ſcilicet in medio conſtituit.

(18) *Can. Laodis. Can. XLIV. Trull. Can. LXIX.* Nulli plane Laico liceat intra ſacrum altare ingredi. *Tum Socrates Lib. I. Cap.* 25., *at Theodoret. Lib. I. Cap.* 14.

(19) *Conc. Tolet. IV. Can. XVIII. Ibi ſtatuitur*, ut Sacerdotes, & Levitæ ante altare communicent, in choro Clerus, extra chorum populus.

(20) *Euſ. de Pauliniano Templo Hiſt. Lib. X. Cap. IV.* Utque hæc ſacraria multitudini inacceſſa eſſent, ea rurſus ligneis *Cancellis* munivit, minutiſſimo opere ad ſummum artis faſtigium elaboratis.

(21) *Conc. Laodis. Can. XIX.* Unis licere Clericis ingredi in Sanctuarium εἰς θυσιαστήριον καὶ κοινωνεῖν, & communicare. *Quamvis tamen in hac diſciplinæ parte nonnihil variatum ſit. Olim certe Fideles promiſcue & Altari adſtitiſſe, & pro Altari ſtantes communicaſſe, diſcimus ab Dionyſio Alex.* Ep. ad Baſilicam Cap. 2. *uti recte obſervat ad id loci Balſamon, & alibi Valeſius* in Euſeb. Lib. VII. Cap. 9. *Sequuto deinde ævo, ut patet ex citato Can. unis patuit τοῖς ἱερατικοῖς Altare, ac Sanctuarium*: Sacerdotibus *ſcilicet*, & Diaconis; *non tamen miniſtris reliquis, uti patet cum ex verbis hujus Laodiceni Canonis* (ἱερατικοὺς *enim preſſius unos Sacerdotes cum Diaconis ſignificat*) *tum ex Symeone Theſſalonitenſi in* Lib. de Templo, *ubi aperte Ypodiaconos, ac Lectores extra Bematis cancellos in Choro, ſeu Solea collocat, qui locus erat e cancellis proximus. Id etiam ex alio Laodiceno canone XXI. colligo*: ὅτι οὐ δεῖ ὑπηρέτας ἔχειν χώραν ἐν τῷ διακονικῷ: Quod non oportet miniſtros locum habere in Diaconico, *ea ſcilicet Bematis porta, quæ ab Altari ad cancellos uſque pertingebat, ut recte adnotat Dufreſnius. Bema ergo occluſum erat & populo, & inferioribus miniſtris. Donec ſexto ſæculo contra in Galliis exemplum occurrit Fidelium ad Altare communicantium, quamvis cetero tempore extra Chorum conſiſterent.* Vide Conc. Turonenſe II. Can. 2.

(22) *Hieronymus Epitaph. Nepotiani.* Erat ſollicitus ſi niteret altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pavimenta terſa, ſi Janitor creber in porta, *Vela* ſemper in oſtiis. *Paulinus Nat. III. Epiph. Ep. ad Joannem Hieroſol.*

XVI. Jam vero suprema Sanctuarii Pars dicta est *Apsis*, & *Conchula Bematis*, eo quod arcuatam, sive sphæricam structuram ad conchæ speciem exhiberet; uti Dufresnius ex Paulino, Procopio, aliisque demonstrat *Comment. in Paulum Silent.* In sacratiori hac Bematis parte throni Episcopi, & presbyterorum ad utrumque latus in semicirculi forma ultra altare semper fuere constituti: uti ex descriptione templi Paulini Episcopi Tyriorum liquet. *Euseb. Lib. X. Cap.* 4. Cum hoc tamen discrimine; quod sedes Presbyterorum throni secundi dicti fuerint; ita Nazianz. (23) Quinimmo ex eodem Nazianz. & Eusebio constat Episcopum aliquando generatim dictum fuisse *sedem*, *thronum*, seu *sedem altam*, & *Presbyteros thronos*, seu *sedes secundas*: hinc illud Constantini in Ep. ad Chrestum Syracusanum Episcopum, ubi hunc ad Arelatense Concilium invitans, jubet *duos secundi throni*, id est duos Presbyteros *sibi adjungere*: tum a Gregorio Naz. (24) discimus Episcopum altiore throno, Presbyteros vero juxta Episcopum utrinque, at subselliis demissioribus consedisse: unde Sedes Episcopi hoc intuitu Cathedra in medio posita a Theodoreto *Lib. VII. Cap.* 3., & ab Auctore Const. *Lib. II. Cap.* 57. dicta est: quæ ut plurimum decenti aliquo tegmine velata erat, uti ex Athanasio constat Apologia 2. ad Constantium scribente. *Quare qui throni Episcopali modo ornati vicem lamentantur* &c. Unde Augustinus Epistola ad Maximinum Donatistarum Episcopum Sedem Episcopi *Cathedram velatam nuncupat*.

§. VI. *De* Altari, *seu* Mensa Communionis.

XVII. Tribus prioribus Ecclesiæ Seculis a Patribus nonnisi Altaris nomen usurpatum reperire est; hinc S. Ignatius M. Origenes *Hom. X. alibiq.* & Irenæus *Lib. IV. Cap.* 34. vocabulo θυσιαστήριον utuntur; & Cyprianus, ac Tertullianus aram Dei, & altare vocant (25). Attamen ab quarto Seculo utrumque *Altaris*, & *sacræ mysticæ ac tremendæ mensæ* nomen promiscue adhibitum occurrit: præsertim apud Chrysostomum, qui & nonnunquam *mensam spiritualem*, *divinam*, *regiam*, *immortalem*, & *cælestem* adpellat: neque enim nomen mensæ simpliciter antiqui PP. usurparunt, sed singulari quodam addito epitheto, ut sacer ejus in Ecclesia Christiana usus indicaretur.

XVIII. Verum quidem est, quod ubi Gentiles fidelibus exprobrarunt nulla hos habere altaria, veteres Christiani Apologetæ id non negaverint, quin potius libere fassi sunt; at istuc nonnisi eo sensu intelligendum est, quod non haberent altaria ad idolorum cultum adcommodata, pro quibus Gentiles dimicabant; uti quoque negabant se habere altaria sensu Judaico ad offerenda in illis cruenta sacrificia. Pro Eucharistia autem, & incruento sacrificio altare se habere nunquam non professi sunt.

§. VII.

(23) *Naz. Carm. Jambico XXIII. & de Vita sua.*
Per vim *Secundis* collocat me in *Sedibus*
Presbyterum scilicet illum crearant.

(24) *Graphice sane id Nazianzenus* in Somn. Anast. binis distichis:
Sede Alta, haud alta consistere mente videbar.
Nam neque per somnum mente superbus eram.
Presbyterique graves *Sellis utrinque* sedebant
Demissis; ætas lecta, ducesque gregis.
Ergo postica Apsidis, seu bematis parte ad medium, altiore throno Episcopus, tum subinde demissioribus sellis Presbyteri considebant. Nam tum, non uti nunc fieri assolet, admodum fastigabant altaria sic, ut Episcopi, sacrique Senatus obtutum populo præpedirent. Certe Synesius Catastas. pag. 203. *Altare sic erectum olium innuit, ut facile posset circum iri* κυκλώσομαι τὸ θυσιαστήριον.

(25) *Cyp. Ep. XL.* Aliud Altare constitui, aut Sacerdotium novum fieri præter unum *Altare*, & unum Sacerdotium non potest. *Idem Ep. LXIII. & XLII. Tertull. ad Uxorem Lib. I. Cap. 7.* Aram enim Dei mundam proponi oportet. *Idem alibi.*

§. VII. *De materia, ac forma Altarium in veteri Ecclesia.*

XIX. Quamvis Decretum Sylvestro Papæ tributum, quo altaria omnia de lapidibus extrui debere decernitur, ceu suppositiium vulgo ab eruditis rejiciatur; attamen negandum non est a Constantini ætate cum splendidis, ac magnificis templis lapidea quoque altaria originem sumsisse. In Africa quidem, & Ægypto usque ad V. Seculum lignea altaria in usu fuere, uti constat ex Athanasio, & Augustino (26). Verum in Oriente exeunte Seculo IV. Gregorii Nysseni (27) testimonio altaria ex lapide jam construi cœperant. Tandem nonnisi anno DIX. primum generale Decretum in Gallia in Concilio Epaonensi editum habemus *Can. XXIII.* ut *Altaria nisi lapidea unctione non sacrentur*.

XX. Jam vero ex quo tempore materia mutata est, forma quoque mutari cœpit; namque quum antea mensarum tantum similitudinem efferrent, postea ad aræ figuram propius accessere; sic ut vel uni tantum columnæ superjacerent, vel quadro superposita ædificio tumuli formam referrent, uti plura etiamnum Romæ, alibique conspiciuntur.

§. VIII. *Antiquitus nonnisi unum Altare in singulis Ecclesiis.*

XXI. Hinc illud Ignatii ad Philad. *n. VI. Unum altare, unus Episcopus*: & Eusebius *Lib. X. Cap.* 4. altare in Templo Paulini in urbe Tyro *Unigenam aram* adpellat. Adhæc usque ad septimum Seculum constantem fuisse æque in Oriente, ac in Occidente Ecclesiæ morem, ut templi unius nonnisi unum altare esset, ex pluribus antiquis Patribus evidenter demonstrant Habertus, Pagius, & Lupus; nec ipse negat Cardin. Bona *Rerum Lit. Lib. I. Cap.* 14. nisi quod contendit ab Gregorii M. ætate contrariam praxim invehi cœpisse; quod de Ecclesia Latina duntaxat intelligendum est, quum Ecclesiæ Græcæ antiquum morem retinuerint (28).

XXII. Quinimmo Medus ex Justini M. Apologia II. & ex diversis Cypriani Epistolis colligit saltem tribus prioribus Seculis in tota quadam civitate, vel diœcesi nonnisi unum fuisse altare; licet forte multę minores ibi essent Ecclesię. Tum Lupus, & Pagius hunc morem intra Romę mœnia ad Innocentii I. tempora durasse autumant; hic enim Pontifex *Ep. I. ad Decent.* indicare videtur Presbyteros diversorum titulorum intra urbem diebus Dominicis de Pontificis altari sacramentum Eucharisticum ad se missum accepisse; quum ex adverso Presbyteri extra mœnia facultatem Eucharistiam consecrandi habuerint, *quia non longe portanda sunt Sacramenta*; at contra Mauritius, aliique viri docti Romanos titulos nunquam mysticis sacrę consecrationis mensis caruisse sentiunt. Fatendum omnino est istuc sacrę antiquitatis caput nimia esse obscuritate involutum;

(26) *Aug. Ep. L. ad Bonif. Athanas. Ep. ad Solit. Vitam Agentes. Optatus item Milevit. Lib. VI.* Quid referam vinum in mercedem sceleris datum? Quod, ut immundo ore, sacrilegis haustibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta est.

(27) *Greg. Nyss. de Baptismo Christi*: Altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis nihil differens ab aliis crustis lapideis.

(28) *Id non perinde accipias, ac si constans ea fuerit omnium Ecclesiarum praxis. Nam vel ante Gregorium M. Seculo quarto fuisse plura in quibusdam Ecclesiis Altaria, auctores sunt Paulinus Nol. atque Ambrosius. Hic Ep. ad Marcellinam Sororem:* Hæc, *inquit*, Altaria tenebo vitam obsecrans; sed pro Altaribus gratius immolabor. *Et paulo clarius* Ep. XXXIII. *ubi ait Milites ab Valentiniano Imperatore missos ad recuperandam Arianorum Ecclesiam* Altaria osculatos fuisse. *Certe non Altare Bematis; nam id præclusum turba, sed Navis Ecclesiæ. Ille autem Natali IX.* S. Felicis:

Spectant de superis Altaria lata fenestris,
Sub quibus intus habent sanctorum Corpora sedem.

tum; unde cum Hammondo (*) concludimus: *In re incomperta non est audacter nimis pronuntiandum. Dissert. Contra Blond. III. Cap. 7.*

§. IX. *De* Ciborio, *aliisque altaris insignibus, & ornamentis.*

XXIII. In splendidioribus quibusdam Ecclesiis altare conopeo quodam obtegebatur, quod ab ejus forma *turris* dici consuevit; tum quoque *Umbraculum*, & plerumque a Græcis *Ciborium*. Hoc in forma turriculæ erectum quatuor columnis ad altaris cornua exsurgentibus incumbebat, quorum capita maximis crateribus argenteis adornabantur pro usitato antiquis temporibus more. Suprema ciborii pars formam sphæræ referebat egregiis ornata floribus, unde aliquando *Sphæra, Lilia, & Malum* dicta est, supra quam stabat Crux. Tandem ad inferiora arcuum spatia vela explicata erant, dicta ut alia quædam *ἀμφίθυρα* ad contegendum totum altare.

XXIV. Præterea in aliquibus Ecclesiis mos introductus est, ut Spiritus S. sub effigie argenteæ columbæ super altare appenderetur, uti quoque & baptisteria eandem habebant imaginem: id ex Concilio Constantinopolitano anno 336. perspicuum est (29). Quod si quæras quo tempore cruces primum in Ecclesiis collocari cœptæ sint: respondeo fere totis quatuor prioribus Ecclesiæ Seculis in usu eas haud fuisse; omnes enim horum temporum Scriptores, ac in primis Eusebius, qui Ecclesias a Constantino erectas nimis accurate describit, Crucis in illis erectæ non meminere, etsi de crucibus in aliis locis publicis erectis crebro loquantur. Neque Chrysostomus, Augustinus, & Auctor Constitutionum materiatæ crucis faciunt mentionem; horum enim auctoritates, quæ vulgo adferuntur, nonnisi de transeunte, uti Theologi vocant, Crucis signo omnino intelligendæ. Primus Sozomenus crucis materiatæ, & in altari positæ, ceu praxeos sua ætate jam in usu meminit (30). Tum in Concilio Turonensi anni 567. ejusdem praxeos mentio occurrit. Etenim Can. III. sancitum reperitur, *Ut corpus Domini in altari, non in armario, sed sub crucis titulo componatur.*

XXV. Præterea Altaria semper decentibus

(*) *Recte enimvero Hammondus: Nec enim undecumque (ad Romanos Titulos quod spectat) Lupi, Pagiique sententiam fulcitam crediderim. Nam ut non abutar* Pii I. Epistola, *ex qua clare eruitur Euterpiæ, quem memoras, Titulum Altari non caruisse, quam Epistolam nec Blondellus, nec Salmasius ut commentitiam plane rejecerunt; locus certe* Athan. Apol. II. *idipsum subindicare videtur, ubi agens Ille de Conc. Romæ habito in Titulo Vitonis Presbyteri:* Episcopi, *inquit*, plus quinquaginta quo loco Vito Presbyter conventus agebat, ἔνθα Βίτων ὁ πρεσβύτερος συνῆγεν nos ad communionem, & Agapen admittendos statuerunt. *Advertesis τὸ συνάγειν, unde συνάξις verbum Ecclesiasticum, quod* Communionem *& Sacram Missæ* liturgiam *notat. Missa vero & Communio qui sine Altari celebrari poterat? At enim Romani PP. fermentum Titulis transmittebant consecratum, uti constat ex Syricio, atque Innocentio I. Esto. At Sanguinem non item. Ergo nisi dicas, Romanos Titulos perpetuo utraque communione caruisse, fatendum plane est in Altaribus Titulorum eum a Presbyteris consecratum. Quod etiam colligas ex pervetusto commentariolo incerti Auctoris ab Thomasio Card. edito apud Ciampin.* De perp. Azym. usu, *ubi quærens quid facto opus esset si absente Pontifice alius Episcopus in Titulis sacris operaretur, interjectis paucis respondet:* Deportatur a Subdiacono Oblationario particula fermenti, quod ab Apostolico consecratum est, & datur Archidiacono. Ille vero porrigit Episcopo, ut ille consignando, tribus vicibus, & dicendo: Pax Domini sit semper vobiscum, mittat in Calicem. *Hic calicem consecratum prius in altaribus Titularibus fuisse aperte colligitur. Sed de his alias.*

(29) *Conc. Constant. Actione V.* Quod Aureas, argenteasque Columbas Περιστέρας in figuram Spiritus S., longe supra divina *Baptisteria*, atque *Altaria* suspensa cum aliis (*Ecclesiæ thesauris*) suas effecerit. *Porro ab τῶν περιστερῶν* Columbis *e Ciborio pendentibus factum inde est, ut Ciboria ipsa* Peristeria *dicerentur, quod nomen corruptum antea, & depravatum in Raynerio post Dufresnium restituit Eruditissimus Mazochius; nam inscite jam pridem* Pyrasteria *illeverant amanuenses pro* Peristeriis.

(30) *Sozom. Lib. II. Cap. 3.* Huic (*Probiano*) ita sentienti Divina Visio Oblata Crucis signum ostendit, quod in altari supradictæ Ecclesiæ erat collocatum.

tibus quibusdam linteis cooperiebantur, uti ex Optato, Victore Uticensi (31), aliisque constat: quæ Pallæ quoque dictæ sunt; quæque plerumque ex pretiosiore materia confecta erant. Theodoretus de Constantino narrat, quod Ecclesiæ Hierosolymitanæ recens a se ædificatæ *Altare regalibus velis aureisque donariis gemmarum fulgore distinctis ornaverit* (32).

§. X. *De* Oblationario, *&* *de* Diaconico.

XXVI. In plerisque Ecclesiis juxta mensam sacram locus quidam erat, seu parva mensa populi oblationum receptaculum; unde panis, & vinum super altari consecrandum sumebatur. In liturgiis Chrysostomi, & Jacobi, aliisque Græcorum ritualibus Libris Πρόθεσις, & παρατραπέζιον vocatur. In Ordine Rom. itidem dicitur *Oblationarium*, *Prothesis*, & *Paratorium*. Jam vero licet hæc nomina in nullo antiquiore Scriptore inveniantur; attamen res ipsa perspicue deprehenditur. Namque Cyprianus, Concilium Carthag. IV. & Paulinus (33) loci recipiendis Populi oblationibus destinati meminere; quem *Corbam*, *Sacrarium*, & *Secretarium* nuncuparunt.

XXVII. Non longe ab altari intra Bematis limites erat quoque locus, quo Diaconi paulo ante quam Sacrum ministerium inchoaretur, vestimenta, vasa, aliaque altaris utensilia ex majore Diaconico deferebant, ut ad sacram liturgiam in promtu essent: quo respectu *Scevophylacium*, sive *Sacrorum vasorum custodia* dici consuevit; tum quoque *Diaconicum*, eo quod Diaconi plerumque ejus curam habebant: & *Bematis Diaconicon* ut a majori Diaconico, de quo mox agemus, distingueretur. Hic Sacerdotes sacras vestes induebant, ibique completo sacro ministerio easdem exuebant: id ex Paulino constat, & ex Liturgiis Jacobi, Marci, & Chrysostomi (34); quæ pariter precum formulas exhibent hoc in loco a Sacerdotibus adhiberi jussas; quarum una speciatim in Liturgia Jacobi sic inscribitur, *Oratio quæ dicitur in Sacrario*, *postquam dimissus est populus*.

XXVIII. Diaconicum quoque dictum fuisse spatium illud Bematis quod ab Altari ad cancellos excurrebat, auctorem habeo Dufresnium, aliosque. Sane vero id totidem verbis testatur Simeon Thessalonicensis in Libro *De Templo*, ubi nefas Diaconis esse dicit *in Synthrono consistere*, i. e. ut ego puto, trans Vela Ci-

(31) *Optat. Lib. VI.* Quis fidelium nescit, ligna (*Altaria innuens, quæ antiquis lignea fuisse supra diximus*) linteamine cooperiri? inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum. *Victor item de Persequut. Vand. Lib. I.* Mittit Proclum quendam in Provinciam Zeugitanam, qui coarctaret ad tradendum mysteria divina, vel Libros, cunctos Domini Sacerdotes, ut primo armis nudaret, & ita facilius inermes hostis callidus captivaret. Quibus se non posse tradere clamantibus, ipse rapaci manu cuncta depopulatur; atque de Pallia Altaris (proh! nefas) camisias & femoralia faciebat. *Hic vides* Pallam *dici quidquid erat* Panni, *quod totum Altare contegebat, quod nominis sequutis temporibus eam modo* Pallulam *notavit, quæ calici cooperiendo usui est. Hæc porro Vela Serica ut plurimum erant, ex Palladio.*

(32) *Theodoret. Lib. I. Cap. 31. Quamvis, quæ memorat ibi* Vela *Theodoretus, fortassis non tam* Mensæ, *quam* Conopei, *seu Ciborii velamina erant, quæ ab columnellis Ciborium succolantibus utrimque dejecta pendebant, quæque per plicas repetitas in unum tum subito coarctabantur, quum jam consecrationi operatum erat. Vide superius dicta* §. VII.

(33) *Cypr. de Opere, & Eleemosy. Conc. Carthag. IV. Can.* 93. Oblationes dissidentium Fratrum neque in Sacrario, neque in Gazophylacio recipiantur. *Paulinus Epist. XII. ad Severum ejus loci meminit, quamvis nomen reticeat:*

Hic locus est, Veneranda penua quo conditur, & quo
Promitur alma sacri pompa ministerii.

(34) *Liturg. Marci:* Sacerdos orat in *Diaconico*, hoc est, Sacrario, seu Sacristia, dicens: *ὁ ἱερεὺς εὔχεται ἐν τῷ διακονικῷ λέγων. Liturgia Chrysost.* Sin autem est Diaconicus, ipse facit, *ὁ δὲ ἱερεὺς ἀπέρχεται ἐν τῷ σκευοφυλακίῳ.* Sacerdos autem abit in Vestiarium, & se ipsum exuit, ter dicens.

Ciborii, seu altaris, quod sellæ Presbyterorum per semicirculum cingebant, contra vero iisdem, ut sederent, locum fuisse datum ait in *Diaconico*, i. e. cis Vela Ciborii: quippe id eorum munerum ratio postulabat, ut facile hinc eis progressus esset ad laterales Bematis concubulas, Prothesin, & Sacrarium. Ceterum ut hæc vera sint, frequentius tamen τὸ διακονικὸ vocem pro priori significatione acceptam in Antiquis reperies.

CAPUT III.

De baptisterio, aliisque exterioribus Ecclesiarum Ædificiis.

§ I. Baptisteria *olim Ædificia admodum ampla, & ab Ecclesia distincta.*

I. Baptisteria, quæ & φωτιστήρια *loca illuminationis* antiquitus dicta sunt, ædificia fuisse videntur olim ab Ecclesiis distincta. Et sane Eusebius *Lib. X. cap.* 4. Templum in Urbe Tyro describens Exedras, & Ædes amplissimas memorat sibi invicem ad latera ipsius Basilicæ conjunctas; inter quas Baptisterium præcipuum habuisse locum innuit. Adhæc Baptisterium peculiare per se ædificium fuisse ab Ecclesia discretum evidentius probant Paulini Nolani, Cyrilli Hierosol., Sidonii Apollinaris, Augustini, aliorumque perspicua Testimonia, ac præsertim Cyrillus *Cathec. Myst. I. num.* 2. *& II. num.* 1. in Baptisterio distinguit inter προαύλιον οἶκον *porticum*, seu *vestibulum*, in quo cathecumeni renuntiabant Satanæ, fidemque profitebantur; & ἐσώτερον οἶκον *interiorem domum*, ubi Baptismi ceremonia peragebatur. Justinus quoque M. & Tertullianus (1) de loco Baptismi loquentes eum extra Ecclesiam fuisse indicant. Igitur ab primis extructis Ecclesiis ad VI. usque Seculum mos viguit, ut Baptisterium extra Ecclesiam esset. VI. primum Seculo Baptisteria in Ecclesiam ipsam transferri cœpisse demonstrat Durantus ex Gregorio Turonensi, aliisque (2).

II. Hæc Baptisteria olim valde ampla erant (3) tum quod magna plerumque multitudo simul ad Baptismum accederet, tum quod per immersionem hoc Sacramentum antiquitus conferretur. Hinc μέγα φωτιστήριον *magnum illuminatorium*, & aula Baptismatis aliquando dicitur; adhæc & Concilia nonnunquam in

(1) *Tertull. De Corona Milit. Cap. III.* Aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. *Item Justinus Apol. II.*

(2) *Gregor. Turon. Hist. Franc. Lib. I. Cap. 19. n. IV. tum etiam Lib. VI. Cap.* 11. Baptisterium ad ipsam Basilicam ædificari præcepi. *Fuit tamen id nostræ Cathedralis Neapolitanæ proprium, ut ultra VI. Seculum ad XIII. usque bina Baptisteria extra Ecclesiæ muros more majorum haberet. Nam quamdiu vetus Stephania ab Stephano II. Seculo VIII. erecta perduravit (duravit autem ea Cathedralis ad annum fere MCCCV.) bina habuit Baptisteria, alterum sic dictum* Majus *ab Sotera V. Seculi, alterum* Minus *ab Vincentio VI. Seculi Neapolitanis Episcopis constructa, ut colligitur ex Joan. Diacona apud Muratorium* Scriptorum Ital. Tom. I. p. 2. *Quoniam autem ad manus est Joannis locus, non pigeat hic adnotare inter utraque Neapolitana Baptisteria, medio intervallo, ædificium quoddam fuisse ab eodem Sotero extructum, quod Joanni nostro* Consignatorium Albatorum *dicitur, quippe quod dextra parte perforatum recens baptizatos excipiebat ab Episcopo ibidem confirmandos. Quod quidem* Consignatorium *nescio, an cuiquam præterea Ecclesiæ commune fuerit. Certe Dufresnius in ejus nominis natione unum habuit Joannem, quem citaret.*

(3) *Quia, uti Templa, varii operis, elegantisque structuræ. Aut enim* octogona *erant, ut Fons pervetustus S. Theclæ Mediolani, cui Ambrosius inscripsit.*

Octo-

in eo habita fuisse demonstrat ex Actis Concilii Chalcedonensis Dufresnius, & ex Actis Concilii Carthag. Suicerus (4).

§. II. *De Differentia inter Baptisterium, & Fontem.*

III. Quamvis nomina hæc aliquando inter se confundantur; attamen proprie loquendo *Baptisterium* totum ædificium erat, in quo fons, sive aquarum receptaculum erat, quibus homines abluebantur, ut sic per aquam, & Spiritum S. peccatorum expiationem consequerentur. Hæc a Græcis communiter κολυμβήθρα, & a Latinis *Piscina* (*) dicitur, & aliquando a baptisterio, ceu Pars a toto distinguitur. Unde a Socrate *Lib. VII. Cap.* 17. κολυμβήθραν τοῦ Βαπτιστηρίου *Alveus baptisterii* nuncupatur: tum apud Ecclesiasticos Scriptores aliis quoque nominibus donatur; uti ὑπονόμων, *natatoriæ*, *lavacri*, & *cloacæ*.

IV. Illud hic liceat subnectere, olim nonnisi unum baptisterium in singulis Diœcesibus fuisse, illudque in Ecclesia Episcopi. Vicecomes *Lib. I. de Ritibus Baptismi Cap.* 8. id in ipsa Urbe Roma per plura Secula obtinuisse existimat. Nec aliquid obstat, quod scribit Auctor Libri Pontificalis Damaso tributi; nimirum Marcellinum Papam viginti quinque titulos in Urbe distinxisse propter Baptismum, & Pænitentiam multorum, qui conversi sint ex paganis; namque eruditis satis explosa est hujus Auctoris fides; & quamvis Ecclesiarum titularium in urbe Roma divisio ex antiquis monumentis satis constet, at non æque exploratum est ejusmodi Ecclesias Baptisteria habuisse. Pisis, Bononiæ, Florentiæ, aliisque

Octachorum sanctos Templum surrexit in usus,
 Octogonus Fons est munere dignus eo.

Aut Hexagona, *quam formam Parmense adhuc, atque Aquilejense retinent; aut* Turrita, *sicuti Paulinianum* Epist. ad Sev. XII.

Iste duas inter divini culminis aulas
 Turrito Fontem tegmine constituit.

Plerumque tamen Rotunda, *cujusmodi unum Florentiæ adhuc visitur, nec non Barii in Apulia, ut iam de nostris non sileam, quod licet intrinsecus sit* Duodecagonum, *extrinsecus certe* Rotuntum *est, ac dignum sane, quod Barienses antiquo, sed tamen vernaculo tum sibi sermone,* Trullum *Duodecim Apostolorum adhuc dicant; quod in duodecim ejus lateribus antiquæ XII. Apostolorum imagines conspiciantur. Erat autem Costantinopolitanis* Τρῦλλος, *aut etiam* Τρῦλλα *Ædificium concameratum, ac σφαιροειδὲς, uti ædes illa Imperialis, in qua coactum Concilium ob id* Trullanum *audiit. Jam vero Bariensis hic Trullus, non secus ac cetera Baptisteria, Ecclesiæ erat attiguus, sic tamen, ut in eam adisus pateret per partam e regione Ambonis positam, quo ascendens Diaconus Sabbato Majoris Hebdomadæ* Exultet *canebat, ut ita audiendo Catechumeni essent. Opus vero omnino IV. Seculi fuit, ut ex* Chronico Bariensium *Ep. constat, Piscinam in medio habens sat amplam, ac Conchas duas Eoi marmoris; altera, qua feminæ, altera, qua mares mergebantur, honestatis caussa. Tandem paucis abhinc annis consilio, atque opera Archiepiscopi Primatis Mutii II. Gaeta totum id ædificium in Canonicorum Bariensium Aulam concessit. Hæc omnino nesciissem, ni me edocuisset humanissimus, idemque eruditissimus Alexander M. Kalefatus ejus Ecclesiæ Primatialis Canonicus, Regiusque S. Theologiæ Professor: uti illud quoque ab* IX. *ad* XII. *usque Seculum undena co in Trullo Provincialia Concilia celebrata fuisse, quod ex* Chartis Bariensis Archivii *eruitur.*

(4) *Conc. Chalced. Act. I. Vide Dufresn. in Notis ad Paulum Silent.* Suic. *in voce* Φωτιστήριον *ex Actis Conc. Carthag.* Quum Sanctissimi Episcopi sederent ἐν τῷ Φωτιστηρίῳ in Baptisterio Sanctissimæ Ecclesiæ Costantinopolitanæ. *Cur vero* Φωτιστήρια *antiquis dicta, duplex fuit ratio. I. Quod Baptisma intrinsecus animum illustrabat, novaque luce mentem perfundebat. Hinc Baptismi locus dictus* Φωτιστήριον locus Illuminationis, *uti etiam ipsum Baptisma apud antiquos* Φώτισμα, *recens vero baptizatos* Illuminatos *dictos reperimus. II. Forte etiam id nomen Baptisteria nacta sunt, quod Schola essent, institutio, atque adeo* Illuminatio *Catechumenorum, quum inibi Episcopi Symbolum fidei Baptizandos edocerent. Hinc illud Ambrosii Ep. XXXIII. ad Marcellin.* Post lectiones, atque tractatum, dimissis Catechumenis Symbolum aliquibus Competentibus in baptisteriis tradebam Basilicæ.

(*) *Fons baptismalis plerumque Piscina dictus est, vel per allusionem ad Piscinam Bethsaidæ, vel per allusionem ad Christi nomen technicum* ἰχθὺς, *de quo alibi diximus, vel potius, quia Piscina Synonimon est Fontis.*

liisque etiam magnis Italiæ Civitatibus antiqua illa consuetudo adhuc perdurat, ut unum fontem pro tota civitate habeant; VI. Seculo Parœciis ruralibus Baptisteria primum concessa sunt, uti ex Conciliis Antissiodorensi, Medensi, Vernensi, aliisque colligere est (5).

§. III. *De* Secretario, *sive* Diaconico *Magno*.

V. Præcipuis Ecclesiæ Exedris communiter adnumeratum quoque est *Secretarium*, dictum quoque *Diaconicum Magnum*, ut a Diaconico Bematis, de quo alibi diximus, distingueretur. In hoc loco, cui nostræ ætatis *Sacristia* respondet, reposita erant vestimenta, vasa, instrumenta Altaris, aliæque res quævis pretiosæ Ecclesiis donatæ: quarum cura penes Diaconos erat sub præcipuo quodam Inspectore plerumque Presbyrero dicto *Cimeliarcha*, & *Scevophylace*, nomine sumto ab interiore Diaconici parte, quæ, observante Dufresnio, proprie *Cimeliarchon*, vel *Scevophylacium* dicta est.

VI. Adhæc ejus ędificium ut plurimum adeo spatiosum erat, ut cum tribunal Ecclesię suo ambitu contineret, (cujus intuitu Secretarium adpellatum est), adeout plura in eo celebrata sint Concilia, tum quoque carcer Ecclesiasticus, in quo sontes Clerici detinerentur, in eo quoque situs esset. Atque hoc respectu *Decateton*, vel *Decanicon* adpellari consuevit. Et sane hoc nomen pro carcere Ecclesiastico in utroque Codice, ac quibusdam Conciliis usurpari observant Dufresnius, Gothofredus, aliique (6).

§. IV. *De* Mitatorio, Gazophylacio, *&* Pastophoriis.

VII. Quidnam *Mitatorium* vel *Metatorium* fuerit gravis inter eruditos versatur controversia. Jacobus Goar censet potius legendum *minsatorium* a *μίνσ@* mensa; hinc cubiculum fuisse existimat ad latus altaris, in quo fessis a labore cantoribus mensa frugalis panis scilicet, & vini apponi consueverit. Dufresnius a *metato* deducit, ac Domum Ecclesiæ, id est ędituì fuisse autumat, in qua etiam Imperator, si luberet, antequam sacra peragerentur officia, vel iis finitis, & exactis moraretur. Suicerus Minsatorium quoque legit, nisi quod Tabula non ad cibos, sed ad alias res reponendas in Diaconico erecta ex ejus sententia fuerit. Verosimilius Musculus *Mutatorium* reddit, ac locum fuisse judicat intra Diaconici ambitum, ubi Clerici habitum suum mutaverint.

VIII. *Gazophylacium* locus erat a Corbona in Sanctuario distinctus, ubi omnes illæ Populi oblationes recondebantur, quæ ex Canonum præscripto ad altare haud offerendæ, sed potius domum Episcopi

(5) *Conc. Antissiodor. anno Æræ Christ. DLXXVII. Can. XVIII.* Non licet absque Paschæ sollemnitate ullo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina est, quos Grabatarios dicimus. Quod si quis in alio pago contumaciam faciente, post interdictum hoc infantes suos ad Baptismum detulerit, in Ecclesias nostras non recipiatur usque ad satisfactionem. *Conc. Meld. Can. XLVIII.* Ut nemo Presbyterorum baptizare præsumat, nisi in vicis, & Ecclesiis baptismalibus, ec. *Item Conc. Vernens. Can. VII.*

(6) *Gothofr. Comm. in Cod. Theod. Lib. XVI. tit. V. De Heret. Leg.* 30. Decanica.... præbuere usum quemdam carceria, & custodiæ Ecclesiasticæ. *Libellus Basilii Diaconi ad Theodosium in Conc. Ephes. P. I. Cap.* 30. Pars namque a ministris comprehensa, ϗ ἐν τῷ δικανικῷ atque in carceres Ecclesiæ abstracta. *Denique clariora bis habet Gregorius II. Pont. Ep. ad Leon. Isaur.* Pontifices non ita; sed ubi peccarit quis, & confessus fuerit, suspendii, vel amputationis capitis loco Euangelium, & Crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tamquam in carcerem in *Secretaria*, sacrorumque vasorum æraria conjiciunt in Ecclesia *Diaconica*, & in *Cathecumena* ablegant, visceribus ejus jejunium, oculisque vigilias, & laudationem ori ejus indicunt. *Ubi vides Ecclesiasticos Carceres* Diaconicum *fuisse, quod non* Decanicum *modo dicebatur, sed &* Catechumenia, *&* Secretaria.

piſcopi mittendæ judicabantur. Id ex Can. Apoſtolicis, & ex Syn. Carthag. IV. can. 93. colligimus (7).

IX. *Paſtophoria* quamvis nomen generale fuerit non modo gazophylacium, & Diaconicon includens, verum & cuſtodum, & miniſtrorum Eccleſiæ, ſive, uti vocabantur, Paramonariorum, Manſionariorum, & Martyrariorum domicilia: attamen ſpeciatim Eccleſiæ ædificia ſignificaſſe videntur ab utroque Eccleſiæ latere ad extremitatem orientalem conſtructa: ita Auctor Conſtitutionum, *Lib. II. Cap.* 17. qui & alibi inſinuat reliquias Euchariſtiæ poſt virorum, & mulierum communionem eo a Diaconis inferri debuiſſe (8).

§. V. *De* Scholis, Bibliothecis, *aliiſque Eccleſiæ contiguis Ædificiis*.

X. Eccleſias antiquitus ſaltem præcipuas, ſuas ſibi addictas habuiſſe Bibliothecas & ante, & poſt redditam Eccleſiæ pacem plurima veterum Eccleſiarum monumenta demonſtrant. Et ſane Bibliothecam Hieroſolymitanam ab Alexandro Ep. conſtructam memorat Euſebius (9), Cæſareenſem Julius Africanus, & Hieronymus *Catal. Script. Eccleſ. Cap. LXXV.* Cirtæ Juliæ Conſtantinæ in Numidia *Geſta Purgat. Cæciliani*, Hipponenſem Auguſtinus *De Hæreſ. Cap. LXXX.* Romanam Baſilius, aliique alias. Ceteris vero longe præſtabat Sophiana, quam a Conſtantino fundatam ſequentes Imperatores, ac præſertim Theodoſius junior plurimum auxere: adeo ut non minus centum viginti millia librorum complexa ſit Baſiliſco, & Zenone imperantibus; quando civitate in populari tumultu incenſa, ædificium cum omnibus libris infeliciter conflagravit. Vide Hoſpin. *de Templ. Lib. III. Cap. VI.*

XI. Scholas quoque prope Eccleſias non modo Cathedrales, verum & rurales fuiſſe conſtructas ad docendum puerulos litteras ex binis Concilii Conſtantin. Canonibus colligitur (10). Quinimmo grammaticas, rhetoricas, ac ſubliniores quoque ſcientias in præcipuarum quarundam Eccleſiarum Scholis fuiſſe traditas ex obſervatione, quam de Juliani Apoſtatæ educatione habet Socrates (11) manifeſtum eſt, quod videlicet, ubi adoleviſſet, Conſtantinopoli liberalibus diſciplinis ſit inſtitutus in Baſilica, ubi tunc Scholæ erant. Adhæc celebriores ſunt in Eccleſiaſtica Hiſtoria Alexandrinæ Eccleſiæ Scholæ, quibus Panthænus, Clemens, Origenes, aliique erudıtiſſimi viri præfuere. Jam vero ubinam hujuſmodi poſitæ fuerint Scholæ, num in baptiſteriis, an vero in aliis Eccleſiæ Exedris non eſt facile ſtatuere, quum a nullo antiquorum exacte definitus earum locus tradatur.

XII. Tandem Eccleſiis contigua quoque fuiſſe, tum Clericorum, ac præcipue Janitorum Domicilia, tum Ædes ad pauperum, & peregrinorum uſum, tum deni-

(7) *Præter frumentum, ſpicaſve grani, atque oleum, quidquid reliquum erat oblationum, totum id non Corbonæ, ſed Gazophylacio committebatur, ut teſtantur Canones Apoſtolici* Can. IV. & V.

(8) *Conſt. Ap. Lib. VIII. Cap.* 13. Poſt communionem omnium tum virorum, cum mulierum, ſumant Diaconi reliquias, & inferant in Paſtophoria.

(9) *Euſeb. Lib. VI. Cap.* 20. Exſtant (*Epiſtolæ*) noſtra quoque ætate in Bibliotheca Æliæ Urbis ab Alexandro Eccleſiæ illius Epiſcopo conſtructa. Ex qua nos uberrimam materiam ad argumenti hujus, quod præ manibus habemus, tractationem in unum collegimus.

(10) *Conc. Conſtantinopolitanum Can. V. apud Crabium:* Presbyteri per icos, & Villas Scholas habeant. Et ſi quis fidelium ſuos parvulos ad diſcendas litteras eis commendare vult, eos non renuant ſuſcipere. Nihil autem ab eis pretium exigant .... excepto quod eis parentes eorum caritatis ſtudio ſua voluntate obtulerint. *Et deinceps ibidem Can. IV. Scholas Eccleſiis, aut Cœnobiis attiguas memorat*. Si quis, *inquit*, Presbyter voluerit nepotem ſuum ad Scholas mittere in Eccleſiis Sanctorum, aut in Cœnobiis, &c.

(11) *Socr. Lib. III. Cap.* 1. Julianus vero ubi adoleviſſet, Conſtantinopoli liberalibus diſciplinis eſt inſtitutus in Baſilica, ubi tunc Scholæ erant, ſimplici habitu procedens.

denique deambulatorios recessus discimus ex Eusebio, Cod. Theodosiano (12), aliisque antiquis Scriptoribus.

§. VI. *De Organis*, *&* *Campanis*.

XIII. Organorum usum in Ecclesias nonnisi exeunte Seculo XIII. fuisse invectum pluribus demonstrant Cajetanus Navarrus, & eruditus Warthonus. Quamvis enim jam inde ab Seculo VIII. in Occidentalibus Regionibus, ubi prius erant ignota (13), in usu esse cœperint; attamen nonnisi in aulis Imperatorum adhibebantur. Et sane S. Thomæ Aquinatis ævo nondum in Ecclesias erant inducta, uti ipse testatur 2. 2. quæst. 91. art. 2. Auctor quidem Pontificalis, & Platina eorumdem inventionem Vitaliano Papæ adscribunt; at horum adversus perspicua veterum testimonia exigua admodum ratio est habenda: profecto non modo mox laudatus Aquinas, verum & Chrysostomus Personatus *in Psalm. CLIX.*, Justinus (14), & Theodoretus *in Psal. XXXIII.*, & Seculo XI. S. Aelredus Abbas Rievallis S. Bernardi Synchronus, & discipulus organa Judæis propter inertiam, socordiam, & languidum eorum animum concessa, a Christianis haud adhibenda docent; quum ipsis loco organorum corpore uti liceat, ubi singula hominis membra ea faciant, quæ Deo gloriam, & laudem adferunt. Illud hic liceat subnectere, Organa in Ecclesias Græcas nunquam fuisse recepta, quum nulla horum mentio in cunctis ipsorum Liturgiis sive antiquis, sive novis occurrat.

XIV. Quod ad Campanas spectat, illarum usus adeo antiquus non est: namque tribus prioribus Ecclesiæ Seculis nonnisi secreta quadam ratione fidelium ad conventus Ecclesiasticos convocatio fieri oportuit, de qua nihil certi ab ejus ævi Scriptoribus constat. Tum sequentibus Seculis, vel Tubæ sonitus videtur adhibitus, vel Mallei pulsus, præsertim in monasteriis pro nocturnis conventibus; unde ab Cassiano, Palladio *Hist. Lausiac. Cap. CIV.* & Moscho *Signum nocturnum*, & *malleus excitatorius* nuncupatur. In monasterio Virginum Hierosolymis a Paula Rom. erecto signum dari solebat ab obeunte quadam, & cantante *Halleluiah*,

(12) *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XLV. L. 4. At expressius Eus. Vit. Constant. Lib. IV. Cap.* 59. Cujus (*Templi*) ad latera porticus erant sibi invicem conjunctæ: quæ aream in medio sitam una cum ipso Templo circumcingebant; præterea *Basilicæ*, *Lavacra*, *Diversoria*, & alia plura *Habitacula* ad usum eorum, qui locum custodiebant. Basilicas *hic domus Ecclesiis*, *seu Basilicis attiguas*, *non autem alias rursus Ecclesias*, *aut Palatia intellige*. Lavacra *vero cavesis pro* κολυμβήθρα *Baptisterio accipias*, *sed pro Balneis ipsis*, *quod expresse edicit Theod. in cit. L.* 4. *Nam &* Balnea *&* Hortulos, *ut loquitur Imperator*, *privatis Ecclesiasticorum usibus destinatos*, *habebant Ecclesiæ*.

(13) *Ante VIII. Seculum Organum occidentalibus plane incompertum non fuisse testem do Augustinum in Ps. LVI.* Organum, *inquit*, dicitur, quod grande est, & inflatur follibus. *Tum Isid. Hisp.* Lib. II. Orig. Cap. 20. *Quæ tunc quidem temporum privatorum fuerint necesse est, siquidem nullus iis locus in Ecclesiis datus, donec tandem in XIII. Seculi Templa concessit. Quamvis sunt, qui hoc spatium contrahant, eoque ab usque XII., ac fortasse etiam X. Seculo maxime in Angliæ, Galliarumque Monasteriis increbuisse credant, quod ex Aelredo Rievallensi, & Petro Cluniacensi probat Franc. Xaverius Zech* Diss. de Campanis, & Instrumentis Musicis. *Ad hæc Changio Chartæ aliquot ab* Ughellio *relatæ* Tom. V. pag. 604. *citantur e quibus Veronensem Ecclesiam Carolo Magno imperante Organum habuisse colligitur. Ac, quod plane mireris, Venantius Fortunatus* in Vit. S. Germani *Parisiensem Ecclesiam Organa habuisse testatur his carminibus*:

. . . . Exignis attemperat *Organa* cannis,
Inde ructat ab ore tubam..

Hæc Organi descriptio adprime cum nostratibus quadrat, quæ accepta per plumbeas Cannas, ut ajunt, e follibus anima sonum edunt varium. Floruit autem Fortunatus VI. ad finem vergente Seculo. Jam tum ergo, ac subinde VIII. Christi Seculo, quod vult Changius, Organorum vestigia in aliquibus saltem Ecclesiis visuntur. Videsis Grancnlam in Comm. Hist. in Breviar. Rom. *Emman. De Azevedo Diss.* De Cantus Eccles. Orig. & forma.

(14) *Justinus Quæst. & Resp. ad Orthodox. Quæst. CVII.* Simpliciter canere insipientibus non convenit, sed instrumentis inanimatis, & crotali cum saltatione canere. Quocirca in Ecclesiis non usus carminum per ejus generis instrumenta, & alia insipientibus congruentia receptus est, sed *simplex Cantio* in eis manet.

lelujah, *Hieron. Epist. XXVII.* In aliis orientalibus regionibus lignorum percussio in usu erat, uti ex Actis Synodi Nicænæ II., Theodoro Studita, aliisque demonstrat Bona, *Rer. Lit. Lib. I. Cap.* 22. Nonnisi anno 865. primum in Oriente Campanæ visæ sunt, quando Ursus Patriciacus eas dono misit Michaeli Imperatori, qui eas in Turri Sophiana collocavit.

XV. Quod vero ad primam earum originem spectat, profecto vulgaris error est eam Paulino Nolano Ep. adscribendam, quum ipse Nolanæ Basilicæ partes in XII. ad Severum Epistola exactius describens nullam Campanarum, vel Turris campanariæ faciat mentionem; adhæc nullus ante Bedam campanas memorat (15). Jam vero uterque hic Scriptor Seculo VII. vixit. Igitur non multo ante inter Christianos sive tintinnabula, sive campanæ in usum venerant; cur vero Campanæ dictæ sint, fortasse illud in caussa fuit, quod in Campania primum inventæ sint (16).

(15) *Quamvis & has*, Nolas *inquam*, *minora tintinnabula jamdudum etiam profanis Scriptoribus memoratas reperio*, *licet nullis Ecclesiasticis usibus destinatas*. *Profecto* Avienus Festus, *de quo meminis Serv. in* X. Æneidum Virg. *Gratiano*, *& Theod. imperantibus*, Fab. VII. de Cane, & Rustico *hæc habet*:

Hunc dominus, ne quem probitas simulata lateret,
Jusserat in rabido gutture ferre *Nolam*.

Notum est Adagium Quintiliani Lib. VIII. Cap. 6. In triclinio Choa, in cubiculo Nola. *Quod eo adnotavimus*, *ut penitus fabula de S. Paulino Ep. Nolano Nolarum inventore explodatur*, *quum meminerint omnes*, *jam multo ante Paulinum Fabii Quintil. avo Nolæ & nomen*, *& notionem increbuisse*. *Vide posthumam Pogii Dissertationem*, *ut &* Roccum De Campanis.

(16) *Aut fortasse etiam inde dictæ*, *quod ibi in Campania facilior atque accuratior modus inventus sit Campanas suspendendi*, *æquilibrandique*. *Hinc apud sequioris Græciæ Scriptores*, *cum hæc vox eos quoque pervasit*, κάμπανος *pro* Statera *audiis*, καμπανίζειν *pro* Statera ponderare. *Apud* Achmen. Oneirocrit. Cap. XV. Ζυγὸς *Statera* ὁ λεγόμενος κάμπανος. *Vide Joann. Meursium* Gloss. Græco-Barbaro, *ubi plura in hanc sententiam congeruntur exempla*.

CAPUT IV.

DE DIVERSIS ANTIQUARUM ECCLESIARUM ORNAMENTIS, AC PRÆCIPUE DE ANATHEMATIS, ET IMAGINIBUS.

§. I. *De* Anathematis.

I. QUamvis vox *Anathema*, ut plurimum homines exsecratos, & a fidelium cœtu segregatos etiam antiquitus significaverit, attamen interdum etiam res Deo sacras, Deique cultui dicatas denotasse constat. Hinc Ecclesiarum ornamenta sive in ipsis structuris, sive in vasis, & utensilibus generali nomine Ἀναθήματα dicta sunt. Non desunt sane, qui inter Ἀναθήματα & Ἀναθέματα distinguant; verum recte observante *Suicero* veteres utroque vocabulo sive ad res Deo dicatas, sive ad res exitio destinatas promiscue usi sunt. Hinc Ἀναθήματα Lucæ Euangelistæ Cap. XXI. *Donaria*, & *Ornamenta* dicuntur; & Eusebius *Lib. III. de Vita Constant. Cap.* 38. Ecclesiam Hierosolymitanam describens tum maximos crateres argenteos, quibus columnarum capita ornabantur, pulcherrimum Imperatoris ἀνάθημα vocat; tum paulo post subnectit: *dici non posse quot quantisque ornamentis* ἀναθημάτων *partim ex auro*, *& argento*, *partim ex gemmis templum illud Imperator venustarit*. Theodoretus quoque & Sozomenus instrumenta Altaris, pretiosas Episcoporum vestes, ac reliqua hujus generis Ecclesiarum Ornamenta ἀναθήματα adpellant.

II. Verum sensu strictiore ἀναθήματα dicta sunt ea donaria, quæ a Columnis pendebant magnæ alicujus gratiæ, quam quis a Deo consecutus esset, monumenta. Atque hinc fortasse factum est, ut vox

vox *ἀνάθημα* pro ſententia excommunicationis uſurparetur, quod hominis cujuſdam condemnatio, veluti in columna publice propoſita omnium oculis ſubjiciatur. Seculo V. medio Symbolicas acceptarum gratiarum repræſentationes jam in uſu fuiſſe conſtat ex Theodoreto, qui in VIII. Sermone ad gentiles de martyribus hæc habet: *Quod votorum compotes fiant, paſſim teſtantur illorum donaria curationem indicantia. Alii enim oculorum, alii pedum, alii manuum ſimulacra ſuſpendunt, ex argento, auroque confecta* (1).

§. II. *De Inſcriptionibus Eccleſiarum Parietibus appingi ſolitis.*

III. Inter Eccleſiarum ornamenta recenſendæ quoque ſunt Inſcriptiones elegantes, & adcommodatæ parietibus inſcriptæ, præſertim e Sacris litteris depromtæ. Hæ admonitionem quandam continebant, vel omnibus, & ſingulis generatim, vel illi duntaxat hominum ordini, qui in peculiari Eccleſiæ parte, ubi inſcriptæ erant, ſtationem habebant, adcommodatam. Hinc ex Ambroſio in Virginum loco inſcribi conſuevit illud S. Pauli: *Diſcrimen eſt uxorem inter, & virginem; quæ non eſt nupta cogitat quæ Domini ſint, quomodo ſit Sancta corpore, & ſpiritu.* Adhæc & Inſcriptiones ab hominibus compoſitas in diverſis Eccleſiarum partibus affigi conſueviſſe, patet ex Paulino, Sidonio Apollinari, aliiſque. Plures ejuſmodi Inſcriptiones hic produci poſſent; binas tantum ex Paulino decerptas apponemus inferne (2).

§. III. *De interioris Tecti exornatione.*

IV. Interius tectum, quod *Camera* antiquitus dictum eſt, duplici potiſſimum modo exornari conſuevit: nimirum vel opere vermiculato, ſive muſivo, & teſſellato, vel lacunato tectum dividente in varia interſtitia; architectis *Laquearia*, ſive *Lacunaria* a lacu dicta, quorum alia rotunda, quadrata alia erant, ligno, vel gypſo, vel coloribus a ſe invicem diſtincta, & vel inaurata, vel picta prout ingenium humanum illa effinxerit. Ædem Sophianam opere muſivo, Hieroſolymitanam vero a Conſtantino conſtructam opere lacunato fuiſſe exornatam auctor eſt Euſebius *Lib. III. de Vita Conſtant. cap.* 36. Aliquando idem Templum utroque opere fulgebat, uti Nolanum Paulini, cujus *Apſidem ſolo, & parietibus marmoratam, Camera muſivo illuſa clarificabat; totum vero extra concham Baſilicæ ſpatium alto, & lacunato culmine geminis utrimque porticibus dilatabatur. Ep. XII. ad Sever.*

§. IV. *De Imaginibus.*

V. Prioribus Eccleſiæ Seculis quum adhuc vigeret Ethnica Superſtitio, ne rudes Gentiles recens ad Chriſti fidem converſi aliquid inde traherent offenſionis: veluti ne Sacras imagines pro Idolis, quibus erant adſueti, venerarentur, prudenti quadam οἰκονομίᾳ raro ſanctorum effigies in Eccleſiis adhibitæ ſunt: eo ſane conſilio, quo priori Decalogi præcepto omnes

(1) *Sed & paulo ante ſub finem IV. Seculi nec inter ipſos Occidentales inſolens erat ſacer* ἐκτυπωμάτων *uſus*. Paulinus Nat. III. *binis verſibus, ex iis quos deſideratos jampridem Muratorius edidit, id adprime innuit:*

Alma dies magnis celebratur cœtibus, omnes
Vota dicant ſacris rata poſtibus, omnia gaudent,

En ἐκτυπωμάτων Sacrarum Tabellarum *teſtatiſſimum exemplum Nolanæ S. Felicis Eccleſiæ poſtibus* dicatarum. *Votum enim* Ratum dicare *eſt ſuſpendere.*

(2) *Alterum diſtychum ad frontem Valvarum Eccleſiæ:*

Pax tibi ſit, quicumque Dei penetralia Chriſti
Pectore pacifico candidus ingrederis.

Alterum interiori forium lateri inſcriptum:

Quiſquis ab Æde Dei, perfectis ordine votis,
Egrederis, remea corpore, corde mane.

omnes prorsus imagines Judæis veritas docuit Tertullianus in *Libro de Idololatria cap.* 3. ubi scribit: *Propter hanc caussam, ad eradicandam scilicet materiam Idololatriæ Lex divina proclamat : Ne feceris Idolum* . Ceterum ubi demum Ecclesia Christiana libertate adepta de nefanda Dæmonum religione veluti triumphum egit, subito in usu Sacras Imagines fuisse, & quidem universali Ecclesiæ consuetudine probatas dubitandum non est.

VI. Jam vero neque tribus Ecclesiæ Seculis Sacræ Imagines prorsus fuere inusitatæ. Cui rei demonstrandæ firmissimum æque, ac expressissimum præbet argumentum memorandum illud, quod narrat Eusebius *Lib. VII. Cap.* 18. de muliere Syrophœnissa sanguinis profluvio laborante, & a Christo Domino sanata : quam ille refert ad ejus beneficii propagandam memoriam æream Statuam erexisse in honorem Salvatoris, quæ Cæsareæ Philippi adhuc Eusebii ætate visebatur : cui & miraculum accessit *Herbæ cujusdam novæ, & inusitatæ formæ, quæ ad pedes statuæ pullulans, ubi ad pallii, quod in Statua effigiatum erat, fimbriam excreverat, morborum genera omnia curabat :* tum circa eandem ab Eusebio narratam historiam addit Sozomenus *Lib. V. cap.* 21. nimirum, quum æream illam Christi Statuam Juliani Imperatoris ævo Gentiles ignominiose tractam confregissent, Christianos ejus frusta collegisse, & in Ecclesia reposuisse, ubi *hodieque* (scribit Sozomenus) *adservantur*.

VII. Hinc plura constant 1. Imaginum usum, (nam de cultu alibi) fuisse Ecclesiæ pene coævum.

2. Miraculum illud herbarum ad pedes Statuæ pullulantium aperte demonstrare non esse damnandas, neque divina lege interdictas.

3. Quarto exeunte Seculo Christianos adeo ab Imaginibus non abhorruisse, ut eorum fragmenta ab Ethnicis dispersa apud ipsos in honore haberentur, ac pretio (3).

VIII. Tum validioris pro Imaginum antiquitate roboris illud est, quod Tertullianus jam stultis Montani actus deliramentis refert in Lib. de Pudicitia cap.

 x. ubi

(3) *Sed tamen hanc Eusebii, & Sozomeni de* Syrophœnissæ Statua *auctoritatem in partem explicari, atque adeo emendatum iri ex Philostorgio* Lib. VII. Cap. 3. *contendit Binghamus . Ibi enim repositam quidem non in Ecclesia, sed in diaconico, tum neutiquam adoratam ab nostris statuam fuisse dicit. En ejus verba :* Statuam vero in *Diaconico* Ecclesiæ collocarunt, competentem ei curam atque *Observantiam* deferentes τὴν πρέπουσαν θεραπείαν, nequaquam tamen colentes, aut adorantes. Neque enim fas erat æneam, aut quamlibet aliam materiam adorare. Sed hoc uno, quod eam honoratiore in loco collocarunt, atque spectandi caussa ad eum locum cupide adventarent, amorem ipsius Archetypi declarantes. *Atqui contrarium hic ipse locus innuere videtur. Licet enim ei Statuæ Cæsaraenses eam Adorationem denegarint, quæ Dei propria est, quamque vel nosmetipsi negamus, tamen* Competentem *eidem* observantiam θεραπείαν ex ipso Philostorgio concessere. Verum ecquem latet θεραπείαν, *quam hic ab Christianis Syrophœnissæ Statuæ concessam ait Philostorgius, religiosum cultum vi ipsam sua significare. Nam* θεραπεύειν, (*quod docet e Protestantibus* Suicerus .) *excepto quod* Medendi, Reprehendendique *aliquando vim habet, plerumque officiosum cultum significat aut Magistratibus, aut etiam Deo præstitum. Hinc apud* Nazianz. τὴν δημοτικὴν θεραπεύειν Magistratui obsequi, *& apud* Clement. Strom. VI. θεὸν ὁ θεραπεύων ἑαυτὸν θεραπεύει, Seipsum colit, qui Deum colit. *Ex quo plane colligitur, Philostorgium, quamvis σέβασμον, ac προσκύνησιν, quæ peculiaris est divini, quem Latreuticum dicunt, cultus nomenclatura, huic Statuæ denegaverit, eidem tamen* θεραπείαν Religiosam observantiam *concessisse ; quod Heterodoxis refellendis sat grande est argumentum, quibus piaculum est maximum quidquid officiosi cultus imaginibus impendatur. Vide Petav.* De Incarnat. Lib. XV. Cap. 1. *ubi de voce* θεραπεία *disputat, eamque iis nominibus adcenset, quæ religioso cultui significando destinarunt veteres. At quod subnectit Philostorgius priscos Christianos Syrophœnissæ statuam* Observantes i. e. *colentes* amorem Archetypi declarasse, *in hoc sane ipsissimæ, ut nunc est,* Catholicorum *de Imaginibus doctrinæ prælusisse videtur, cum e nostratibus Theologis nullus sit, qui in Imaginibus Archetypos colendos, observandosque inficias iverit. Quod vero eandem non in* Templo, *sed in* Diaconico *collocarint, id caussæ fuisse puto, quod minus decorum videbatur ruptam confractamque Gentilium petulantia statuam in propatulo ponere, aut fortassis etiam, quod insolens inter orientales Statuarum ponendarum usus fuit.*

1. ubi contra Catholicos declamans scribit: *Si forte patrocinabitur Pastor, quem in calice depingis, prostitutorem, & ipsum* &c. quibus verbis Christi Imaginem sub Pastoris habitu veteres pingere consuevisse clare ostendit. Adhæc Ælius Lampridius in vita Alexandri Severi refert Imperatorem in suo Larario Imagines Christi & Abrahami habuisse: profecto quemadmodum ab Hebræis discere potuit, quomodo Abrahamus pingendus esset; ita quanam forma Christi effigies coloribus exprimeretur, nonnisi a Christianis doceri potuit. Postremo licet historia Imaginis Christi ad Abgarum missæ, quam tradunt Evagrius, Damascenus, ac PP. VII. Synodi vulgo ab eruditis rejiciatur; dubitandum tamen non est, quin a priscis Ecclesiæ temporibus apud Edessam illa fuerit Imago, cujus translationis dies festus jam a V. Seculo Constantinopoli celebrabatur.

IX. Jam vero tria priora Ecclesiæ Secula hucusque producta Ecclesiastica monumenta spectare videntur. At e Patribus IV. V. & VI. Seculi innumera fere depromi possent: nos pauca breviter libabimus, præsertim quod isthuc operis jampridem occupaverint adprime pii, & eruditi Scriptores. Et sane Augustinus *contra Faust. Lib. XXII. cap. 73., & alibi* tum Imaginis Christi cum Petro, & Paulo, tum Tabulæ meminit, in qua S. Stephani martyrium descriptum erat: *Dulcissima pictura hæc est*, inquit, *ubi videtis S. Stephanum lapidari, videtis Saulum lapidantium vestimenta servantem*. Tum Apostolorum Petri, & Pauli effigies ibidem coloribus expressas refert Ambrosius, & Hieronymus. Non sine piaculo omittendus Gregorius ille Nyssenus; quum Imaginum usum non modo licere, verum & oppido utilem haud semel statuat. Et sane tum in *Oratione de Deitate Filii, & Spiritus S.* Abrahami meminit, ejusque sacrificii in tabula depicti; & *in ejus aspectu magnam se vim profudisse lacrymarum* adserit: tum in *Oratione de S. Theodoro*, ubi hujus Martyris Basilicam magni operis extructam referens, ac parietes picturis decoratos describens: *solet*, inquit, *pictura tacens in pariete loqui, & maxime prodesse*.

X. Sic quoque Asterius Amaseæ in Ponto Episcopus in Panegyrico de S. Euphemia Tabulam pictam commemorat, & ad ejusdem S. Martyris Sepulchrum appensam, qua S. Virginis effigies, ac totius Historia Martyrii continebatur. Sic S. Paulinus in Campania, & Severus Sulpitius in Aquitania conditas a se Basilicas, & picturis decoratas describunt. Certe nimis longa foret oratio, si omnia adferenda essent, quæ ex Patribus IV. & V. Seculi, ac præsertim ex Chrysostomo, Prudentio, & Theodoreto erui possent Testimonia. At ex productis tria satis constant. 1. Trium priorum Seculorum fideles non omnino ab Imaginibus abhorruisse.

2. Jam inde ab IV. Seculo in Ecclesiis adhibitas, ac in tabulis depictas publice fuisse expositas.

3. Patres in id ex æquo consensisse Imaginum usum non modo licere, verum & multum prodesse.

XI. Præterea Imagines apud veteres in usu fuere etiam sine ulla historiæ notatione. Istoc demonstrant tum Imagines boni Pastoris, Petri, Pauli, S. Euphemiæ &c. quarum meminere Tertullianus Hier. Augustinus aliique; tum historia mox descripta Imaginis Christi Edessenæ, tum demum Basilica S. Felicis a S. Paulino Nolæ extructa, ac pluribus etiamnum extantibus B. M. V. ac plurium Sanctorum Imaginibus nullas exhibentibus historias. Denique Theodoretus in *Hist. Relig.* refert S. Simeonis Stylitæ Imagines Romæ frequentissimas fuisse: *Ut*, subnectit, *tantum, tamque Deo carum hominem multi Patronum haberent*. Ergo illarum etiam imaginum, quæ nullas exhiberent historias, antiquos Patres usum adprobasse nihil est cur dubitemus.

XII. Illud quoque observare juvat in veteri Ecclesia in usu magis fuisse pictas Christi, & Sanctorum imagines, quam statuas: immo non defuisse e veteribus, qui unum illud admiserint, & alterum ceu quid Idololatriam sapiens, rejecerint

(*) 2

(*): atque adeo hodiedum apud Orientales vix unquam, aut raro Simulacra adhibentur: quum ex adverso plane Sanctorum effigies sive pictæ, sive textorio opere factæ maximo in usu sint. Attamen existimandum non est vetitas Statuas fuisse, ac ceu superstitiosum quid rejiciendas, quum nullo Ecclesiastico Canone prohibitæ demonstrari possint, ac nulla prorsus ratio adferri queat, cur Imaginum usus utilis, & licitus sit, haud vero Simulacrorum.

XIII. Jam vero ut ad Imagines redeamus, adversus earum usum potissimum stare videntur tum *Canon Eliber. XXXVI.* quo decernitur: *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere: ne qui colitur, & adoratur in parietibus depingatur:* tum illud, quod de se narrat Epiphanius: nimirum quum ad vicum quendam venisset, qui dicitur Anablatha, ibique Ecclesiam invenisset, *cujus in foribus velum pendebat tinctum, atque depictum, & habens Imaginem quasi Christi, vel Sancti alicujus. Non enim satis memini*, inquit, *cujus fuerit. Hoc ergo cum vidissem in Ecclesia Christi contra auctoritatem scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud.*

XIV. Ac primo Canonem Eliberitanum quod spectat, præterquam quod nonnisi eas prohibere videtur imagines, quæ ad ipsius Dei effigiem repræsentandam pingantur; fortasse eo tempore Canon ille editus est, quo recens adhuc Idololatriæ memoria fuerit: ob idque nondum expedierit Christianorum in Oratoriis ac templis Imagines statui.

De Epiphanii loco difficilior quæstio videtur: omnino enim persuadere mihi nequeo illum ad reliquam Doctoris epistolam, aut latinam Hieronymi interpretationem fuisse adtextum. Igitur potius respondendum crediderim Epiphanium velum illud scidisse, quod non Christi, aut Sancti alicujus imago fuerit, sed profani cujusdam hominis, quæ tanquam Sancti alicujus ibi repræsentabatur: vel fortassis nondum in Cypro ubi habitabat Epiphanius usus ille invaluerat, ut Sacræ in Ecclesia Sanctorum Imagines proponerentur. Ceterum juvat hic quod ab initio constituimus, repetere: nimirum Imagines ex eorum per se genere esse, quæ ἀδιάφορα nominantur: hoc est, quæ ad salutem omnino necessaria non sunt: nec ad substantiam ipsam religionis attinent, sed in potestate sunt Ecclesiæ, ut ea vel adhibeat, vel ableget pro eo atque satius esse decreverit. Quocirca primis ab ortu Christianæ Religionis temporibus, quum adhuc gentilis in eam exardesceret furor, & in hominum mentibus hæreret adhuc Idolorum superstitio, mirum non est tam frequentem non fuisse sacrarum Imaginum usum.

(*) *Notarunt id complures Theologi*, Petavius *in primis* De Incarnat. *Lib. XV. cap. 14. n.* III. Cum, *inquit*, sint imaginum genera duo, picta Effigies, & Statua, videri prius in usu magis apud veteres Christianos extitisse: immo vero quosdam existimasse unum illud licitum esse, altero tamquam gentilium proprio rejecto. *Tum in priscorum Patrum scriptis ait*, nullam fere, nisi picturæ mentionem fieri, vel colorum, aut ceræ: de statuis vix umquam, aut raro sermonem esse. *Mox Germanum Patriarcham Constantinopolitanum citat in Ep. ad Thomam Claudiopolitanum, & Stephanum Bostrorum Episcopum in VII. Generali Synodo, quot statuas repudiasse constat, quamvis pro imaginibus ad miraculum decertaverint. Ceterum statuas nec penitus damnatas antiquitus, probari ait e Paneadum Servatoris Statua, de qua vide supra.*

CAPUT V.

DE CONSECRATIONE ECCLESIARUM, AC DE REVERENTIA, QUAM ANTIQUI FIDELES ECCLESIIS EXHIBUERE.

§. I. *De Solemni Ecclesiarum Consecratione.*

I. ILlud hac in re primum constat per Ecclesiæ consecrationem veteres semper *dedicationem*, sive *specialiorem ejus ad Divinum cultum constitutionem* intellexisse; licet Cæremonia hoc faciendi non semper una, eademque fuerit. Igitur primus Ecclesiam jam perfecte constructam, & exornatam initiandi, & ad divinum usum ad'gnandi actus, consecratio illius erat. Verum num primis tribus Ecclesiæ Seculis peculiares aliæ cæremoniæ adhibitæ fuerint exploratum non habemus; tametsi valde probabile videtur solemnem gratiarum actionem cum precatione pro sancto earum usu fuisse factam, antequam usitata Ecclesiæ liturgia inchoaretur; tum quod istuc inter Judæos in more fuerit, tum quod Ecclesiæ IV. Seculo primum extructæ non fine istiusmodi ritu consecratæ leguntur; haud quidem ex novo instituto, at vero ceu, jam ex usitato Christianorum more.

II. Quæ vero pacato Constantini imperio Ecclesiæ constructæ sunt, non sine solemni Cæremoniarum solemnitate consecrabantur. Votivum sane spectaculum erat, uti loquitur Eusebius, videre dedicationum festivitatem per singulas urbes, & oratoriorum recens structorum consecrationes; plerumque integra vicinorum Episcoporum Synodus ad Dedicationem conveniebat. Hinc Concilia *Hierof. &* *Antiochenum* habita sunt occasione consecrationis harum urbium Ecclesiarum, quas Constantinus magnifice extrui jusserat. Ipsa autem solemnitas communiter cum Panegyrico quodam sermone inchoabatur continente potissimum gratiarum actionem ad Deum, precationes, & nonnunquam in laudes Fundatoris, vel recens ædificatæ Ecclesiæ excurrente: cujusmodi plures sunt Sermones apud Eusebium, Ambrosium, Gaudentium &c. (1). Dein sacra Oblatio fiebat, & incruentum Sacrificium immolabatur, ac simul pro pace communi, pro Ecclesia Dei, pro Imperatore, ejusque liberis, ac fortasse etiam peculiariter pro Ecclesia tum dedicata preces Deo fundebantur (2).

III. Antequam solemni hac cæremonia quælibet Ecclesia recens ædificata consecraretur, nulli licebat ibi sacrum cultus divini ministerium peragere, nisi magna necessitas id exegisset; uti Athanasio ex *Apol. I.* accidit, qui in Paschatis Festo synaxim habuit in magna Ecclesia Alexandriæ, antequam Imp. Constantinus ejus dedicationi diem constituisset; cujus facti legitimas produxit excusationes, quum id ipsi crimini verterent Ariani. Verum istiusmodi Ecclesiarum usus

(1) *Euseb. Lib. X. Cap. 4. Gaudent. Serm. XVII.* Die Dedicationis basilicæ Sanctorum quadraginta Martyrum. *Ambros. Serm. LXXXIX.*

(2) *Extat apud Amb. Hortat. ad Virginie.* Pro ipsa Ecclesia precatio. Te nunc Domine, precor, ut supra hanc Domum tuam, supra hæc Altaria, quæ hodie dedicantur, supras hos lapides spirituales, quibus sensibile tibi in singulis Templum sacratur, quotidianus Præsul intendas, orationesque servorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, divina tua suscipias misericordia; fiat tibi in odorem sanctificationis omne sacrificium, quod in hoc Templo fide integra, pia sedulitate offertur, & cum ad illam respicis hostiam salutarem, per quam peccatum hujus mundi aboletur, respicias etiam ad has piæ hostias castitatis, & diuturno eas tuearis auxilio, ut fiant tibi in odorem suavitatis hostiæ acceptabiles, & integrum spiritum eorum, animam, & corpus sine querelæ loco usque in diem Domini J. Christi Filii tui servare digneris. Amen. *Sunt tamen, qui hanc precationem ad Virginum etiam consecrationem pertinuisse putant.*

usus urgente necessitate factus pro publica earum dedicatione non habebatur; quæ semper subsequebatur per statutos ritus, & solemnem sacrificii Eucharistici celebrationem, uti monet Eusebius *loc. cit.*

§. II. *De Ordinario Consecrationis Ecclesiarum* Ministro.

IV. Ex hactenus dictis profecto liquet ad Episcopos semper id muneris pertinuisse: quod sane evidentius fit ex duplici Canone, Bracarensis uno, altero Britannicæ Synodi habitæ sub S. Patricio, quos lege inferne (3). Adhæc neque ædificari ulla poterat Ecclesia sine consensu Episcopi, cujus in Diœcesi erigebatur: id quod ex Synodi Chalced. Can. IV. constat (4): & ex Justiniani Legibus (5) nefas erat ullam Ecclesiæ structuram ædificare, antequam Episcopus solemnes ibi preces fecisset, signumque crucis erexisset: quem morem in expiandis quoque Gentilium Templis, si in Ecclesias Christianas consecranda essent, observatum fuisse ex quadam Theodosii Lege colligit Gothofredus (6). Et quum monachi quidam, aliique signum crucis in ædes publicas, aliaque loca inferre conarentur sine Episcopi venia, quod sane eo spectabat, ut in Ecclesias ædes illas converterent, id Leonis Imp. lege severe prohibitum fuit, reservata tantummodo Episcopis id faciendi potestate. *Cod. Justin. Lib. I. Tit. III. De Ep. l. 26.* Hinc, observantibus Suicero, & Meursio, Episcopi Diœcesis aliquando adpellata est Σταυροπήγιον, hoc est territorium, in quo Episcopus jus figendæ crucis pro ædificandis Ecclesiis haberet.

V. Præterea nulli Episcopo unquam licuit in aliena Diœcesi Ecclesiam consecrare, uti expresse in Synodis Arausicana, & Aurelianensi definitum est (7). Si qua autem Ecclesia in vacante Diœcesi extructa esset, tum unusquisque ex Episcopis vicinis ad eam dedicandam advocari poterat; uti de seipso prodit Sidonius Epollinaris, quod ad Ecclesiam Rhutenorum in Gallia consecrandam vocatus fuerit, quippe quæ tunc temporis suo esset viduata Pastore (8). Igitur nonnisi ad Episcopos semper pertinuit Ecclesias consecrare: si enim id Presbyteris licuisset, Episcopum ex aliena Diœcesi ad hunc ritum peragendum accire necesse minime fuisset. Id autem non sine Ordinarii Episcopi venia factum intelligas, si ille esset legitime impeditus.

§. III. *Undenam Ecclesiæ antiquitus nomen sortirentur.*

VI. Illud in primis omnino observandum Ecclesias soli Deo, ejusque cultui fuisse

(3) *Conc. Bracaren. I. Can. XXXVII.* Si quis Presbyter, post hoc interdictum, ausus fuerit Chrisma benedicere, aut Ecclesiam, aut altare consecrare, a suo officio deponatur: nam & antiqui hoc canones vetuerunt. *Conc. Britannicum sub Patricio anno CDL. celebratum Can. XXIII.* Si quis Presbyterorum Ecclesiam ædificaverit, non offerat, antequam adducat suum Pontificem, ut eam consecret, quia sic decet.

(4) *Conc. Chalced. Can. IV.* Quoniam nonnulli monachino prætextu utentes & Ecclesias, & negotia civilia perturbant, & temere citra ullam discriminis rationem, in urbibus circumcursantes, quin etiam monasteria sibi constituere audentes, visum est, nullum usquam ædificare, nec construere posse monasterium, & oratoriam domum, præter sententiam ipsius Urbis Episcopi.

(5) *Just. Novell. CCCXXXI. c. 7.*

(6) *Gothof. in L. XXV. Cod. Theod. Lib. I. tit. 3. ubi quæ supererant Gentilium templa eatenus destrui jubet Imperator, ut prius* Conlocatione venerandæ Christianæ Religionis signi (*Crucis nempe*) expientur.

(7) *Conc. Arausican. Can. X. Aurel. III. Can. XV.* Episcopus in alienas diœceses ad alienos clericos ordinandos, vel consecranda Altaria irruere non debet: quod si fecerit, remotis his quos ordinavit, altaris tamen consecratione manente transgressor Canonum annua Missarum celebritate cessabit.

(8) *Sidon. Lib. IV. Epist. XV.* Baptisterium, quod olim fabricabamini, scribitis jam posse consecrari. Ad quæ festa vos voti, nos ministerii, officii multos, fidei totos caussa sollicitat. *Vide Savarum in hunc locum, qui inibi probat complures Galliarum Ecclesias tunc temporis Pastoribus destitutas, furente Ouvarige Ariano, ex ipso Sidonio.*

fuisse semper a fidelibus dicatas (9). Hinc S. Augustinus in disputatione cum Maximino Episcopo Ariano Spiritus S. Divinitatem eo demonstrat argumento, quod Templa ei exstruantur, quæ ulli rei creatæ exstruere omnino sacrilegum foret. Unde in Libro contra Faustum scribit: *Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificamus, quamvis in memoriis Martyrum constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum, adsistens altari, dixit unquam:* Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane, *sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit.* Idem frequenter & in aliis locis repetit. Quod vero Templa ut plurimum in Martyrum sepulchris ædificarentur, vel in locis, ubi mortem subierint; hinc factum est, ut Martyrum nomine adpellarentur, quorum erant memoriæ. Aliquando etiam a suis Fundatoribus nomen sortita sunt, uti tres Carthagine Ecclesiæ, ac plures aliæ Romæ, & Antiochiæ; tum quoque nonnunquam a peculiari temporis, vel loci circumstantia, vel alia quadam re, quæ in ipsarum ædificatione accidisset, cognomen acceperunt. Hinc Ecclesia Hierosolymorum *Crux*, & *Anastasis* dicta est. *Crux* quidem, quod in loco dominicæ passionis fuerit a Constantino fabricata; *Anastasis* vero, quod ibi Catholica de SS. Trinitate fides agente potissimum Gregorio Naz. fuerit firmissime constituta. Simili ratione Ecclesia quædam Carthaginiensis dicta est *Basilica Restituta*, quod ex Arianorum manibus fuerit recuperata.

§. IV. *De Die Consecrationis.*

VII. Qualibet die antiquitus Ecclesiarum consecrationes indiscriminatim fiebant: & sane recte observante erudito Pagio *Critic. in Baron. anno CCCXXXV. num. IV.* Ecclesia Hierosolymorum haud quidem die Dominica, at Sabbato consecrata est. Igitur Ecclesiastica consuetudo nonnisi de Dominica Ecclesias consecrandi valde antiqua non est. At vero jam inde a primis Ecclesiæ Seculis in usu fuisse constat, ut dies consecrationis inter anniversarios festos dies referretur. Nam Sozomenus *Lib. II. Cap. 26.* de Ecclesia a Constantino Hierosolymis ædificata scribit: *Ex eo tempore solemnem quotannis festivitatem admodum splendide ab Ecclesia Hierosolymitana celebratam fuisse.* Hunc morem a Gregorio M. in Angliam invectum fuisse auctor est Beda *Hist. Lib. I. Cap. 30.*

VIII. Tria hæc animadvertenda supersunt: 1. Nemini licuisse novam Ecclesiam construere, qui prius ipsi dotem non adsignaverit ad alendum ministerium, ad tuendam domum, aliasque res, quæ ad divinum cultum inibi fovendum requirerentur. Id Imperiales leges, & Conciliorum Canones exacte observandum præcipiunt (10).

2. Episcopis omnino vetitum quidquam præmii pro Ecclesiarum consecratione deposcere: si quid autem a Fundatore ultro eis offerretur, acceptare illud poterant;

(9) *Immo plerasque Ecclesiarum Dei ipsius nomine speciatim adpellatas scimus. Deum autem cum dicimus, minime Templorum honorem Christo præreptum volumus: constat quippe veteres Christianos, cum* Dominum *dicerent, Christum etiam intellexisse, qui Deus item, atque Homo homines redimens, justum inde sibi imperium in eosdem pepererat. Hinc Templum per Constantinum Antiochiæ extructum* Dominicum Aureum *dictum fuisse auctor est* Hieron. Chron. Olym. CCLXXVI. anno III. *Sic etiam complures Ecclesiæ* ἁπλῶς κυριακὰ Dominica *dictæ, quod uni Deo dicarentur:* Euseb. De Laud. Constant. Cap. XVII. *Tum* Paulus Diac. Lib. XVIII. *ait Justinianum Imp. intra Constantinopolim Templum magnificentissimum* exstruxisse ipsi Domino, qui est Sapientia Patris, quod græco vocabulo ἁγίαν Σοφίαν nominavit. *Loquitur enim de Templo S. Sophiæ, cujus nominis similes Ecclesias cum hic* Neapoli, *tum in viciniis visere est.*

(10) *Vide Novell. Justinian. LXVII. & Conc. Bracaren. III. Can. V. anno DLXXII.* Unusquisque Episcoporum meminerit, ut non prius dedicet Ecclesiam, aut Basilicam, nisi antea dotem Basilicæ .... per donationem chartulæ confirmatam accipiat.

terant ; ita plures Synodi (11).

3. Nonnisi VI. Seculo primum morem fuisse invectum, ut altaria peculiaribus cæremoniis, ac ritibus ab Ecclesiarum dedicatione distinctis consecrarentur. Prima enim, & antiquiora hujusce rei documenta sunt bini Canones; alter Synodi Agathensis anni 506. alter vero Synodi Epaonensis an. 517. Quod vero ad consecrationem attinet vestium sacrarum, calicum, Campanarum, imaginum Crucis, Cerei Paschalis, hæc recentior est, ac temporum posteriorum (12). Videsis Hospinianum de Templ. *Lib. IV. Cap.* 2.

§. V. *Ecclesiæ, earumque supellectiles nonnisi ad sacrum, & religiosum cultum adhibitæ.*

IX. Ac primo æque Conciliorum Canones, ac Leges Imperatorum nihil in Ecclesia fieri sinebant, quod non aliquo modo ad pietatem tenderet, vel proxime ad eam referretur, nimirum ad conventus religiosos, ad eligendos Episcopos, & Clericos, ad habenda Concilia, ad Scholas catecheticas, aliaque id genus. Hinc iis, quibus ad sanctuarium confugere permissum erat, haud licebat ibi edere, hospitiumque habere ; quinimmo quum quidam catechumeniis abuterentur, eaque in hospitia converterent, Leo Imp. decrevit, ut *omnes isti ex habitationibus suis in Ecclesia expellerentur*. Adhac licebat hominibus, etiam laicis integras noctes in Ecclesia vigilando, & precando transigere ; quod tamen vetitum feminis ex Can. XXXV. Concilii Illib. *eo quod sæpe sub obtentu orationis latenter scelera admitterent*. Ex eadem ratione Agapæ, quæ ex praxi A-po-

(11) *Conc. Bracaren. III. Can. V. Cabillon. II. Can. XVI. atque alia Carolo M. imperante habita.*

(12) *Licet Paschalis Cerei consecratio ad sequiorem ætatem pertineat, Cereorum tamen, sacrarumque lucernarum usum jam inde ab Ecclesiæ ipsius initiis obtinuisse certum est. At principio quidem sacros Ecclesiarum lychnos in vitreis, aut argenteis, aut etiam aureis scyphis accensos, atque oleo satos, altosque, ut continenter lucerent, suadere videtur* Canon Apost. IV. & V. *in quibus* olei oblati *mentio injicitur, proculdubio ad accendenda lumina. De earundem vero Lucernarum materia etiam argentea lacus est apud* Aug. Lib. III. contra Crescon. cap. 29. *ubi acta Proconsularia citantur* Constantio Maximo Augusto, & Constantino Jun. Nob. Cæs. Coss. A. C. CCCXX. Ibi, *inquiunt*, protulit Sylvanus capitulatam argenteam, & Lucernam argenteam. *Ceratorum vero luminum, seu* Cereorum *usus ibidem antiquus. Apud* Prudentium in Hymno S. Laurentii *Tyrannus hæc patientissimo Christi martyri objicit:*

Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos Cereos.

Ubi vides Cereos auratis candelabris defixos. Nec vero lucernarum usus nocturnis tantum sacris, quod contendunt Heterodoxi, sed diurnis etiam, cultus atque honoris ergo, destinabatur. Epiphanius, ut ipse narrat Ep. ad Joann. Hierosol. Episcopum, *Arablatha villam prætergrediens*, Lucernam *ibi se casu vidisse, ait, cumque id admirationi sibi esset, responsum accepisse*, Ecclesiam esse. *Diurnum ergo lumen erat splendens, ac rutilum, ut etiam prætereuntis Epiphanii oculos incurreret. Sed clarius Paulinus* Nat. III.

Lumina ceratis adolentur odore papyris
Nocte *dieque* micant ....
...... *Ipsa dies* cælesti illustris honore
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Idem videre est etiam in Nat. XI. & apud Venant. Fortunatum Lib. V. Carm. 5. *præsertim vero apud* Hieron. lib. contra Vigilantium. *Ex quibus colliges sacras lucernas, ac Cereos antiquitus obtinuisse, eosque noctu, interdiuque accensos. Cereum vero Paschalem quod spectat, ejus usus, si minus cum Baronio Anno CCCCXVIII. n. 70. ad Zosimum Papam referatur, certe V. saltem Seculo adscribendus, cum apud Ennodium* Opusc. IX. *& X. Benedictiones duæ reperiantur Cerei Paschalis. Porro Ennodius floruit anno DXXI. Vide* Sirmond. ad Ennodium. *Quamquam, ut id quoque admoneam, Paschali Cereo, ut nunc apud nos est, jam inde ab IV. Seculo mos prælusisse videtur Constantinopoli receptus, Cereos undequaque accendendi tam in Ecclesiis, quam in Urbe; idque ex Constantini jussu in Sabbato Paschalem diem præeunte. Vide* Euseb. Lib. IV. in Vita Constant. Cap. XXII. *tum* Valesium *in hunc locum.*

postolica originem ducebant, deinceps vetitæ, aut certe imminutæ fuerunt.

X. Jam vero major reverentia sacris vasis, & Altaris quibuscumque utensilibus exhibebatur. Et sane in Scevophylacio religiosissime custodiebantur, nec inde extrahebantur, nisi cum in sacrum, eorumque designationi convenientem usum adhibenda essent. Tum a Diaconis ea adservari moris erat; hypodiaconi vero, aliique inferiorum ordinum a Conciliis Laodiceno, & Agathensi (13) ea contingere prohibebantur. Aurum duntaxat, ubi absoluta necessitas id ministri postularet, nimirum ad redimendos captivos, & pauperes sublevandos, in communem usum adhiberi poterant. Ceterum summa, ac sacrilega profanatio habebatur rem divino cultui sacram in alium usum convertere; ac plura sane hic ex veteri Historia proferri possent memorabilium judiciorum exempla, in quæ sacrorum utensilium violatores inciderunt. Vide Theodoret. *Lib. III. Cap.* 12. & 13.

§. VI. *Alia quædam præcipua venerationis indicia a veteribus Catholicis Ecclesiis exhibita.*

XI. Ac 1. semper omnino distinctum voluerunt inter Ecclesias, & Ædes privatas: hinc in Synodo Gangrensi bini Canones editi sunt adversus Eustathianos Domum Dei contemnentes, ac ea quæ sunt Ecclesiæ alibi agere audentes (14).

2. Non desunt exempla Episcoporum Catholicorum, qui tanta animi fortitudine Ecclesias defenderint, ut mori maluerint, quam Ecclesias hæreticis profanandas tradere.

3. Apud veteres, ac præsertim apud Eusebium, Tertullianum, & Chrysostomum (15) consuetudo occurrit in ingressu Ecclesiæ lavandi manus, ac vultus, quæ innocentiam, & puritatem ad rite Deum coram altari adorandum requisitam præferebat. Et Cassianus *Instit. Lib. I. Cap.* 10. de Monachis Ægyptiis observat, quod caligas, quibus calceorum loco utebantur, detraherent, quando ad celebranda, vel percipienda sacrosancta mysteria accederent. Quem morem apud Æthiopicos & olim obtinuisse, & hodiedum quoque obtinere ex Zaga Zabone colligit Medus.

4. Ex Chrysostomo, Theodosio juniore (16), aliisque habemus Imperatores, ac Reges in more habuisse Diadema deponere, custodiasque foris relinquere, cum Ecclesiam Regis Regum domum ingrederentur. Ac inter cetera, in quibus ipse Julianus gentiles suos imitari Christianos cupiebat, hoc erat, ut quum Deorum Templa adirent, nullus apparitorum eos præcederet.

XII. Tanta in Templa, & altaria veneratione veteres Fideles ferebantur, ut illa, vel aliquam illorum partem, jannas, limina, columnas in amoris, ac reverentiæ signum complecti, salutare, exosculari consueverint. Hinc Ambrosio *Ep. XXXIII.* referente, revocato a Valentiniano Imp. edicto de tradendis in usum Arianorum Ecclesiis, milites, qui hoc nuntiarunt, irruentes in altaria, osculis ea repetitis complexi sunt. Ejusdem moris freqnens mentio occurrit apud

(13) *Conc. Laod. Can. XXI.* Quod non oportet ministros locum habere in Diaconico, ac vasa sacra tangere. *Conc. Agath. Can. LXVI.*

(14) *Conc. Gangrens. Can. V. tum Can. VI.* Si quis præter Ecclesiam vult Ecclesiam habere, & contemnens Ecclesiam vult ea quæ sunt Ecclesiæ agere, anathema sit.

(15) *Euseb. Lib. X. Cap. I. Chrysost. Hom. LVII. Tertull. de Oratione Cap. XI.* Quæ ratio est manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente orationem obire?

(16) *Chrysost. Hom. post reditum ab exilio. Edictum Theod. ad Calcem Conc. Ephes.*, & *in Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XLV. L.* 4.

(17) *Sid. Apoll. Lib. I. Ep. V.* Chrysost. *Hom. XXIX.* πρόθυρα φιλοῦμεν τοῦ ναοῦ, Januas osculamur Templi. *Athan. Hom.* In eos, qui in homine spem figunt. *Paulinus Nat. VI.*

Sternitur ante fores, & postibus oscula figit,
Et lacrymis rigat omne solum.

pud Sidonium, Paulinum, Chrysostomum, Athanasium, aliosque (17).

XIII. Tandem Ecclesiæ, ceu tutissimus rerum alicujus valoris adservandarum locus, ac perfugium semper habitæ sunt. Hinc Ecclesiæ non modo suas habuerunt Exedras pro adservandis scriptis Instrumentis, & thesauris suis, verum & in publicis calamitatibus homines ad Ecclesias confugiebant suæ vitæ præsidium quærentes; quinimmo ex Augustino *Lib. I. De Civit. Dei Cap.* 1. non modo Christiani, verum & gentiles adversus furentium hostium insolentiam saluti suæ ad Ecclesias confugiendo consulebant. Hinc quum Alaricus rex Gothorum Romam expugnasset, milites in Urbem irruere non permisit, *nisi dato prius præcepto, ut si qui in sancta loca, præcipueque in SS. Apostolorum Petri, & Pauli Basilicas confugissent* (18), *hos in primis inviolatos, securosque esse sinerent*. Quinimmo ipsi Barbari ad Ecclesias eos ducebant, quibus extra sacra loca pepercerant, ut ibi ab eorum incursibus, qui eadem lenitate affecti non erant, tuti essent (19).

§. VII. *De Prima Asylorum Origine*.

XIV. Quamvis neque in Justinianeo, neque in Theodosiano Codice ulla Constantini lex occurrat, qua Ecclesiis Asyli beneficium concesserit; attamen nemo unquam negarit, quod consuetudine paulatim invalescente hujusmodi Ecclesiarum privilegium ab ipsis Constantini temporibus originem repetierit. Et sane ex (20) Nazianzeno Basilius viduam quandam contra vim a Præfecto Ponti sibi intentatam ad altare confugientem, protexit; quod & de Ambrosio scribit Paulinus; quinimmo Theodosii lex, qua primum imperatoria sanctione Asyli privilegium Ecclesiis concessum invenitur, rem jam stabilitam supponit, ac tantum modo explanat, certisque regulis includit.

XV. Jam vero primitus interiora tantum Ecclesiæ Ædificia, ac specialim altare fortasse loca refugii fuere; quum Synesio *Ep. LVIII.* aliisque veteribus frequenter Altare *ἄσυλος τράπεζα mensa Asyli* dicatur. At illud constat quadam Theodosii junioris Lege immunitatis privilegium ad navem quoque Ecclesiæ, & ad omnia inter Ecclesiam, & exteriores muros interjacentia ædificia fuisse extensum. *Quidquid fuerit interjacens sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus confugas interioris templi vice tueatur* (21).

§. VIII. *Quibusnam Ecclesiarum Asyli privilegio frui licuerit, quibusnam non licuerit*.

XVI. Ac primo ad præbendum innocentibus injuria affectis, & oppressis perfugium jus Asyli Ecclesiis leges Imperatoriæ concessere.

2. Ut in caussis dubiis sive civilibus, sive criminalibus homines usque adeo protegerentur, donec æqua, & justa caussæ cognitio a judicibus fieri posset.

3. Ut daretur Episcopis occasio pro reis apud judices, ac etiam, cum res id postularet, apud Imperatores deprecandi, ut ipsis pœnam vel condonarent, vel saltem mitigarent, quas partes Basilium, Synesium, Chrysostomum, aliosque veteres Episcopos explevisse constat.

XVII. Verum Asyli privilegium denegatum est 1. publicis debitoribus, qui vel defraudassent, vel impedivissent publicos Imperii reditus. Id quadam Theodosii M. lege (22) cautum est: quæ id etiam præcipit, ut si a clericis occul-

E 2 ten-

(18) *Hæc ex Oros. Lib. VII. Cap.* 10.
(19) *Sozom. Lib. IX. Cap.* 10.
(20) *Naz. Orat. XX. in Laudem Basilii*.
(21) *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XLV. L.* 4. *tum Cod. Justin. Lib. I. Tit. XII. Leg.* 3.
(22) *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XLV. De his, qui ad Ecclesias confugiunt. L.* 1. Publicos debitores, si confugiendum ad Ecclesias crediderint, aut illico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipsos, qui eos occultare probantur, Episcopos exigi.

tentur, ne ab Ecclesia, ad quam confugerint, extrahi possent, clerici ipsi in tali casu exigantur, vel debitum ærario publico solvere jubeantur. Hujus legis vigore compulsus Augustinus (23) ipse persolvit, quod Fastius quidam, qui ad Ecclesiam confugerat, urgentibus publicis exactoribus, facere satis non poterat; ea de caussa quod illum oppignoratoribus torquendum tradere nollet. Verum in privatis caussis beneficium Asyli pauperibus indultum fuisse putat Gothofredus, ut a quæstionibus aliquantum abstracti, vel cum creditoribus de negotio transigerent, vel aliam æs alienum solvendi rationem inire possent.

XVIII. 2. Neque Judæis recens conversis beneficium Asyli indulgebatur; existimabantur enim simulasse se christianæ legi velle conjungi, ut ad Ecclesias confugientes evitare possent crimina, vel pondera debitorum. *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XLV.*

XIX. 3. Hæretici, & Apostatæ, quippe qui omnibus Ecclesiæ favoribus destituebantur, profecto neque Asyli beneficio frui poterant; id ex quadam Theodosii, & Valentiniani lege (24), quæ Hæreticos, & Apostatas a privilegiis, quibus homines alii gaudent, excludit. Jam vero Asyli favor, qui ipsis dominis aut Apostatis, aut Hæreticis abjudicatur, eorum servis conceditur; namque ex lege (25) quadam ipsis refugiendi ad Ecclesiam catholicam datur facultas, ut ejus præsidio non modo protegerentur, sed etiam libertate donarentur. Istæc sane lex æque ad Orthodoxiam stabiliendam, ac hæresim, & apostasiam exterminandam spectabat. Ceterum orthodoxorum Dominorum Servi tam amplo privilegio non gaudebant; quippe qui lege quadam Arcadii in eadem cum publicis debitoribus, & curialibus &c. classe collocantur. Tantummodo Theodosius junior Arcadii Parentis legem paululum mitigavit (26); sanxit enim, ut *si servus cujusquam Ecclesiam altariave loci tantum veneratione confisus sine ullo telo petierit, is non plus uno die ibidem dimittatur, quia Domino ejus, vel cujus metu pœnam imminentem visus est declinasse, a clericis quorum interest nuntietur. Isque cum impertita indulgentia peccatorum, ut nullis residentibus iracundiæ menti reliquiis abducat.*

XX. 4. Postremo Asyli beneficium omnino denegatum est graviorum criminum reis, uti proditionis, & conjurationis contra Imperium, adulterii, rapinæ virginum, homicidii &c. Istud ex pluribus Justiniani legibus perquam perspicuum est (27).

§. IX. *Quænam Conditiones antiquitus a confugientibus ad Ecclesiam observandæ essent.*

XXI. 1. Erat, ne cum armis in Ecclesiam confugerent; quod speciali quadam

(23) *Aug. Epist. CCXV. Vide Baron. ann. CCCXCII. num. 30., qui inibi Augustini pro Fastio solutionem ad hanc legem rejecit.*

(24) *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. VII. De Apostatis L. 4.* Hi qui sanctam fidem prodiderunt, & sanctum baptisma profanarunt a consortio omnium separati sint.

(25) *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. VI. Ne sanctum baptisma iteretur L. 4.* His qui forsitan ad rebaptizandum cogentur, refugiendi ad Ecclesiam Catholicam sit facultas. *Huic legi caussa fuere Donatistarum Domini, qui servos, ut iterum ad Baptisma accederent, vi compellebant. Vide Gothof. hac L.*

(26) *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XLV.* De his, qui ad Ecclesiam confugiunt *L. 5. Ejus vero Patris Arcadii lex, quia servis Christianis jus Asyli inhibuerat, est VI. ejusdem Tituli, librique.*

(27) *Justin. Novell. XVII. C. VII.* Neque enim homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus *Terminorum* custodies cautelam........ Non enim talia delinquentibus parcere competit, sed hoc patientibus....... Deinde Templorum cautela non nocentibus, sed læsis datur a *Lege*, & non erit possibile utrumque tueri cautela sacrorum locorum & lædentem, & læsum. *Hæc ergo spectaverant præcedentium Impp. leges, ut innocentiam oppressorum, secus vero improborum audaciam foverent, quod monet hic Justinianus, & supra Auctor monuerat.*

dam Theodosii Jun. lege cautum est sic habente. *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XLV. L.* 4. *Qui templa cum armis ingredi audent, ne hoc faciant præmonemus, ... dehinc trahendos se, abstrahendosque esse cognoscant*. Et sane ipsi Imperatores, uti supra demonstravimus, Ecclesiam ingressuri arma sua, & diadema foris relinquebant.

2. Ut silentes, & modesti, haud vero clamoribus tumultum popularem excitare studentes ad Ecclesiam confugerent. Istud quadam Justiniani lege insinuatur (28).

3. Ne ad Ecclesiam confugæ illic edere, cubare & pernoctare auderent: de quo ipsos admonere lege quadam Theodosii junioris (29) Clerici renebantur. Istud enim ipsi Theodosio in caussa fuit, cur non modo altare, & Ecclesiam, sed reliqua etiam ædificia ad Ecclesiam spectantia jure Asyli donaret; ut ibi potius quam in Ecclesiis pernoctarent, ceteraque agerent vitæ sustentandæ necessaria.

(28) *Cod. Justin. Lib. I. Tit. XII. L.* 8. Qui, Imperatore ad magnam Ecclesiam in festo procedente, exclamatione usus fuerit, excidet re sperata, & per Præfectum ejectus castigabitur.
(29) *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XLV. L.* 4.

CAPUT VI.

De liturgiis generatim ac in specie de variis Cultus Divini Nominibus.

I. HActenus de Ecclesiis, variis earumdem partibus, ceterisque ad eas spectantibus dixisse sufficiat; occurrunt nunc inspiciendæ antiquæ Ecclesiæ praxes in publico Dei cultu adhibitæ, religiosi fidelium conventus, diversaque Ecclesiastici ministerii officia. Ac primo quædam generatim observabimus ad faciliorem illarum rerum, quæ deinceps dicentur, intelligentiam.

§. I. *De Missa Catechumenorum*.

II. Missa Catechumenorum prima erat divini cultus pars, quæ psalmodiam, scripturarum lectionem, sermonem, & speciaIiores preces pro catechumenis, pœnitentibus, energumenis fieri solitas complectebatur. Ad hanc cultus divini partem, si a protervis quibusdam peccatoribus discesseris, non modo fideles, sed & Catechumeni admittebantur: unde Missa Catechumenorum dicta. Adhæc ab Psalmodia, Lectione Scripturarum, & Sermonum recitatione neque Gentiles, neque Judæi, & hæretici excludebantur. Hinc. Syn. Carthag. IV. *Can. LXXXIV.* sanxit: *Ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei sive gentilem sive hæreticum sive Judæum usque ad Missam catechumenorum:* nimirum usque dum preces pro catechumenis inchoarentur. Idem præcipiunt Concilia Arausicanum, & Valentinum (1); quin & posterioris hujus Synodi Patres rationem adjiciunt: *Sic enim*, inquiunt, *Pontificum prædicatione audita, nonnullos adductos ad fidem evidenter scimus*. Chrysostomus (2) quoque in pluribus suis Homiliis non modo de catechumenis, verum & de hæreticis, & gentilibus in concione coram præsentibus loquitur. Et de eodem Chrysostomo observat Sozomenus *Lib. VIII. Cap.* 2. multos, qui ad eum in Ecclesia audiendum confluxerint, ejus verbis fuisse *ad virtutis studium, & ad consentiendum ipsi in doctrina fidei excitatos*.

III. Synodi Laodicenæ *Can. VI.* auctoritas hic opponi potest, quæ absolute præcipit, *ne hæreticis ingrediendi Domum Dei venia detur*. Verum idoneæ ra-

(1) *Conc. Arausican. I. Can. XVIII.* Valent. *Can. I.*
(2) *Chrysost. Hom. XLI.* Nunc etiam illud considerate, multos hæreticos hic esse inter nos commixtos. *Idem Hom. LXXII., & VIII.*

rationes esse potuerunt, cur hujus Synodi Patres in re, quæ meræ disciplinæ est, peculiarem regulam præscriberent: nisi malis canonem interpretari de ingressu in Ecclesiam tempore *Missæ fidelium*.

IV. Albaspinæus, & Lupus (3) putant tempore Tertulliani Catechumenos ante sermonem exire jussos esse, eo quod ille hæreticis exprobret tantam esse in eorum conventibus confusionem, ut quis cathecumenus, quis fidelis sit, ignoretur, quum pariter adeant, pariter orent, & si ethnici superveniant eos ab ipsis Religionis suæ mysteriis non excludant, Sanctum canibus, & porcis margaritas licet non veras projicientes. At observat Schelestratus Tertullianum id tantummodo hæreticis exprobrare, quod in suis conventibus nullo servato ordine catechumeni sese cum fidelibus miscerent; tum haud secus ac fideles sint, precibus, & Sacræ Eucharistiæ celebrationi interessent. Igitur Tertulliani locus potius confirmat Missam Catechumenorum ad finem usque sermonis durasse (*). Quo finito Diaconus paganis, & hæreticis jussus erat edicere: *Ne quis adsit Audientium, ne quis infidelium;* uti auctor Constitutionum rem narrat *Lib. VIII. Cap. V.* Tum preces pro *catechumenis Substratis* fiebant; & bis dimissis preces pro energumenis, dein & preces pro competentibus, sive baptismi candidatis, ac tandem pro pœnitentibus. Hæc omnia generali Missæ Catechumenorum nomine comprehendebantur.

§. II. *De Missa fidelium solis communicantibus peculiari.*

V. Dimissis per Diaconi, ceu per Præconis Edictionem Infidelibus, Hæreticis, Catechumenis, ceterisque non communicantibus, tunc Missa fidelium inchoabatur, cui nonnisi communicantes interesse poterant. Isthæc Missa preces continebat, quæ coram altari fiebant, & proprie dicebantur *Preces fidelium* εὐχαὶ πιστῶν, ut distinguerentur a *Precibus Catechumenorum*. Hæ preces Sacræ Eucharistiæ consecrationem partim antecedebant, partim comitabantur, partim quoque sequebantur cum Doxologiis, hymnis, & gratiarum actionibus. Hæ Fidelium preces in aliis Canonibus dictæ sunt *Communes Populi Orationes*, & etiam absolute *Orationes*. Hinc in Synodo Nicæna *Can. XI.* statuitur, *ut Pœnitentes duobus annis* sine oblatione precum, *cum populo sint participes*. Id quod denotat Pœnitentibus *Consistentibus* permitten-

(3) *Lupus in Scholiis ad Tertull. locum* De Præscript. Cap. XLI. Albaspin. *Lib. I.* De Eucharist. Cap. V.

(*) *Hæc tamen Eruditorum lis facile componi poterit, si dicatur primis quidem duobus vel tribus Ecclesiæ seculis, ob summam, quæ tum vigebat, Arcani Religionem, Catechumenos coercitos ab Euangeliis, & Catechesibus audiendis, subinde eosdem sensim admissos, demum etiam Gentiles, atque Hæreticos. Sane vero ex Constit. Ap. Lib. I. Cap. 17. Dion. Areop. de Eccles. Hierarch. Cap. VII. Justin. M. Apolog. II. Ex Liturg. Jacobi, Tertulliano, aliisque antiquam Catechumenorum Missam Precibus, sacrisque Lectionibus tam veteris, quam novi Testamenti, nec non etiam Actorum M. recitatione coaluisse constat, atque usque ad Euangelia terminatam. Id confirmat Cyrill. Hieros. ad finem Præfationis in Catecheses, ubi* Catechumenis, *&* Ethnicis Catecheseon *suarum lectione interdicit*, ac ne quis illis easdem legat, *interminatur. Quod argumento est Episcoporum sermones in Euangelia, uti & ipsa Euangelia neutiquam tum ab Catechumenis audita in Ecclesia. Sed tamen repressa sub initio IV. seculi Gentilium audacia, ut jam non tanta, quanta prius Arcani disciplina opus esset, primo Catechumeni audiendis Euangeliis, ac Sermonibus admissi, tum etiam Gentiles, eo vel magis, quod ut ait* Canon I. Conc. Valent., *usu didicerant Episcopi plerosque Ethnicorum Euangeliorum, ac Catecheseωn auditu resipiscere. Id vero si semel statuas, jam nullas, ut puto, dabit tricas, nec Canon I. Arausicanus, ubi hæc leguntur:* Euangelia deinceps placuit Catechumenis legi, *nec Canon Laod. VI.* Ne hæreticis Ecclesiam Dei ingrediendi venia detur. *Siquidem Arausicanis Patribus, ut Catechumenorum utilitati consulerent, paululum ab antiqua disciplina deflectere libuit. At Laodiceni antiquitati penitus hærentes Ethnicos prorsus ab Ecclesiis arcuerunt, quod primis Ecclesiæ seculis factitatum, quodque docet vel Critias ille apud Lucianum in Dial. Philopatre, qui ut Christianorum cœtui interesset, ut Christianum se simularet oportuit.*

tendum quidem Missæ Fidelium adesse, haud vero oblationem facere, vel Eucharistiam sumere. Id quod in Synodis etiam Ancyrana, & Antiochena (4) præscribitur, adeout *Oblatio precum*, sive communicatio Orationis cum populo, & *Eucharistia* Missam Fidelium constituerint communicantibus peculiarem.

§. III. *De Origine*, & *Sensu antiqui nominis* Missæ.

VI. In explicando hujusce nominis sensu mirum quot, quamque diversæ fuerint Auctorum sententiæ. Alii enim ab Hebræo מִסַּה *Missah* deducunt, quæ vox in Deuteron. *cap. XVI.* reperitur, & *Oblationem* significat, ita Reuclinus, Baronius, Genebrardus &c. Alii ab voce *Mess* derivant, quæ apud Septentrionales significat *Festum*, sive *Congregationem*, ita Albaspinæus *Lib. II. de Eucharist. Cap. III.* Alii demum rectius docent vocabulum latinum esse a *mittendo* dictum: est enim *Missa* idem ac *Missio*, sicuti *Remissa* idem ac *Remissio* (*). Et sane antiquitus generale nomen cujuscunque partis divini Ministerii fuit, tum prioris Catechumenorum, tum alterius Fidelium propriæ, uti mox vidimus. Hinc latinæ Ecclesiæ formula, *Ite, Missa est*, Græcæ respondet ἀπολύεσθε, & προέλθετε; quæ solemnia erant verba in dimissione primum catechumenorum, & deinde totius cœtus adhibita. Hanc genuinam esse vocis *Missa* originem indubia probant Alcimi Aviti, Isidori, Rabani Mauri, omniumque veterum Sacrorum Rituum Scriptorum testimonia (5).

VII. Illud hic tantummodo juvat subnectere vocem *Missa* aliis quoque sensibus fuisse antiquitus usurpatam: ac 1. pro Officio nocturno, & vespertino, sive Psalmodia, Scripturarum lectione, & precibus antelucano, & vespertino tempore habitis. Hinc Cassianus *Lib. II. Cap.* 13. Missæ nocturnæ mentionem facit, ubi quærit: *Quare post missam nocturnam dormire non liceat*. Et Synodus Agath. de vespertinis simul, & matutinis missis loquitur Can. XXX. *In conclusione matutinarum, & vespertinarum missarum post hymnos capitella de Psalmis dicantur*.

2. Missæ nomen acceptum reperitur pro ea parte Liturgiæ, cui interesse poterant Catechumeni, unde *Missa Catechumenorum* dicta est. Hinc Concilium Valentinum *Can. I.* sancivit, ut *Sacrosancta Euangelia in Missa Catechumenorum post Apostolum legantur*.

3. Pro ea parte Liturgiæ, quæ est ab Oblatione ad finem, unde *Missa Fidelium* dicta est. Hinc Cæsarius Arelat. *Tunc fiunt missæ, quando munera offeruntur, & Corpus, vel Sanguis Christi consecratur* (6).

4. Pro collectis, sive Orationibus in Missa Fidelium legi solitis: hinc Syn. Milev.

(4) *Conc. Ancyr. Can. XXIV.* Qui vaticinantur, & Gentium consuetudinem sequuntur .... in quinquennii Canonem incidant, secundum gradus præfinitos, tres annos καὶ δύο ἔτη ἄχρις χωρὶς προσφορᾶς. *Adde Conc. Antioch. Can. II.*

(*) *Similes Latinorum nominum decurtationes ἀφαιρέσεις per unius, aut alterius literæ amputationem habent etiam profani Scriptores sequioris ævi*. Accessa maris *pro accessione legere est apud Servium in I. Æneid. & in Itinerario Hierosol. At expressius apud Ecclesiasticos. Tertull. adversus Marcion.* Diximus, *inquit*, *de Remissa* peccatorum i. e. *Remissione*. *Consonat Cyprianus Lib. de Bono Patient.* Dominus baptizatur a servo, & *Remissam* Peccatorum daturus &c. *Cangius addit* Ultam *apud Ovidium pro Ultione, atque ipsam* Missam *pro missione apud Suet. in Calig. Cap. XXV. At perperam. Nam nullus adhuc, quod vidi, Ovidianam* Ultam *notavit, nec Cangius locum Ovidii indicat. Ad Suetonium quod spectat* Missa *ibi participii locum obtinet, ac non tam* dimittere *quam* repudiare *significat, uti apud Cic. pro Sext.* Honores missos facere, *& apud Plaut. Merc. Act. I. Scen. I. v.* 83. Missum facere amorem. *En Suetonii verba, quibus ait Caligulam Lolliam Paulinam Caji Memmii Consularis Uxorem* subito e provincia perductam sibi conjunxisse, brevique *Missam* fecisse, i. e *repudiasse*.

(5) *Alcimus Avitus Viennensis Episcopus ad finem V. Seculi Ep: I. ad Gundobandum Regem. Isid. Lib. VI. Orig. Cap. XIX. Rabanus Maurus Lib. de Instit. Cleric. Cap. XXXII.*

(6) *Vide Mabill. de Cursu Gallicano Lib. II.*

Milev. *Can. XII. Placuit, ut preces, vel orationes, sive Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio, ab omnibus celebrentur*.

5. Pro Lectionibus in Officio nocturno cantari solitis, quo sensu *Missam* usurparunt Cæsarius *Reg. Cap. XXI.* & Aurelianus Arelatenses *ibidem in Reg.*; & præsertim Regula quædam S. Aureliani sic habet: *In Natali Domini, & in Epiphania dicite unum Nocturnum, & facite sex missas de Esaia Propheta*.

6. Pro ipsa Sancti alicujus festivitate, quæ vocis *Missæ* acceptio passim invenitur apud mediæ ætatis Scriptores, & præsertim apud Ivonem Carnot. in Decreto, Heraldum Turonensem, aliosque, apud quos Missa S. Joannis, vel S. Martini idem est, ac Festivitas S. Joan. vel S. Martini.

7. Tandem pro tota Liturgia accipi consuevit omnes, & singulas publici divini cultus partes complectente: quo sensu plurali numero sæpius usurpata invenitur; vel quia duplex vulgo distingueretur Missa *Catechumenorum*, & *Fidelium*, vel quia ejus nomine omnia divina officia, omnisque Sacramentorum administratio intelligeretur. Hinc in Regula S. Benedicti de Sacerdote ad habitum, & ad professionem recepto statuitur: *Concedatur ei post Abbatem stare, & benedicere, & Missas tenere*; id est Sacrum celebrare, & Sacramenta administrare. Adhæc in Synodis Agathensi *Can. XXI.* & Bracarensi I. *Can. XVI.* Missas tenere idem est ac Missas, sive universam Liturgiam celebrare, eique interesse.

§. IV. *De aliis Divini Cultus Nominibus in Ecclesia Latina.*

VIII. Ac 1. dici quoque consuevit *Sacrificium* nomine a Judæis mutuato. Hinc apud veteres non modo altaris Officium, verum & quælibet cultus divini pars *Sacrificii* nomine veniebat. Hinc Hymnos, Psalmos; & Preces vespertinas communiter Sacrificium Vespertinum vocabant: ita Hieron. (7), tum Eusebius *de Laud. Constant. Orat. Cap. XVI.* λογικὰς θυσίας preces Christianorum *Rationalia, & incruenta Sacrificia* vocat. Et Hilarius *in Ps. CXL.* Opera Pietatis, quæ Christiani ad relevandos pauperes exercent, itidem *Sacrificii* nomine donat.

IX. 2. Nuncupatus etiam est *Sacramenta*, namque vox Sacramentum respondens Græcæ *μυστήριον* latioris significationis est, ac denotat non modo Sacramenta proprie dicta, verum & omnes Sacros ritus symbolicum quid in se continentes: hinc Liber Sacramentorum Gregorii M. & Codex Sacramentarius Gelasii Papæ Instructiones sunt de peragendis divinis officiis in Ecclesia. Tum Menardi *Not. in Sacramentar. Greg. p. 1.* & Stillingfleeti *Orig. Britann.* opinio est, Ambrosium, & Augustinum Libros de officiis Missarum liturgicis *Sacramenta* nominasse.

X. 3. Jam vero ab aliis Scriptoribus *Cursus Ecclesiasticus* nominatur; ita Gregorius Turonensis, Beda, & Concilium Calchutense. Et Usserio observante in Anonymo quodam veteri MS. Bibliothecæ Cottonis, Germanus, & Lupus *ordinem cultus Gallorum* in Britanniam secum dicuntur attulisse.

XI. 4. *Collectæ* quoque nomine donatur, eo quod in unum Populus colligitur, ita *Hieron. in Epitaph. Paulæ August. In Brevic. Coll. Acta SS. Saturnini, & Soc.* &c. quo sensu etiam in veteri Testamento *Levit. 23.* & *Deut. 16.* cœtus fidelium, diesque solemnes *Collectæ* dicebantur.

5. In Syn. Carthag. II. *Can. IX.* habita

(7) *Hieron. Ep. VII. ad Latam, ubi hortatur* monere *Filiam ut adsuescat*, nocte surgere, mane hymnos canere, Tertia, Sexta, Nona hora stare in acie quasi bellatrix, accensaque Lucerna reddere Sacrificium vespertinum. *Ubi notes hanc divini Officii partem, quod plerumque sub noctem accensa fieret lucerna*, Lucernarium *dictum fuisse. Hinc apud August. in Reg., S. Hieron. in Ps. CXIX. & in Conc. Tolet. I. Can. IX. ac passim alibi* Lucernarii *vox occurrit ad quasvis preces occaso Sole conceptas significandas. Ac officium ipsum vespertinum* Horam Lucernariam *adpellat* Cass. Lib. III. Inst. Cap. III. *Similis huic latinæ vox Græca λυχνικὸν occurrit apud* Pallad. Hist. Lausiaca Cap. XXXVIII. *Sextam Synod.* Cap. XC., *atque alibi; Vide* Gloss. Meursii.

bita ſub Cæleſtino adpellatur *Agenda ;* ibi enim ſtatuitur: *Quiſquis Presbyter inconſulto Epiſcopo Agenda in quolibet loco voluerit celebrare*, &c. Eadem adpellatione utuntur Auguſtinus, Anaſtaſius Bibliothecarius, & Auctor Capitularium Caroli M.

XII. 6. Tandem a Cypriano *Dominicum* nuncupatur, præſertim in Libro de opere, & eleemoſ. *Locuples, & dives es*, inquit, *& Dominicum celebrare te credis . . . qua in Dominicum ſine ſacrificio venis* &c. at fortaſſe Cyprianus hic nomine *Dominici* locum, quo populus ad Euchariſtiam celebrandam conveniebat, intellexit.

§. V. *De aliis cultus Divini Nominibus in Eccleſia Græca.*

XIII. Ac primo apud Græcos Scriptores omnes cultus divini partes plerumque Λειτουργία, & Ἱερουργία *Liturgia*, & *Hierurgia* generali nomine adpellantur. Licet enim Liturgiæ vocabulum ſenſu latiore quodlibet publicum miniſterium ſive Eccleſiaſticum, ſive Civile denotet; quin & ab Apoſtolo Paulo haud ſemel pro miniſterio caritatis uſurpatur; attamen ſtrictiore ſenſu ad diverſas cultus divini partes denotandas adhibetur. Hinc in Synodo Epheſina, & apud Antiochum (8) nomen λειτουργίας æque matutinis, ac nocturnis precibus tribuitur. Jam vero, Bona obſervante, cum nomini λειτουργίας epitheton *ſacra*, vel *miſtica* adjungitur, ſpeciatim Sacrificium Euchariſticum ſignificatur. Hinc in Epitome de geſtis S. Petri officium altaris ἱερὰ λειτουργία *ſacra liturgia* dicitur.

XIV. Porro obſervandum hic nomen *Liturgiæ* aliquando etiam Libros, methodum, & regulas de divino cultu legitime peragendo continentes ſignificaſſe: quo ſenſu ab Auctore Conſtitutionum manifeſto accipitur, ubi ſcribit: *Liturgia, in qua Oratio pro Catechumenis*. Hinc *Deſcriptiones* ordinis ſervandi in ſacrorum celebratione, quæ nomina Petri, Jacobi, Andreæ, Baſilii, & Chryſoſtomi præſeferunt, *Liturgiæ* dicuntur; quæ aliquando antiquitus a Græcis dictæ quoque ſunt Ἀκολουθίαι, ſive *Ordines agendi*, Νόμοι τῆς Ἐκκλησίας *Regulæ*, ſive *Conſtitutiones Eccleſiæ*, & Εὐχῶν διατάξεις *Precum Deſcriptiones*, quo nomine Liturgiam Baſilii inſignit Nazianzenus *Orat. XX.*

XV. 2. Μυσταγωγία aliquando adpellatur; quo nomine Baptiſmus quoque a Chryſoſtomo, & Theodoreto (9), tum & Confirmatio a Cyrillo Hieroſ. donantur (*). Hujus enim Catecheſes Myſtagogicæ expoſitionem rituum exhibent in Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ adminiſtratione obſervatorum. Adhæc Nomina Ἱερά, Ἱερουργία, Θυσία eodem ſenſu uſurpata inveniuntur ab Chryſoſtomo, & Baſilio.

3. Synaxis quoque nomen ad idem ſignificandum a veteribus adhibitum eſt. Quod licet quamcumque Fidelium congregationem denotat; non raro tamen pro Populi Fidelis conventu ad Sacrificium Euchariſticum ſpeciatim ſignificandum adhibuere, ac præſertim Pſeudo-Dionyſius Areopagita.

4. Adpellari quoque conſuevit Anaphora Ἀναφορά, quæ vox Heſychio interprete elevationem, ſurſum elationem, ac

(8) *Conc. Epheſ. Epiſt. Synod. ad Imperatorem apud Caſaubonum*, Antiochus *Ep. Hom. XIX. Bibl. Patrum Græco-Lat.* Redde nos excitatos ad reddendum tibi munus nocturnæ, ac matutinæ Liturgiæ, νυκτερινῆς, ἑ ἑωθινῆς λειτουργίας.

(9) *Theodoret. In Cap. I. Cant. Chryſoſt. Hom. XXI. ab ſuperbia feminam dehortans*, Vocis illius recorderis, *inquit*, quam dum Sacris initiabaris, emiſiſti, ἐν ἀφῶνις μυσταγωγούμενος Abrenuntio tibi, Satana.

(*) *Adpoſitum ſuperne aſteriſcum ab Auctore cum reperiſſem, quid ſibi vellet, equidem vix divinari potui; niſi forte id ejus animo obverſabatur infrequentem admodum τῆς μυσταγωγίας uſum* ad confirmationem *ſignificandam, cum de hac ejus vocis notione taceat Suicerus, nec ſatis firmi argumenti ad id ſit* Cyrillum *tractatus ſuos de Baptiſmo, Euchariſtia, atque Confirmatione* Miſtagogicos *inſcripſiſſe. Ceterum apud antiquos Patres nuſquam eam vocem non legere eſt, ſicubi de Baptiſmo, aut de Euchariſtia ſermo ſit.* Pro Euchariſtia *ſæpe Chryſoſt. Hom. LXXII.* κρατὴρ τῆς μυσταγωγίας Calix Euchariſtiæ. *Item* Hom. CI. *Vide Caſaub.* Exercit. XVI. ad Annales Baron.

ac etiam invocationem, & ſupplicationem notat. Hoc nomine inſcribitur S. Baſilii Liturgia ab Andrea Maſio e Syriaco Idiomate in latinum tranſlata.

5. Aliis quoque nominibus Græci uſi ſunt, uti Eulogia, Agathon, Myſterium &c. de quibus videſis Vicecomitem, Raynaudum &c. nobis præcipua attigiſſe ſufficiat.

§. VI. *De* Litaniis, *earumque ſignificatione, & origine.*

XVI. Λιτανεῖαι, & Λιταὶ Litaniæ, & Litæ, latine *Supplicationes*, & *Rogationes* nativo ſuo ſignificatu preces qualcumque ſignificant. Euſebius *Vita Conſtant. Lib. II. cap.* 24. de Conſtantino ſcribit, antequam prœlium conſereret, λιταῖς *precibus* Deum placare ſtuduiſſe, ut propitium ſuarum partium adjutorem haberet. Tum alibi *Lib. IV. Cap. LXI.* eodem ſenſu nomine λιτανείας utitur. Ita quoque eandem vocem adhibent Chryſoſtomus *Hom. III. in Coloſſ.* ac etiam Arcadius, ubi hæreticis interdicit *ad Litaniam faciendam intra civitatem noctu, vel interdiu profanis coire conventibus. Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. V. De Hæret. L.* 30.

XVII. Verum idem vocabulum ſenſu ſtrictiore uſurpatum eſt ad ſignificandum ſolemnes quaſdam ſupplicationes ad deprecandam impendentem aliquam calamitatem adhibitas. Harum Auctor vulgo ſtatuitur Mamercus Ep. Viennenſis in Gallia medio Seculo quinto. Verum jampridem ante Baſilii tempora in uſu eſſe cœperant in Oriente, uti ex ejuſdem Baſilii teſtimonio perſpicue conſtat (10). Adhæc etiam in Occidente ante Mamercum fuiſſe uſitatas, aperte teſtatur Sidonius Apollinaris, qui tempore Mamerci vixit, & aliquot ad eum Epiſtolas exaravit. Verum eodem Sinodo atteſtante *Lib. V. Ep. XIV.* Litaniæ illæ, quæ prius erant *vagæ, tepentes, infrequentes, ac oſcitabundæ*, nec ullis ſtatis temporibus fixæ, ſed tantum, ubi grave aliquod malum impenderet, obſervatæ, a Mamerco tribus ante Domini Adſcenſionem diebus adſignatæ, ac ejus opera ferventiori ſtudio celebratæ ſunt, de quibus ſcribit Sidonius ibidem. *In his autem, quas Mamercus nobis & protulit pariter, & contulit, jejunatur, oratur, pſallitur, fletur.* Atqui & Auguſtini tempore iſthæc Rogationum ſolemnitas in Eccleſiis Africanis jam obtinebat. Ipſe enim in Sermone vigiliæ Dominicæ Adſcenſionis de jejunio trium dierum ante feſtum Adſcenſionis diem loquens ſcribit: *Sine dubio peccatorum ſuorum vulnera diligit, qui in iſtis tribus diebus jejunando, orando, & pſallendo medicamenta ſibi ſpiritualia non requirit.* Serm. CLXXIII.

XVIII. Hic omnino notandum Rogationes iſtas, quæ Mamerci opera ſaltem univerſalius, & ſolemnius in Eccleſia obſervari cœperunt, in Eccleſiis Hiſpanicis ad hebdomadem poſt Pentecoſten fuiſſe dilatas; quippe quæ antiquam Eccleſiæ regulam ſequerentur juxta quam durantibus quinquaginta diebus inter Paſcha, & Pentecoſten nulla habenda erant jejunia; id quod Synodi Gerundenſis Decreto primo ſtatutum invenitur (11).

§. VII.

(10) *Baſil. Ep. LXIII. Neocæſar. Nam quum Neocæſareenſes nocturnas nollent recipere preces*, propterea quod Greg. Thaumaturgi ætate inuſitatæ fuiſſent. At, *regerit Baſilius*, nec Litaniæ, quas jam in uſu habetis, illius tempore fuerunt. *Litania hic nonniſi certæ conceptarum precum formula.*

(11) *Conc. Gerund. Can. II.* De Litania, ut expleta ſolemnitate Pentecoſtes, ſequens ſeptimana, a quinta Feria uſque in Sabbatum, per hoc in triduum abſtinentia celebretur. *Ab eodem hoc Concilio terna etiam Litaniæ* Can. III. *ſtatuuntur* Calendis Decembribus cum jejunio celebrandæ, ut etiam in Conc. Tolet. V. & VI. Anno DCXXXVIII.; *donec tandem hæ Litaniæ cum jejunio in unum cujuſque menſis diem rejectæ ſunt, atque ita ceſſavit mos ab Mamerco in Galliis receptus tribus diebus ante Aſcenſionem jejunandi, quod ab veteri diſciplina abhorrebat. Conſtat id ex* Can. IV. Conc. Tolet. XVII. Anno DCLXXXIV. *Quo in Canone Menſtruæ illæ Litaniæ* Exomologeſes *adpellantur, credo quod ſummam animi, corporiſque demiſſionem, ac dolorem præſeferrent.*

§. VII. *De* Rogationibus *a Gregorio M. institutis*, *de distinctione inter* Litanias Majores, *&* Minores.

XIX. Gregorius M. *Rogationes* quasdam Romæ instituit celebrandas VII. Kal. Majas dictas *Litaniam septiformem*; quippe quod septem virorum, ac mulierum classes ex septem distinctis Ecclesiis ea die exire jubebantur publice supplicationes celebraturæ. Hæc solemnitas ipsi Gregorio memoratur, & Walafrido Straboni, qui *litaniam majorem* vocat. Nonnulli Auctores hoc nomine a Rogationibus Mamerci fuisse distinctam autumant; at falluntur: etenim Cellotius *Not. in Capitula Gualteri*, Moguntina Synodus *Can. XXXIII.* Capitularia Caroli M., aliique veteres ipsas Mamerci Rogationes *litanias majores* vocant.

XX. Quid igitur, inquies, per Litaniam minorem intelligendum erit? haud contemnenda videtur eorum opinio, qui credunt *Kyrie eleison* pluries repetitum, & ad matutinum, ad Missas, & ad alias Liturgiæ partes adhibitum *Litaniam minorem* fuisse dictum (12); quippe quod brevior quædam fuerit supplicationis formula in omnibus Ecclesiis per diversas nocturni, diurnique officii horas usitata. Id quod patet tum ex Gregorio M. *Lib. VII. Ep. LXIV.* tum vel maxime ex Concilii Valensis II. *can.* 2. cujus auctoritate in Ecclesias Gallicanas primum fuit introducta; *quum jam*, *tam in Sede Apostolica*, inquiunt, *quam etiam per totas Orientale*, *atque Italiæ provincias ea dulcis*, *ac salutaris consuetudo esset intromissa*.

XXI. Postremo Litaniæ illæ Majores plerumque cum processionibus fiebant (13), in quibus Crux, ceu Christianæ professionis tessera anteibat. Id patet tum ex Gregorio M. *Lib. II. Ep.* 2. tum etiam ex quadam Justiniani lege, *Novell. CXXXIII. C. XXXII.* qua sancitur, *ne sine Episcopis*, *&* *Clericis fiant*, adhæc

F 2 & ut

(12) *Maluissem hæc a Binghamo*, *cujus ea est conjectura*, *aliquo monumento fulciri*. *Nam neque Gregorii M. nec Conc. Vasensis*, *quæ citantur verba*, *Litanias expresse appellant preces appositae nocturnis*, *eue diurnis officiis*. *Atqui id facto opus erat*. *Sed dubium exemit* Bona de Divina Psalm. Cap. XIV. §. IV. *qui eat preces in Liturgiis Jacobi*, *Basilii*, *ac Joannis Chrysostomi* Litanias *dici observat*. *Atque has*, *ut opinor*, *plerumque Preces respexere*, *cum Litanias nominant Augustinus*, *Cyprianus*, *&* *Chrysostomus* in Homiliis. *Siquidem cum nondum nostræ*, *ut sunt*, *Litaniæ invaluerant*. *Licet est apud* Joan. Chrysost. *locus egregius* Hom. contra Ludos, & Theatra Tom. II. *ubi perspicue de peculiaribus Litaniis cum Processionibus*, *&* *Sanctorum invocatione fieri solitis loquitur*. Ante hos dies, *inquit*, irrumpente pluvia λιτανεία, & supplicationes fuere, totaque civitas nostra, quasi torrens, ad loca Apostolorum currebat, advocatosque implorabamus Sanctum *Petrum*, & Beatum *Andream*, par illud Apostolorum, *Paulum* item, & *Timotheum*. *Hunc locum dolo malo reticuerat Binghamus*, *credo quod suis ingratiis sanctos advocatos ab Cyrysostome*, *ejusque plebe adprecatum iri videret*.

Præterea Preces in finem cujusque officii recitatas perspicue Litanias *appellat* S. Benedictus in Reg. Cap. IX. Post hos (*Psalmos*) Lectio Apostoli sequatur ex corde recitanda, & versus, & supplicatio *Litaniæ*, id est Kyrie Eleyson, & sic finiantur Vigiliæ nocturnæ. *Hic vero observatis tum rite discrimen statuetur inter Majores*, *ac minores Litanias*. *Quamvis ea etiam ratione discriminari potuerunt*, *si Majore dicamus*, *quæ majores cum Cleri*, *Populi*, *Monachorumque frequentia*, *tum statis per annum diebus*, *atque in omnibus æque Ecclesiis celebrabantur*. *Minores vero quæ nec certo tempore*, *neque ab omnibus*, *sed prout se dabat necessitas*, *in privatis Ecclesiis fiebant*. *Et sane observatu dignum est*, *sicubi in vetustis* Sacramentariis *occurrit Litanias aliquas* Majores *inscribi*, *loca etiam indici*, *quo eundum erat*, *tum dies quibus erant celebrandæ*. *Ita passim in Sacramentariis*, *præsertim vero apud Gregorium M.* Lib. II. ante Ep. I. *Sub Indictione X. quæ tum incipiebat anno DXCI. mense Septembris*. Sollemnitas annuæ devotionis nos . . . admonet ut Litaniam, quæ *Major* ab omnibus appellatur &c. *tum diem etiam*, *&* *locum edicit*. Sexta igitur Feria veniente a Titulo B. Laurentii Martyris &c. *Idem observare est in ejusdem Pontif. Sacramentario ab Pamelio edita*.

(13) *Hinc ipsa Processio quandoque* Litania *dicta est*. Anast. *in Sergio PP.* Constituit, ut diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis S. Dei Genetricis *Litania* exeat a S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat. *Hinc etiam* Litaniæ procedere *apud Anonymum de Vitis PP.* apud Stephanotium Tom. VII. Fragm. MSS. *id est ordine Processionali*, *ut aiunt*. *Vide Cangium*.

& ut Cruces in ipsis adhibitæ non alibi, nisi in Ecclesiis reponantur. Sidonius *Lib. V. Ep. VII.* ceu absurdum quid in hominibus notat, *si castorinati*, hoc est fibrina veste induti *ad Litanias incedant*. Et sane per Canones omnino interdictum est, *ne qui equitando, nec pretiosis vestibus amicti, sed discalceati potius, cinere, & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit, Rogationibus intersint*.

§. VIII. *Qua lingua antiquitus Sacra Liturgia peragi consueverit*.

XXII. Ac primo Occidentales Ecclesias quod spectat nonnisi latina lingua Sacram Liturgiam celebrasse certius est, quam demonstrari oporteat. Et sane Apostolos, eorumque Successores eo idiomate Sacra in singulis regionibus peregisse, quod illis magis commune, & vernaculum esset, profecto oppido probabile est, nec desunt antiqua monumenta, quæ id demonstrent. Jam vero in Occidente nonnisi latinam linguam adhibuerunt, quæ tunc temporis maxime in usu erat. Hinc in Occidente non inveniuntur antiquæ Liturgiæ, nisi latinæ. Ad hæc & Gentes, quæ successu temporis Christianam Religionem sunt amplexatæ Franchi, Germani, Angli, Poloni, aliique septemtrionales latina lingua, licet ipsis ignota, perenni usu Sacram Liturgiam celebrarunt, tum & in Africa latinæ linguæ usus in Sacris semper viguit, licet eam populus non intelligeret: id testatur Augustinus (14).

XXIII. Præterea in Oriente quamvis multæ diversarum linguarum nationes sint, quæ Christiana professione censentur; attamen veteres Liturgias non habent, nisi vel græco, vel Chaldaico sermone conscriptas, quibus Græci Melchitę, Maronitę, Nestoriani, Jacobitę aliique per diversas regiones dispersi semper usi sunt, ac hodiedum utuntur; quamvis linguæ illæ jam pridem desierint esse vulgares, atque adeo populis ignotæ, qui vel græca vulgari, vel arabica communiter pluribus abhinc seculis utuntur.

XXIV. Et sane fert hoc rerum humanarum vicissitudo, ut vulgares linguæ mutationibus subjectæ sint, vel ob frequens alterius nationis commercium, vel quod cum Provinciæ in extraneorum Principum ditionem transeunt, hi proprias leges, mores, & linguam in eos introducunt. Id nativis veterum Gallorum, Hispanorum, Britannorum, aliorumque Septemtrionalium populorum linguis accidit; qui cum a Romanis subacti sunt latine loqui didicerunt, ac proprium idioma paulatim desuevere.

Eodem fato in Oriente Græca, Syriaca, & Chaldaica extinctis, Turcica, Arabica, aliæque linguæ in plerisque Orientalibus Regnis successere.

XXV. Ut autem Religio inter frequentes hujusmodi vicissitudines inconcussa maneret, ubique semper Orthodoxa Ecclesia vetus Idioma in divinis Officiis retinuit, id exigente Sacrarum rerum dignitate, & majestate, ut nihil in iis immutetur, ne qui erroneum, aut impurum in eas irrepat: quod facile contingeret, si eas ab antiquo sermone, quo ab Apostolis, & Apostolicis viris traditæ sunt, in alium recentiorem, & a primævo diversum transferre liceret. Adhęc & ipsum vulgare Italicum Idioma, ut quoque & Gallicum nostra hac ætate valde ab antiquis discrepant. Experientia ergo satis constat singulis fere seculis vulgare idioma mutari. Unde si Missa vulgi sermone celebraretur, iisdem mutationibus subjecta foret non sine gravi debitæ venerationis dispendio, evidentique depravationis periculo. Quis igitur adeo

unir

(14) *Pluribus in locis id indicat Augustinus*. Ep. CCXIX. *ad Cælestinum P. curasse se, ait, ut Fessulæ Episcopus proponeretur*. Quod ut fieret, *inquit*, aptum loco illi, congruumque requirebam, qui & Punica lingua esset imbutus. *Ut nempe plebem latinitatis ignaram edoceret*. *Idem in Expositione* Ep. ad Romanos. In quorumdam rusticanorum collocutione cum alter alteri dixisset: Salus; quæsivit ab eo, qui & latine nosset, & Punice, quid esset Salus. *Tractatus item in* Joann. *tum* Lib. II. Retractationum Cap. 3. *id ipsum indicat, ut illud plane constet plerasque Africanas Urbes, si Romanas Colonias excipias, vix aut ne vix quidem latine nosse*.

universalem, tamque antiquam Catholicæ Ecclesiæ regulam improbaverit, qua vetatur, ne quis Sacram Liturgiam vernaculo idiomate peragere attentet, sed quo idiomate primum instituta est, eo semper celebretur, licet populo ignotum sit? Quin immo præcessit hujus disciplinæ exemplum in veteri Testamento; nam quum Populus post captivitatem Syriace loqueretur, Psalmos tamen, & scripturas Hebraice semper cantavit, & legit, quem morem Hebræi etiam hodie in Synagogis observant.

XXVI. Jam vero adversus hactenus explicatam, ac tot tantis tamque gravibus rationibus firmatam Catholicæ Ecclesiæ praxim Heterodoxi quidem plurima adferunt argumenta, eaque plerunque ex antiquis Ecclesiæ monumentis petita. Verum mea duntaxat sententia ad rem parum apta: quæ tamen paucis, ac veluti raptim excutere abs re non erit.

XXVII. Ac 1. antiquorum Patrum testimonia producunt, qui Deum in Ecclesiis variis diversisque linguis pro regionum diversitate celebrari tradunt: uti Justinus M. atque Origenes (15) Græcos Græcis, Romanos Romanis, ac singulos ferme populos propriis linguis usos ajunt ad Deum deprecandum. Verum observandum est primis quatuor Ecclesiæ Seculis nondum fœda barbarorum illuvie per Romanum Imperium grassante, tres præcipue linguas Syriacam, Græcam, ac Latinam ab Apostolis ipsis adhibitas in usu fuisse, hisque sacras Liturgias sic celebratas, ut Romani Romanas, Græci Græcas, nonnulli etiam Syriacas haberent Liturgias. Ergo cum Patres sua quemque populum lingua Deum adprecari ajunt, cum frequenter in homiliis, ut adsint animis, auditores rogant, cum denique sacrificantibus Presbyteris populum respondisse innuunt, atque id genus alia; profecto has Liturgias respiciunt, quum quævis harum ut plurimum innotesceret illis populis, apud quos adhibebatur.

XXVIII. Ceterum iidem vel latum quidem unguem ab tribus his linguis discedere piaculum duxere, quamvis alicubi illæ non penitus intelligerentur. Hieronymus (16) auctor est per Ægyptum totam, ab Constantinopoli Antiochiam usque, tum per universam Palæstinam Græcos Scripturarum Codices fuisse lectitatos. Quin Græcam Basilii M. Liturgiam his populis communem fuisse discimus ex *Paulo Diac. Ep. ad Fulgentium*. Atqui certum est Orientalium plerosque, ut Ægyptios, Cappadoces, Lycaones, Galatas, ac Syros aliis Dialectis usos fuisse. Vide Cl. *Renaudotium Tom. I. Dissert. I. Cap. 6.* Adhæc ecquem latet fuisse olim in Ecclesiis *Sacros Interpretes*, qui ut ab ignaro populo Euangelia intelligerentur, ea in naturalem linguam vertebant? Sed de his vide adjectam notam (17). Id tamen hinc conjicias constantem fuisse Patrum veterum opinionem

(15) *Orig. contra Celsum Lib. VIII.* Græci Græcis, Romani Romanis nominibus utuntur inter precandum, singulique precantur propria lingua. *Just. M. Ap. II.*

(16) *Hyeron. Præf. in Paralip.* Alexandria, & Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat auctorem, Constantinopolis usque Antiochiam Luciani M. exemplaria probat. Mediæ inter has Provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius, & Pamphilus vulgaverunt.

(17) *Fuisse quoddam Ecclesiasticorum ministrorum genus, quos* ἑρμηνευτὰς *vocitabant, tradit* Epiph. Exposit. Fidei num. XXI. Hi, *eodem teste*, linguam unam in aliam vertebant, tam in lectionibus Scripturarum, quam in Concionibus ad populum habitis. Ἑρμηνευταὶ γλώσσης εἰς γλῶσσαν ἢ ἐν ταῖς ἀναγνώσεσιν ἢ ἐν ταῖς προσομιλίαις. *Porro in Actis Procopii Martyris apud Valesium* in Not. Euseb. de Martyr. Palæstinæ Cap. I. *Procopius ipse in Ecclesia interpres fuisse dicitur*. Ibi Ecclesiæ tria ministeria præstabat, unum in legendi officio, alterum in *Syri* interpretatione *sermonis*, & tertium adversus Dæmones manus impositione consummans. *Moe idem apud Afros obtinuit. Paulo ante adnotavi Augustinum, ut Fessulæ Præsulem præficeret, eum præ ceteris quæsivisse, qui Latine, non secus ac Punice sciret*, Epist. ad Cælestinum P. *Chrysostomus etiam, apud* Theodoretum Lib. V. Cap. XXX. *sæpe in Scythicam Ecclesiam progressus interpretis ope plerosque Arianorum Gothorum in Ecclesiæ sinum reduxit. Neque vero id ab eo inter Scythas modo, sed in Urbe etiam Constantinopolis factitatum, ibidem tradit Theodoretus. At ad Alexandrinam quod attinet Ecclesiam, inferius dicam.*

nem non mutandas Ecclesiæ Liturgias, licet populorum linguę mutarentur.

XXIX. Regerunt tamen contra *Antonium Abbatem*, teste *Athanasio in ejus Vit.* licet literarum rudem, ac tantum patrium sermonem i. e. Ægyptiacum callentem, audito tamen Euangelio, suis divenditis, in solitudinem secessisse; tum S. Nicetæ, ac S. Sabæ Archimandritæ exemplum producunt (18), qui vernaculis linguis in suis Monasteriis peragi Liturgias sciverunt. Verum quis sibi persuadeat Alexandriæ Ægyptiaco idiomate sacram Συνάξιν celebratam fuisse, cum contrarium sexcentis in locis innuat Athanasius, ac expressius Hieronymus *Præfatione in Paralip.* dicat Codices LXX. Virorum per Hesychium emendatos legisse Alexandrinos? Quare (ut jam non dicam Græcum sermonem Alexandriæ, ut Romanum Africæ pene vulgarem fuisse, quod omnes norunt) profecto Jesu Christi præceptum de bonorum in pauperes erogatione saltem per sacros ἑρμηνευτὰς *Interpretes* audire potuit Antonius, quos Alexandriæ præsertim fuisse, qui Græca Coptice redderent e suggestis, testatur vetus *Glossarium Copticum* apud Renaudotium *loc. cit.* (19). Ad exemplum autem a Nicetæ, ac S. Sabæ Archimandritæ, distinguendum censeo inter Missam Catechumenorum, & Missam Fidelium. Illa Precibus, Orationibus, ac Psalmodia constabat, hæc Euangeliorum lectione, ac τῶν πιστῶν ἀρχαῖς *precibus Fidelium*, augustique sacrificii Immolatione. Porro priorem Missam i. e. Hymnos, ac Psalmos ut patrio sermone decantarent Monachi, Theodosium, ac Sabam indulsisse non diffitemur, uti nunc quoque aliquot in Ecclesiis sacras preces vulgo effundi compertum est, at alteram, i. e. Missam Fidelium non item. Quod expresse subnectunt tam Theodorus Petræorum Episcopus, qui S. Nicetæ, quam Cyrillus Scythopolitanus, qui S. Sabæ exempla scriptis prodidere. Ille enimvero in ea Epistola *ad Naudæum* data hæc subdit: *In sacræ vero Communionis Synaxi Missæ seriem ad Euangeliorum sacrorum lectionem in propria lingua singuli ab initio ec. tum omnes . . . in magnam Græcorum congregantur Ecclesiam, ibique divinorum mysteriorum participes fiunt.* Post Hymnodiam ergo, ac preces omnes longe gentium Monachi in Magnam Græcorum Ecclesiam conveniebant, ibique grææ Liturgiæ, quamvis ejus ignari, intererant. Eadem reperies in cit. loco *Cyrilli Scythopol. in Vit. S. Sabæ*, nempe Armenos Monachos *tempore oblationis divinæ cum Hellenistis convenisse, & divina participasse Mysteria.*

(18) *Theodorus Petræorum Episcopus* Ep. ad Naudæum *de Vita S. Theodosii Archimandritæ hæc habet de S. Niceta Dacorum Episcopo*. Hic cum intra Monasterium quatuor exædificasset Ecclesias; unam, in qua græca dialecto multitudo Patrum separatim sacrificium laudis Deo sacrificaret; alteram, in qua nativo sermone quoddam genus hominum (*Bessos intellige, ut est in ejusdem vita apud Surium X. Januarii*) Supremo Deo supplicationes deferrent; Tertiam, in qua Armenii perpetuo divinis Hymnorum cantibus addicti lingua propria Domino laudes dicerent. *Similia habet Cyrill. Scythop. in Vita S. Sabæ.*

(19) *Sane etiamnum quamplura extant Coptica Glossaria, in quibus visas Gręcas voces non unas, easque vulgatissimas Coptico idiomate redditas, aut Arabico: atque id in usum Ecclesiasticum, uti docet unius, ex his Glossariis, ἐπιγραφὴ, quod* Schola Ecclesiastica Sahidica *dicitur, in quo scilicet Ecclesiastica voces* Sahid *Thebaidis lingua explanantur. Unum vero pręceteris hęc habet in prefatione, ut est apud Renaudotium* Tom. I. Liturg. Orient. pag. 207. Antiquum morem fuisse ut Lectiones ex Scripturis legerentur græce, sequereturque Coptica interpretatio, idque factum antequam ulla omnino apud Christianos foret Arabicæ linguæ cognitio; sed per universam Ægyptum antiquitus Christiani legebant lectionem Grece, eamque Coptice explanabant. *Atqui si in quibusvis Scripturę lectionibus fiebat, quanto magis in solemni Missę sacrificio una Dominica die apud Alexandrinos celebrato, quod indicat* Athanas. in Vita S. Antonii Abb. n. 1., *& Patres Benedict. adnotarunt in ejus Operum editionis* Præf. n. III.

CAPUT VII.

De Origine, et Usu Liturgiarum in Ecclesia per quatuor priora Secula.

§. I. *De Sacræ Liturgiæ Origine.*

AC primo de Ecclesiis Apostolorum tempore quæri potest, num statis, an vero novis semper, & extemporalibus divini cultus formis in unoquoque Fidelium conventu usæ sint. Qua in re omnino distinguendum 1. inter divinas formas, & formas humanæ institutionis. 2. inter ordinarias, & extraordinarias occasiones. 3. inter tempora extraordinariorum Spiritus S. charismatum, & tempora, quando hæc dona miraculis plena cessarunt. Jam non est dubium formas divinitus institutas, uti formæ Sacramentorum, Psalmi Davidici, Oratio Dominica, &c. semper in Ecclesia sine variatione fuisse adhibitas. Adhæc Formæ humanæ institutionis ab Episcopis pro ipsorum prudentia, & sapientia adjectæ sunt, & quidem respectu habito ad ordinarium ministerium. Adhuc enim libertate gaudebant novas formas condendi, ubi id nova ferret occasio, vel exigeret necessitas (1). Tum quoad extraordinaria Spiritus Sancti dona perdurarunt, nemo sane negare quiverit precationes, & hymnos immediate a Spiritu S. dictatos, partem ordinarii ministerii Ecclesiastici constituisse. Ubi vero illa dona cessarunt, tum Episcopi hunc defectum formis a seipsis prudenti consilio compositis suppleverunt. Atque isthæc vera Liturgiarum, sive statarum divini cultus formarum origo videtur fuisse.

II. Jam vero Seculis posterioribus Episcopi primum ex mutuo consensu, deinde lege per Conciliorum Canones præscripta suas Liturgias ad exemplar Ecclesiæ Metropoliticæ, ad quam spectabant, conformarunt. Isthoc in pluribus Conciliis statutum invenitur, ac præsertim pro Ecclesiis Gallicanis *in Agathensi anni* 506. *Can. XXX. Epaonensi, anni* 517. *Can. XXVIII. Venetico* apud Britones

(1) *Fuit tamen status quidam Liturgiarum Ordo, certaque, ut ita dicam, Precum materies. Quas enim Apostolus* Ep. 1. ad Timotheum Cap. II. 1. *in Ecclesiis fieri vult* Obsecrationes, Orationes, Interpellationes, & Gratiarum Actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus &c. *has constans, sanctaque Patrum omnium Religio tenuit. Just. M.* Apol. II. *convenisse Fideles ait*, ad communes Preces, & Supplicationes cum pro se ipsis, tum pro illuminato, & aliis ubique gentium omnibus. *Tertullianus* Lib. ad Scapulam. Itaque sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius. *Cyrillus* anno CCCXLVII. Catechesi XXIII. n. 9. Super illam Propitiationis Hostiam obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro recta Mundi compositione, pro Regibus, pro Exercitibus &c. *At Augustinus* Epist. CXLIX. ad Paulinum *adhucdum in universis Ecclesiis Apostolicum ordinem Liturgiarum observari ait*. Obsecrationes *scilicet* quas facimus, *inquit*, in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici. Orationes *etiam*, quas proferimus quum benedicitur, & sanctificatur . . . quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit. *Ejus etiam orationis, quam proxime Canon Missæ excipit, quamque vulgo omnes* Præfationem *dicimus, meminit* Cyprianus Lib. De Orat. *Ex quo vides, etiam apud antiquissimos Patres veluti penicillo delineatum eum, quem nunc in Missis quotidie recitamus Canonem, licet forte antiquus ab nostro tum quod ad verba, tum quod ad orationum numerum, ac seriem nonnihil discreparit. Id modo non ambigas fuisse in illa verborum varietate constantem, certumque Precum ordinem, utque ab eo recederent, cujusque arbitrio nusquam permissum fuisse. Quam etiam sententiam S. Clementis Romani Apostolici Viri testimonio firmatam reperio* Epist. ad Corinth. Cap. XL. Cuncta ordine debemus facere, quæ nos Dominus jussit peragere. Statutis temporibus Oblationes, & Liturgias perfici, neque *inordinate* fieri præcepit.

nes in Provincia Turonensi *anni* 461. (2) &c. & pro Ecclesiis Hispanicis in Concilio *Gerundensi anni* 517. *Toletano IV. anni* 633. ac presertim *Bracarensi anni* 563. quod quinque hac de re Canones edidit. Tandem Imperio Romano in diversa Regna dividi cœpto, ortus est usus liturgiarum singulis nationibus peculiarium, quę eorumdem Regnorum finibus, ac limitibus circumscribebantur (3).

§. II. *Cur nulla ex antiquis Liturgiis perfecta, & integra hodie superstes sit, quales fuerunt in prima sua origine.*

III. Plures diversęque hujus rei caussę esse possunt: 1. Libertas, quam quisque Episcopus habuit peculiarem pro sua ipsius Ecclesia Liturgiam formandi; quum enim singulę singulis peculiaribus Ecclesiis addictę essent, profecto nihil in caussa erat, cur earum notitia ad alias Ecclesias diffunderetur. Adhęc quum Episcopi ad earum usum non stricte fuerint alligati, sed alias pro lubitu suo condendi, vel jam conditis adjiciendi; vel immutandi libertate gauderent, hinc ipsis curandum non fuit, ut in sua integritate servatæ ad posteros propagarentur.

2. Observantibus doctissimis Sacrarum Antiquitatum tractatoribus Renaudot. *Collect. Liturg. Orient. Tom. I. Dissert. I. pag.* 9. & Lebrun *Tom. II. Dissert. Liturg.* antiquæ liturgiæ per aliquot secula, haud quidem litteris consignari consueverunt, at vero tantummodo memoriæ mandatæ ex praxi addiscebantur. Id quod oppido probabile est (4); namque in persecutionibus, præsertim Diocletianea Sacræ Scripturæ, Vasa Altaris, Lampades, Candelabra, aliaque ad Ecclesiam pertinentia nonnunquam ab Ethnicis in Ecclesiæ thesauris reperta sunt, tum & aliquando a desertoribus Christianis ad comburendum tradita: at vero nulla unquam librorum ritualium mentio occurrit. Et sane qui fieri potuit, ut istiusmodi sacrorum rituum Codices difficillimis illis persecutionum temporibus persecutorum notitiam fugerint?

3. Temporis injuria ex ipsæ Liturgiæ, quas olim certissime in libros relatas fuisse constat, hodie maximam partem deperditæ sunt

(2) *Conc. Venet.: tettrorum hat de re facile primum* Can. XV. Rectum duximus, ut vel intra Provinciam nostram Sacrorum ordo, & Psallendi una consuetudo: & sicut unam cum Trinitatis confessione fidem tenemus, unam & officiorum Regulam teneamus, ne variata observatione in aliquo devotio nostra discrepare credatur.

(3) *Conc. Tolet. IV. Can. II.* Placuit, ut omnes Sacerdotes, qui Catholicæ Fidei unitatem complectimur, nihil ultra diversum, aut dissonum in Ecclesiasticis Sacramentis agamus .... Unus igitur ordo orandi, atque psallendi nobis per omnem Hispaniam, atque Galliciam servetur, unus modus in Missarum solemnibus, unus in matutinis, vespertinisque officiis.

(4) *Liberiorem, quam par erat, huis rei asserendæ Petrum Lebrun fuisse redarguit Muratorius* in Lit. Rom. Vet. Cap. I. *quem etiam ejus argumenta diluenda confutat. Unum hic eruditissimis tanti Viri observationibus addam, insignem Origenis locum. Hic enim objicienti Celso vidisse se apud Christianos Presbyteros Libros aliquos barbaros dæmonum nominibus refertos, ac prastigiis; id quidem non inficiatur, at in iis libris scriptas Orationes esse dicit, quibus sollemniter utentes nec* Magis, nec Dæmonibus essent expugnabiles. *Scribebantur ergo Christianæ Liturgiæ, sed eæ Gentilium metu infrequentes erant, minimeque vulgares. Ceterum primam, publicamque Liturgiarum scribendarum Epocham ante finem IV. Seculi conjicias.* Greg. Naz. Orat. XX. *in Basilii Laudes* Εὐχῶν διατάξεις Ordinem Precum *i. e. Liturgiam scriptis eum commendasse testatur. Tum negari vix potest* Cyrillum Hierosol. anno CCCXLVII. *bonam sacræ Liturgiæ partem Catechesibus suis interspersisse. Per eadem tempora Hilarius Pictavorum in Galliis Episcopus Librum* Hymnorum, & Mysteriorum alium confecit, *uti testatur Hieron.* Lib. de Script. Eccles. *Pseudo-Clementis Apostolicę Constitutiones multa etiam Liturgiarum documenta præseferunt, qui quidem Liber ut minimum IV. Seculi finem pręcessit. Sed hę omnes, si Basilianam excipias, aut deperditę, aut huc illuc sparsę; donec V. Seculo, ac deinceps multo plures Liturgiæ integræ, atque in quoddam quasi corpus redactę scriptę fuerunt. Paulinus Nolanus* Sacramentarium, & Hymnarium *scripsisse dicitur ab Gennadio. Gallias item, Hispaniam, atque Africam per IV. Saculum peculiares habuisse Liturgias clare innuit Augustinus* Ep. XLIV. ad Januarium. *Sed antiquissimum, qui in occidente scriptus fuerit, Gelasii I. Liturgicum Codicem habemus, circiter annum* CCCCXXIV. *quem Manuscriptum & ab Cardinali Bona, Mabillonio, at Morino sępe citatum juris publici fecit Cardinalis Thomasius ex Bibliotheca Christianæ Suevorum Reginę, uti ex ejusdem Pręfatione constat.*

ſunt: uti e.g. vetus Gallicana, Hiſpanica, Africana &c. igitur potiori ratione vetuſtiores, quæ nonniſi certæ pro peculiaribus Eccleſiis precandi formulæ erant, licet litteris conſignatæ fuerint, recentioribus ſuccedentibus obſoletæ, temporis injuria deperditæ recte dici poſſunt.

4. Et ultima ratio ex eo depromitur, quod antiquis Liturgiis a ſequentium temporum hominibus plura addita, ac mutata fuerint; quo factum eſt, ut quænam priorum illarum Auctorum genuina fuerit compoſitio nulla ratione diſcerni quiverit. Hinc Antiquæ ſub nomine Chryſoſtomi, & Baſilii, quæ circumferuntur Liturgiæ, fortaſſe ab ipſis compoſitæ ſunt, at ſequentibus ſæculis tot additiones, & mutationes in Eccleſia græca admiſerunt, ut ἀδύνατον omnino videatur in illis quid Chryſoſtomi, quid Baſilii ſit diſcernere.

IV. Jam vero antiquæ quatuor priorum Sæculorum Liturgiæ licet ad noſtra uſque tempora integræ, & perfectæ non devenerint; attamen tot tantaque de illis in genuinis antiquorum Patrum ſcriptis ſuperſunt fragmenta, ut inde duo certo colligi poſſint. Primum generatim, quod Eccleſia certis divini cultus formis uſa ſit. Alterum ſpeciatim, nimirum quemnam in præcipuis Sacri miniſterii partibus ordinem methodumque ſervaverit.

§. III. *Quænam precandi formulæ Apoſtolorum tempore in uſu fuerint.*

V. Praxis Apoſtolica, quod ſacros ſpectat divini cultus ritus, duplici ratione ſpectari poteſt. 1. Ratione ſtatarum formularum ab Judæis adhibitarum. 2. Ratione novarum formarum, quas cultui chriſtiano proprias induxerit. Primum quod ſpectat, profecto conſtat Judæos ſtatas divini cultus formas habuiſſe, quibus Apoſtoli libere uſi ſunt ſemper ac, ut cum illis ſe conjungerent, vel neceſſitas exegerit, vel ſuaſerit decentia. Atqui Judæorum Liturgia duplicis erat generis; altera enim ad miniſterium Templi, ad miniſterium Synagogæ altera pertinebat. Verum utraque in eo conveniebat, ut publicæ preces utrobique certa quadam, & conſtanti verborum forma fierent.

VI. Miniſterium Templi prout Servatoris noſtri tempore ſe habuit, accurate deſcribitur ab erudito Lightfooto; atque hęc potiſſimum complectebatur; nimirum *recitationem Decalogi, & Philacteriorum tribus, aut quatuor orationum formulis interjectis, Populi Benedictionem, Oblationes, & Sacrificia, Muſicam, Symphoniam, Pſalmorum cantus*, e quibus varii pro variis anni Feſtivitatibus canebantur.

VII. Quod vero ad Synagogę miniſterium attinet, hoc a Templi miniſterio in eo differebat, quod nulla haberet Sacrificia, ſed tantummodo tria hęc 1. Preces, 2. Lectionem Scripturarum, 3. Earumdem Prędicationem, & Explicationem. Quod ad Preces tantummodo obſervare juvat ipſarum antiquiſſimas, & ſolemniſſimas eas eſſe, quas vocabant שְׁמוֹנֶה עֶשְׂרֵה תְפִלּוֹת hoc eſt *duodeviginti Precationes*, quę ab Eſdra, & Magna Synagoga jam inde a tempore captivitatis inſtitutæ dicuntur. Quibus paulo ante Hieroſolymorum everſionem aliam novam addiderunt contra Chriſtianos, qui in ea nominibus *Apoſtatarum*, & *hæreticorum* memorantur. Id obſervat eruditus Humphredus Prideaux; quod & binis Juſtini M. & Epiphanii teſtimoniis firmatur (5).

VIII. Jam vero ſi ab poſtrema hac, & recentiori precatione diſceſſeris, reliquas utriuſque tum Templi, tum Synagogæ miniſterii precandi formulas Chriſti, ejuſque Apoſtolorum tempore in uſu fuiſſe accurate demonſtrant eruditi Antiquitatum Hebraicarum Inveſtigatores, ac præſertim modo laudati Lightfootus, & Humphredus Prideaux. Atque cum certo nobis conſtet Chriſtum, ejuſque Apoſtolos Templum, & Synagogas frequentaſſe, uti ex pluribus, ac perſpicuis æque Evangeliorum, ac A-

(5) *Epiph. Hæreſ. XXIX. Nazaræor. Cap. CX. ubi Judæos hæc contra Chriſtianos adprecatos dicit*, Deus exſecretur Nazaræos, Ἐπικαταράσαι ὁ θεὸς τοὺς Ναζωραίους. *Eadem viſas apud Juſtinum Dial. Cum Tryphone.*

ctuum Apostolorum locis perquam manifestum est, profecto dubitandum haud est usitatis apud Hebræos precationum formulis fuisse usos.

IX. Illud hic superest expendendum quibusnam formulis peculiarem Christianam Liturgiam constituerint. Atqui inter formulas, quas in constanti usu habuerint, sequentes potissimum fuisse tuto statuimus: nimirum 1. Orationem Dominicam, ceu formulam a Christo Domino omnibus Discipulis suis præscriptam. 2. Formulas Sacramentorum, ac præsertim baptismatis, & Eucharistiæ, quas sine ulla variatione semper in Ecclesia adhibitas sequenti Libro demonstrabimus. 3. Formulam profitendi Fidem in baptismate præsertim per recitationem Symboli, quod ab Apostolis conditum Libri superioris *Cap. XVIII.* demonstravimus. 4. Formulas renuntiandi Satanæ, & Christo se addicendi pariter in baptismo. 5. Hymnos, Psalmos, & glorificationes Dei e Sacris Scripturis depromptas. 6. Formulas benedicendi Populo, cujusmodi una est: *Gratia Domini N. J. C., Caritas Dei Patris, & Communio Spiritus S. sit cum omnibus vobis: Amen.* 7. Tandem Recitationem Historiæ de Institutione Eucharistiæ, quæ una cum Oratione Dominica in Altaris Sacrificio generatim ex praxi Apostolica usitata creditur. Igitur Ecclesia etiam eo tempore, quo extraordinariis Spiritus Sancti charismatibus adfluebat, ad certas cultus divini formulas se adstrinxit. Quis ergo praxim Catholicæ Ecclesiæ, Deum per statas precandi formulas colendi, accusabit, quippe quæ vel coarctationem Spiritus, vel inopiam ædificationis auditorum pariat?

§. IV. *Documenta de usu statarum formularum secundo Ecclesiæ Seculo.*

X. 1. Plinius Epistola ad Trajanum Imperatorem de Christianis loquens scribit ex ore quorundam apostatarum accepisse, *quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere secum invicem* (6). Profecto locutio *Carmen dicere* solemnem precum æque, ac laudum formam significat, uti pluribus Vossius, & Brissonius demonstrant.

2. Eodem Seculo Ignatius, uti ex antiquis Historiographis habemus, cantum *Antiphonarum*, hoc est rationem, hymnis alternatim decantatis, S. Trinitatem celebrandi induxit. Id quod de Psalmis Davidicis intelligendum haud est, quum Socrates ita scripserit (7): *Ignatius.... vidit aliquando Angelos hymnis alternatim decantatis S. Trinitatem celebrantes; & canendi rationem, quam in illa visione animadverterat, Ecclesiæ Antiochensi tradidit.* Cui narrationi Auctor Historiæ Tripartitæ subnectit (8): *Et ex hac ad cunctas transiit Ecclesias.* Id quidem videtur ipse Ignatius respexisse in Epistola sua ad Magnesianos *n. VII. Ne quidquam*, inquit, *videatur vobis rationi consentaneum, præter Episcopi judicium.... Omnes ad orandum in eundem locum convenite: sit una communis Precatio.* Istæ ab Ignatio compositæ divini cultus formulæ fortasse in usu Ecclesiæ Antiochenæ ad id usque temporis manserunt, quo Paulus Samosatensis, illis abolitis, nova quædam introduxit, de quo Patres Concilii Antiocheni acriter conqueruntur (9).

3. Antiquus ille Auctor apud Eusebium *Lib. V. Cap.* 28. qui secundo exeunte Seculo contra Artemonis hæresim scripsit, *Psalmos* memorat, *& Cantica Fratrum jampridem a Fidelibus conscripta, quibus Christum* Verbum Dei *concelebraverint Divinitatem ei tribuendo.*

4. Lucianus (10) Auctor Ethnicus in religioso quodam Christianorum conventu audivisse se ait, *Precationem incipientem a Patre, & in hymno multorum nomi-*

(6) *Plinius Lib. X. Ep. XCVII.*
(7) *Socrat. Lib. VI. Cap. VIII.*
(8) *Histor. Tripartit. Lib. X. Cap. IX.*
(9) *Epist. Synod. apud Euseb. Lib. VII. Cap.* 30. Quin etiam Psalmos in honorem Domini Jesu Christi cani solitos, quasi novellos, & ab recentioribus hominibus compositos abolevit.
(10) *Lucianus Dial. Philopatr.*

nominum finiente. Precatio incipiens a Patre proculdubio Oratio Dominica est; hymnus vero multorum nominum, vel est communis, & brevior Doxologia *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.*, vel potius Doxologia Major *Gloria in excelsis* &c. (11).

5. Justinus M. *Apol. II. communium precum, & supplicationum* meminit, quas fideles *cum pro se ipsis, tum pro illuminato, & aliis ubique gentium omnibus animo intento peregerint*. Hic sane Justinum statas precum formulas indicare satis probabile est; præsertim quum Justinus inter Judæos vixerit, qui statis Precationum formulis utebantur, quarum uti modo vidimus nonnisi unam rejicit, ceu execrationem adversus Christianos reliquis vetustioribus recentiori ætate insertam.

XI. Quod vero Justinus ibidem scribat Episcopum preces, & gratiarum actiones fundere ὅσην δύναμις *quantum pro virili sua possit*; isthoc profecto de ar-

G 2 dore,

(11) *Prius sentit Wettenhallus* Gift of Singing Chap. II. *Posterius Smithus* Account of the Greek Church. *At neutrius interpretamentum fat ad obrussam, ut ajunt. Nam ubinam quæso in* Gloria Patri &c. Oda Luciani multa habens nomina, *quum Hymnus vix septem verbis coalescat? Multo minus id de* Gloria in excelsis *putaverim. Quicumque enim ejus Doxologiæ meminerunt Scriptores IV. Seculum non præcessere. Ad hæc Oda illa non adhuc iis, quæ nunc sunt, additamentis integra efferebatur; sed tota quanta fuit, iis modo verbis constabat*: Gloria in Altissimis Deo, & in Terra Pax, in Hominibus bona voluntas; *uti constat ex Cyrillo* Catech. Mystag. V. num. XVI. *ex Chrysostomo, aliisque. Quis ergo Smitho Anglo credat Luciani multinominem Odem ad* Gloria in excelsis *rejicientem? Quod si quis adhuc conjecturæ locus datur, dabunt veniam eruditi, si hic breviter exponam.*

Atque observandum sane est, Lucianum binis verbis pene universam veterum Christianorum Liturgiam complexum fuisse. Audisse enim se ait: Precem ἀπὸ Πατρὸς ab Patre (*i. e. Oratione Dominica*) incipientem, finientemque in Hymnum multorum nominum. *Prex illa inter Orationem Dominicam, & Hymnum multinominem interjecta prorsus est, quam ab Episcopo solo post Eucharistiæ consecrationem dictatam exhibent Constitutiones Apostolicæ* Lib. VIII. *Liturgia Chrysost., aliæque passim. Hanc proxime excipiebat supplicatio longior alta voce ab Diacono indicta, alta item voce respondente Populo. Hanc Græci passim* Διακονικὴν Συναπτὴν, *&* εἰρηνικὴν *appellitarunt: uti videre est in* Typico Sabæ Cap. II. Euchologio pag. 2. *&* Pentecostario. *In ea præcinente Diacono precabantur sigillatim pro Regibus, pro Episcopis, pro Infirmis, pro Defunctis &c. ad singula succinente Populo*: Κύριε ἐλέησον Domine miserere. *Ultima vero hujus Precationis formula ita ferme concepta erat. Dicente enim Diacono*: Quoniam decet te omnis Gloria, Honor, & Adoratio, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, nunc & semper, & in secula seculorum: *Succlamabat Populus*: Σοὶ Κύριε Ἀμὴν, Tibi Domine Amen. *Hujus Hymni, seu supplicationis specimina prostant etiam in Liturgia Chrysostomi, ubi* Μεγάλη Συναπτὴ, *& in Liturg. Jacobi, ubi* Καθολικὴ Συναπτὴ *dicitur. E quibus omnibus Liturgiis illud plane constat hanc ferme fuisse sacrarum super Eucharistia Precum seriem, ut primo oratio Dominica, deinde generalis Episcopi Adprecatio, tum demum* Συναπτὴ, *seu specialis, alternaque plebis, & Diaconi supplicatio diceretur. Quæ quidem series precum mire cum Luciani verbis quadrat, qui* Pater Noster *primum, tum Precem Episcopi, ad extremum Hymnum multinominem posuit, h. e. ut ego interpretor, eam Supplicationem, quam IV. Seculi auctores passim* Συναπτὴν *vocitarunt. Nam & in hac reipsa multa erant nomina eorum, pro quibus exorandus Deus erat. Ne quis vero culpet hanc Liturgiæ partem unis IV. aut V. Seculi monumentis a me illustratum iri; res jam usque ab coævis Luciano Auctoribus repeti veluti per gradus facile potest. Epiph.* Hæres. LXXV. num. III. *Negantibus Arianis orandum pro mortuis*: Quod spectat, *inquit*, ad ritum illum, quo mortuorum *nomina recitantur*, quid potest esse utilius illis? *Ante hunc Cyrill.* Catech. V. num. VI. Mentionem facimus etiam eorum, qui nos præcesserunt. Primum Patriarcharum, Prophetarum, & deinde pro defunctis sanctis Patribus, & Episcopis, deinde pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur Precatio, dum sanctum illud, & tremendum Mysterium in Altari positum est. *Origenes cum multis sæpe in locis, tum præsertim* Comm. in Job, *&* in Epist. ad Rom. Cap. XII. *Arnobius* Lib. IV. Cur immaniter, *inquit*, Conventicula nostra dirui meruerunt? In quibus Summus oratur Deus.... Venia postulatur Magistratibus, Regibus, Exercitibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam agentibus, & resolutis corporum vinctione? *Tandem postremo Tertullianus Luciano Synchronus cum alibi, tum* De Coron. Mil. Cap. III. Oblationes pro Defunctis, pro Natalitiis annua die facimus.

Jam

dore, & intentione animi in precando recte intelligi potest: quo sensu eandem phrasin Naz. *Orat. III.* aliique Græci Patres haud semel adhibuerunt.

6. Irenæus Lugdunensis Ecclesiæ in Gallia Episcopus (12) certæ cujusdam formulæ meminit in Christiano cultu usitatæ, & *in Æonas Æonum* finientis, qua ceu argumento Valentiniani utebantur, ad suum de Æonibus commentum adstruendum; ea fortassis Doxologia est, quæ in consecratione Eucharistiæ ab Ecclesia adhibebatur in Constitutionibus Apostolicis adhuc superstes, & εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων finiens.

7. Clemens Alex. (13) Ecclesiam vocat *conventum eorum, qui intenti sint Orationibus, habentem unam quodammodo vocem communem, & unam mentem.* Jam vero qui istud stare posset, nisi statas habuissent precandi formulas?

8. Tandem Tertull. plura habet in hanc rem. Ac 1. Formulæ baptismatis a Christo institutæ alias ab Ecclesia cæremonias adjectas tradit, a Christo totidem verbis non injunctas. Uti *Renuntiationes, Interrogationes,* & *Responsiones* ad præcipuos Symboli articulos respondentes &c. 2. Alibi (14) in Christianis conventibus *Scripturas legi, psalmos cani, adlocutiones proferri, petitiones delegari* scribit. 3. In Apologetico *Cap. XXXIX.* fidelitatem Christianorum Principibus Secularibus ita demonstrat: *Coimus in cœtum.... oramus pro Imperatoribus, pro ministris, & potestatibus* &c. Profecto hæ precationes si in constanti usu non fuissent, illis ad demonstrandam Christianorum fidelitatem nullo pacto uti potuisset Tertullianus. 4. Tandem in Lib. de Spectaculis *Cap. XXV.* formulam indicat in αἰῶνας finientem, cui Populus *Amen* suum subjungebat; quæ uti modo vidimus clausula erat precum in Eucharistico Sacrificio adhibitarum.

XII. Binas hic tantummodo licet subnectere brevissimas Observationes ex Actis SS. MM. Perpetuæ, & Felicitatis desumtas (15). Ibi enim Perpetua in visione quadam sibi visa dicitur junctis manibus Eucharistiam accipere, & audire universos circumstantes dicere *Amen.* Tum ibidem adlusio habetur ad morem canendi Trisagion angelicum: *Introivimus, & audivimus vocem unitam Agios, Agios, Agios sine cessatione.* Jam vero ex hactenus productis monumentis illud perspicuum est, altero Ecclesiæ Seculo statas precandi formulas preter institutas a Christo in usu fuisse fidelium, quibus in publico divini cultus ministerio uterentur.

§. V. *Documenta de usu statarum formularum tertio Ecclesiæ Seculo.*

XIII. Ineunte Seculo tertio Hippolytus Martyr, & Adene, sive Portus Roma-

Jam vero ex iis quæ diximus tria habes. 1. Singula quæque eorum nomina, pro quibus supplicabant, ab Diacono alte proclamata fuisse, quod docet Epiphanius. 2. Teste Cyrillo, non una, sed prorsus multa fuisse nomina, ut jam merito ea supplicatio πολυώνυμος dicta sit ab Luciano. 3. Eam Supplicationem ex eodem Cyrillo post sanctam, & tremendam Mysterii consecrationem factam fuisse. Quæ quidem omnia apprime consonant scriptis subinde Liturgiis. Id tamen dicet quispiam Lucianum Odæ cujusdam meminisse, neutiquam vero supplicationis. Atqui id jam pridem occupavit Plato in Symposio, *&* Phædro, *ubi Hymni, Odæque leguntur prosa oratione. Vide etiam Cœlium Rhodiginum* Lib. VII. Antiq. Lect. Cap. 5. *qui minime ad Odarum, Hymnorumque rationem metrum requiri multis probat. Quamvis neque ipse Wettenballus, aut Smithus dicant unquam metro compactos fuisse aut Hymnum* Gloria Patri, &c. *aut Hymnum* Gloria in excelsis, *de quibus hactenus disputavimus.*

(12) *Iren. Lib. I. Cap. I.*

(13) *Clemens Alex. Strom. VII. Cap. 6.*

(14) *Tertull. de Anima Cap. IX.* Jam vero prout scripturæ leguntur, aut Psalmi canuntur, aut adlocutiones proferuntur, aut Petitiones delegantur, ita inde materiæ visionibus subministrantur.

(15) *Passio Perpetuæ ad Calc. Lactant. de Morte Persequut.* Ego accepi junctis manibus, & manducavi, & universi circumstantes dixerunt: Amen.

Romani in Arabia Episcopus Librum edidit inscriptum: *Apostolica Traditio de Officiis Ecclesiasticis* (16). Hic liber, uti communi suffragio eruditi sentiunt, vel ipsæ sunt Constitutiones sic dictæ Apostolicæ, vel earundem pars, quas in unum volumen collectas Romæ in publicam lucem dederit; atqui istæ nihil aliud sunt, quam collectio formularum, quæ vel in usu erant, vel ad imitationem factæ sunt earum, quæ tunc in Ecclesia obtinebant. Tum ipse Auctor alium scripsit librum *de Odis in diversas Scripturæ partes* (17), quarum nonnullæ in usu suæ Portuensis Ecclesiæ fuisse recte existimantur. Adhæc & in alio Tractatu *de consummatione Mundi, & de Antichristo* Doxologiarum, psalmorum, & spiritualium Odarum usum commendat, idque inter signa Regni Antichristi refert, ut liturgia extinguatur (18). Nihil autem hoc apertius ad demonstrandum statas precum formulas tunc temporis in Ecclesia fuisse usitatas.

XIV. Ex Origene duo potissimum habemus, 1. in quadam ex suis in Jeremiam Homiliis (19) statæ alicujus precationis meminit, quæ tum constantis usus in Ecclesia fuerit. Alterum: Celsus Origeni opposuerat se vidisse apud Presbyteros quosdam Christianos volumina continentia Dæmonum nomina, Præstigias, aliaque hominibus noxia, cui calumniæ respondens Origenes haud quidem negat Christianos Presbyteros tales libros habere, sed tantum dicit Christianos *per Jesum Deum colentes iis solemnibus precibus uti noctu, & interdiu, quibus nec magis, nec dæmonibus sint expugnabiles* (20).

XV. Cyprianus eodem Seculo præter Orationem Dominicam plures formulas indicat tunc temporis æque in Baptismo, ac in Eucharistia usitatas, ac præsertim pro Baptismate Renuntiationem Diabolo, ac Seculo (21) *in Lib. de Lapsis*. Item *Epist. VII. ad Rogat.* & Interrogationes, Responsionesque ad certam fidei formulam, cujus etiam primum, & postremum Caput refert *Epist. LXIX. ad Magnum*. Adhæc pro Eucharistia tum Orationi præfationem præmitti scribit; tum formulam *Sursum Corda* refert; plebisque responsum: *Habemus ad Dominum*; tandem & alibi generatim publicas fideliun & communes orationes, concordesque preces innuit pro omnibus fundi solitas.

XVI. Quæ ex Firmiliano Cypriani coævo in hanc rem testimonia producuntur omnino cum Cypriani sententiis congruunt; unde ea hic proferre omnino supervacaneum ducimus. At silentio prætereundus non est Gregorius Episcopus Neocæsareensis; hic enim uti Ecclesiæ Neocæsareensis fundator fuit, ita & ipsi liturgiam reliquit; cui teste Basilio *De Sp. S. Cap. XXIX.* adeo tenaciter adhæsit, ut nihil ultra, quam Gregorius præscripsisset, adjici passa sit. Verumtamen de eadem Ecclesia tradit Basilius *LXXIII. ad Neocæsareenses*, quod aliquot post Gregorii obitum annis preces, quæ *Litaniæ* dicuntur, admiserit, studioseque observaverit, etiamsi a Gregorio compositæ non essent. Eodem tempore Ecclesiam Antiochenam Psalmos, & Can-

(16) *Videsis Gulielmum Cave Hist. Liter. Volum. I. Pag. 48. Edit. Genevæ.*

(17) *Extabat id Hippolyti opus perscriptum in dextro Laterculo Cathedræ marmoreæ, quæ anno MDLI. extra Romæ muros in agro Verano prope ædem S. Laurentii reperta fuit, ubi etiam varia ejusdem Hippolyti opera græce recensentur, quorum memoria ut penitus non interierit, tabulis illis marmoreis acceptum debemus. Titulus vero hujus libri sic ibi exculptum fuit* ΩΔΑΙ ΕΙΣ πάσας τὰς γραφὰς, Odæ in universas Scripturas. *Vide Joseph Scaligerum* Lib. de Emendat. Temp. *Ægidium Bucherium, ac Moynium, qui eas tabulas commentariis illustrarunt.*

(18) *Bibliotb. Patrum Græco-lat. Tom. II.*

(19) *Orig. Hom. XI. In Jerem.*

(20) *Orig. Contra Celsum Lib. VI.*

(21) *Cyprian. De Orat. Dominica:* Sacerdos ante Orationem, Præfatione præmissa, parat Fratrum mentes dicendo: Sursum Corda, ut, dum respondet Populus, Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil aliud se, quam Dominum debere cogitare.

Cantica jam pridem a fidelibus conscripta habuisse, quæ Paulus Samosatensis aliis suppletis rejecerit, jam superiori §. notavimus. Tandem eodem Seculo occurrunt 1. *multiplices psalmorum cantus* a Nepote Ep. Ægyptio compositi (22); 2. formula laudandi totam Trinitatem, qua Dionysius Alex. utebatur, uti constat ex Basilio *in lib. de Sp. S. Cap. XXIX.* 3. hymnus Athenogenis M. in laudem Spiritus S. cujus meminit idem Basilius *ibidem*; hymnus in gratiarum actione ad lucernas cani solitus; de quo scribit Basilius *ibidem*: *Visum est patribus nostris vespertini luminis gratiam haudquaquam silentio arripere, sed mox ut apparuit, gratias agere. Quis autem fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non possumus*; 4. tandem occurrit consuetudo fidelium respondendi *Amen*, cum corpus, vel sanguinem Christi acciperent; id quod supponit per ministrum in Eucharistiæ administratione dici consuevisse: *Corpus Christi*, vel *Sanguis Christi*, cui plebs respondent, *Amen*: cujus praxeos luculentissimi testes sunt Scriptores proximi Seculi Hieron., Ambrosius, Cyrillus, Aug., aliique (23).

§. VI. *Documenta de usu statarum precum quarto Ecclesiæ Seculo.*

XVII. Ac 1. Arnobius plura in hanc rem habet; nam scribit *Lib. I. Christianos summum Deum invocare, & ab eo quod postulent, orare; id quod, vel auribus poterit scire quisquis, vel ipsius vocis sono, quo utuntur in precibus, noscitare. Deo omnes ex more prosterni, Deum collatis precibus adorare. Lib. IV.* perspicue ait in Christianis conventibus *summum Deum orari*; tum *pacem cunctis postulari, & veniam magistratibus, exercitibus, regibus* &c. istæ sane petitiones quum ordini antiquarum liturgiarum omnino consonent, quis dubitabit unquam conceptis verbis eas factas esse?

2. Lactantius *De Morte Persecut. Cap. XLVI. XLVII.* precis cujusdam meminit, quam Maximinus Imp. ab Angelo acceptam a militibus suis recitari jussit, ubi cum Licinio prœlium essent subituri (24); & Eusebius *Lib. IV. Cap.* 19. *De Vit. Constantini*, precationum quarundam meminit, quas Constantinus Imperator præcepit, ut milites sui tum adhuc infideles, tum jam orthodoxi singulis Dominicis ad Deum funderent (25). Et alibi (26) scribit Constantinum in palatio suo velut Ecclesiam constituisse, ibique solemnes Precationes cum Aulicorum cœtu recitasse; igitur ea ætate Fideles a præscriptis precibus non abhorrebant. Adhæc Eusebius ipse plures ab Essenis usitatas precandi formulas refert, & tamen ipsum eos pro Christianis habuisse, cultumque eorum a primis Christia-

(22) *Dionys. Alex. Epist. apud Euseb. Lib. VII. Cap.* 24. In plurimis aliis rebus laudo Nepotem, ac diligo, cum propter fidem, tum ob diligentiam, & studium Scripturarum, postremo ob *Psalmorum Cantus multiplices*, quibus plerique ex fratribus etiamnum magnopere delectantur.

(23) *Atque ante hos Cornelius Rom. Episcopus epist. ad Fabian. apud Euseb. Lib. IV. Cap. XLIII. ubi eo Novatianum reprehendis, quod Fideles cogeret sibi inter sumendum Christi Corpus jurare:* Ita miser ille, *inquis*, non prius gustare sinitur, quam sibi ipse malum imprecatus sit. Et quum panem illum accipiens dicere debuisset, *Amen*: ejus loco dicunt: non revertar deinceps ad Cornelium.

(24) *Hæc sunt ejus Angelicæ supplicationis verba*: Summe Deus, Te rogamus: Sancte Deus, Te rogamus: omnem justitiam Tibi commendamus. Per Te vivimus: per Te Victores, & felices existimus. Summe, Sancte Deus, preces nostras exaudi: brachia nostra ad Te tendimus. Exaudi Sancte, Summe Deus.

(25) *Idem Euseb. eodem Lib. Cap. XX. Precis meminit ab Latinis militibus Constantini jussu recitatæ, quamvis adhucdum Gentiles essent*: Te solum agnoscimus Deum; Te Regem profitemur; Te Adjutorem invocamus. Tui muneris est, quod victorias retulimus, quod hostes superavimus. Tibi ob præterita jam bona gratias agimus, & futura a Te speramus; Tibi omnes supplicamus, utque Imperatorem nostrum Constantinum, una cum piissimis ejus Liberis incolumem, & Victorem diutissime nobis serves, rogamus.

(26). *Lib. IV. De Vit. Constant. cap.* 17.

ſtianis Alexandriæ inſtitutum crediḍiſſe conſtat.

3. Athanaſius ſtatæ cujuſdam precationis meminit (27), quam ipſe in Ecclesia publice populo adclamante, & reſpondente adhibuerit. Tnm de populo divino cultui in Eccleſia occupato ſcribit *in Apol. ad Conſtantin. Ut una illic, eademque populorum vox cum conſonantia audiretur*. Et Rufinus de eodem Athanaſio ſcribit *Lib. I. Cap.* 14. quod, quum puer in ora maris pueros quoſdam Catechumenos ex ludo baptizaſſet, omnia obſervarit, quæ in Eccleſia geri mos eſt, etiam *ſecretiora ac myſtica;* præſertim integras interrogationes, & reſponſiones.

4. Juvencus, qui ſub Conſtantino floruit in Hiſpania ex Hieronymo *de Script. Eccleſ. Cap. LXXXIV.* nonnulla hexametris verſibus ad Sacramentorum ordinem pertinentia compoſuit. Profecto *Sacramentorum Ordo* Eccleſiæ locutio eſt, qua Liber de Divinis Officiis exprimitur.

5. Pachomius ſuis Monachis præſcripſit, ut bis quotidie in unum convenientes certum pſalmorum numerum canerent precibus intermixtis (28).

6. Medio Seculo IV. Antiochiæ quum Leontius Epiſc. Arianus communem δοξολογίαν immutare auderet, Flavianus, & Diodorus, referente Theodoreto *Lib. II. Cap. XXIV.* Fideles in Martyrum Baſilicas congregatos, in duas partes diviſos alternis vicibus Davidicos hymnos canere docuerunt, retenta veteri δοξολογίας formula.

7. Cyrillus Hieroſ. in ſuis Catecheſibus (29) plures exhibet formulas in conferendis Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ Sacramentis ſua ætate adhibitis, tum integram pene Liturgiam pro Sacrificio Altaris; præſertim longam Præfationem, quam *hymnum* adpellat, orationem conſecrationi præviam, alias orationes poſt conſecrationem pro communi Eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus &c. pro defunctis: tum Orationem dominicam, melodiam ad Euchariſtiæ communionem adhortantem, fidelium reſponſum *Amen* Miniſtro communionem præbenti, Orationem poſt communionem, ac tandem gratiarum Actionem. Jam vero Cyrillus peculiarem hunc divini cultus ordinem haud quidem a ſe inſtitutum ſcribit; ſed de eo, ceu de Liturgia jampridem in Eccleſia Hieroſolymitana uſitata loquitur.

8. Hilarius, Cyrillo σύγχρονος, & Urbis Pictavorum in Aquitania Epiſcopus teſte Hier. *de Script. Eccleſ. Cap. CXI.* Librum hymnorum, & myſteriorum ſcripſit, quem ſacræ liturgiæ ordinem continuiſſe oppido probabile eſt. Duo certo conſtant: 1. (30) Ipſum Hilarium precum, & hymnorum pro matutino, & veſpertino miniſterio meminiſſe: alterum, Hilarii hymnos ſimul cum hymnis Ambroſii poſtea in magno pretio ſemper in Eccleſia fuiſſe (31).

9. Synodus Laodicena plura habet in hanc rem: namque in diverſis ejus Canonibus mentio injicitur 1. *Can. XV.* Canonicorum Cantorum, qui ſuggeſtum ad-

(27) *Athanaſ. Apol. ad Conſtantin. teſtatur, quum populo edixiſſet, ut pro ſalute Conſtantii Auguſti precarentur, omnes una voce conclamaſſe* Χριστὲ βοήθει Κωνσταντίῳ Chriſte auxiliare Conſtantio.

(28) *Teſtatur id Caſſian. Inſtitut.* Lib. II. Cap. 7. *Palladius* Hiſt. Lauſiac. Cap. XXXVIII., *& luculentius more ſuo Hieron.* Epiſt. XXII. ad Euſtoch. Cap. 15. Poſt horam nonam in commune concurritur, Pſalmi reſonant, Scripturæ recitantur ex more, & completis orationibus, medius, quem Patrem vocant, incipit diſputare.

(29) *Cyrill. Hieroſol. Catech. V. n. I. II. III.*

(30) *Hilar. in Pſal. LXIV.* Progreſſus Eccleſiæ in Matutinorum, & Veſpertinorum Hymnorum delectatione maximum miſericordiæ Dei ſignum eſt. Dies in Orationibus Dei inchoatur, Dies hymnis Dei clauditur.

(31) *Conc. Tolet. IV. Can.* 13. *anathemate percellit eos, qui hymnos*, quos beatiſſimi Doctores Hilarius, atque Ambroſius ediderunt.... ſpecialiter reprobant, quod de Scripturis Sanctorum Canonum, vel Apoſtolica traditione non exiſtunt.

adſcendentes in membrana canant. 2. *Can. XVII.* cantus Pſalmorum interjectis lectionibus. 3. *Can. XVIII.* Precum in Nonis, & in Veſpertinis adhibitarum. 4. Orationum ab Epiſcopis ſuper Catechumenos, & ſuper Pœnitentes factarum (32). 5. *Can. XLVI.*, *&* *XLVII.* abrenunciationum, & fidei profeſſionis in Baptiſmate edendæ.

10. Epiphanius Salaminæ, ſive Conſtantiæ in Cypro Epiſcopus, tum Libros Conſtitutionum Apoſtolicarum ea ratione adprobat, quod omnis Canonicus ordo in eo continetur, nihilque a fide, vel ab Eccleſiaſtica adminiſtratione alienum (33): atqui eorum ultimus nihil niſi ejuſmodi formas in unam collectas exhibet; tum quoque alibi *in Expoſit. Fidei Cap. XXIII.* narrat matutinas laudes in Eccleſia, matutinaſque preces adſidue celebrari, lucernales item pſalmos, & orationes; ac tandem *in Ep. ad Jo. Epiſcopum Hieroſ.* ſtatas precationum formulas exhibet in altaris ſacrificio fieri ſolitas. Præſtat omnino Epiphanii verba proferre: *Quando complemus orationem ſecundum ritum myſteriorum, & pro omnibus, & pro Te quoque dicimus, cuſtodi illum, qui prædicat veritatem; vel certe ita: Tu præſta, Domine, & cuſtodi, ut ille verbum prædicet veritatis: ſicut occaſio ſermonis ſe tulerit, & habuerit Oratio Conſequentiam. Conſequentia* græce ἀκολυθία præſcriptam formulam ſignificat.

11. Optatus Milevitanus pluribus in locis pſalmodiam, hymnos, aliaſque precationum formulas in Eccleſiis uſitatas indicat: præſertim, ubi ſcribit *Lib. XI.* falſo in Africam delatum rumorem fuiſſe Imperatoris edicto aliquid in miniſterio altaris fore mutandum: *Nihil*, inquit, *probavit adſpectus ex iis, quibus perturbatus erat auditus. Viſa eſt puritas, & ritu ſolito ſolemnis conſuetudo perſpecta eſt. Quum viderent divinis Sacrificiis nec mutatum quidquam, nec additum, nec ablatum.*

12. Baſilius Ep. Cæſareæ adhuc Presbyter in uſum Eccleſiæ Cæſareenſis Liturgiam conſcripſit, quam Nazianzenus, qui hujus rei nobis fidem facit, *Precum deſcriptiones*, & *Sacrarii concinnitates* vocat (*). Ejuſdem Baſilii Liturgiæ intra

tra

(32) *Can. XIX.* Oportere ſeorſum primum, poſt Epiſcoporum ſermones, Catechumenorum orationem peragi, & poſtquam exierint Catechumeni, eorum, qui pœnitentiam agunt, fieri orationem: & quum ii ſub manum acceſſerint, & ſeceſſerint, Fidelium preces, ſic ter fieri: unam quidem, ſcilicet primam ſilentio; ſecundam autem, & tertiam per pronuntiationem impleri.

(33) *Epiph. Hæreſ. LXX. Num. X.* Ad hoc autem iidem Audiani detorquent Apoſtolorum Conſtitutionem. Qui quidem Liber a multis revocatur in dubium: non eſt tamen improbandus. Omnis quippe Canonicus Ordo in ipſo continetur, & nihil a fide adulteratum, neque a confeſſione, neque ab Eccleſiaſtica adminiſtratione; & canone, ac fide.

(*) *Cum Liturgiam Baſilii audis, caveſis quampiam earum credat, quas ad manus habemus Baſilii nomine præſcriptas. Sicuti enim ambigendum non eſt aliquam Baſilium ſcripſiſſe Liturgiam, quod* Gregorius Nazianz. orat. XX. de Laudibus Baſilii, Conc. Trullanum Can. XXXII. Leontius Lib. III. contra Neſtor. *teſtantur planiſſime; ita contra nullus inficias iverit eam non multis in partibus aut detruncatam, aut auctam, aut etiam immutatam, prout inſequentium Seculorum tulit uſus. Videndum omnino hac in re* Cl. Gulielmi Cavei *judicium* Hiſt. Litter. Tom. I. p. 136. Edit. Genev. *Sane veratres prorſus Baſilii circumferuntur Liturgiæ. Græca una, cujus eſt initium:* Domine Deus noſter, qui cæleſtem Panem &c. *Syriaca altera, quæ incipit:* Æterne Deus, qui in principio Homines creaſti &c. *Hanc ſic titulatam*, Anaphora *Elevatia*, *Latinam fecit Andreas Maſius Bruxellenſis. Tertia tandem Ægyptiaco, ſeu Coptica Sermone, quam evulgavit ab ſe pridem verſam Victorius Sciatach Maronita montis Libani Auguſtæ-Vindel. anno 1604. Quæ ita exorditur:* Domine, qui noſti corda hominum. *Quin immo &* Liturgia Præſanctificatorum, *& altera e Græca in Syrum verſa, quæ ab tribus prioribus differunt, Baſilii M. nomine gaudent: ut jam inde ſecurus ſtatuas, primigeniam illam Baſilii Liturgiam tam miſere diſjectam, dilaceratamque fuiſſe ſequutis Seculis, ut quamnam tandem Liturgiam confecerit Baſilius difficile ſit judicare. Verum ſi quid tentando conjicere poſſumus, maxime ad genuinam Baſilii Liturgiam accedere Syriacam ab Andrea Maſio editam credunt Eruditi: tum quod eam verſionem S. Ephrem Syro Baſilii ipſius conjunctiſſima tribuunt, tum quod ea præ ceteris purior, brevior, caſtigatiorque ſit. Quod maximum diſcrimen ſtatuit* Caveus Loc. Cit. *dijudicanda vera ab laciniosis, ſuppoſitiſque Baſilii Liturgiis.*

tra dimidium ab ætate Basilii Seculum meminere quoque Petrus Diaconus *De Incarn. inter Op. Fulgent.*, & Proclus Constantinopolitanus *de Tradit. Divin. Liturgiæ*, qui expresse precum formulas in ea contentas significant. Tum Basilius ipse pluribus in locis *uti Epist. LXIII. & CCXLI, ac LXVIII.* precationum formulas pro omnibus hominum ordinibus in Ecclesia fieri solitas indicat. Ac earundem etiam sectiones aliquot expresse exhibet, ac tandem de psalmis alternatim canendis loquitur, tum & de hymnis Athenogenis, aliisque canticis, quæ jampridem in divini cultus ministerio cani consuevisse scribit.

13. Nazianzenus præterquam quod Basilium *Orat. XX.* amicum suum laudat, quod precum formulas in Ecclesiæ usum composuerit, ipse etiam haud semel Renuntiationes, professionem fidei, formulam faciendi fœdus cum Christo, aliosque Baptismi ritus memorat, quod præsertim facit in *Orat. III.* Adhæc & de Juliano loquens admiratum eam esse dicit Ecclesiæ formas a majoribus traditas, tamque religiose ad eum usque diem conservatas. Cujus rei mentio quoque occurrit apud Sozomenum *Lib. V. Cap.* 16. Tandem vero de Christianis Cantionibus, Cereorum ignibus, aliisque ritibus in Imperatoriis Constantini exequiis servatis expresse mentionem injicit.

14. Ephrem Syrus Edessæ Diaconus vulgo Syrorum Propheta dictus, attestantibus Sozomeno, & Theodoreto multa (34) composuit cantica, hymnosque canticis ab Hermonio Bardesanis Filio hæretico olim conscriptis opposita, quæ ætate Theodoreti in festis Martyrum diebus recitari consueverunt. Tum de eodem Ephreemo scribit Hieronymus *de Script. Eccles. Cap. CXV. Ad tantam venit claritatem, ut post lectionem Scripturarum publice in quibusdam Ecclesiis suis scripta recitentur.*

XVIII. Plurima hic adjungi possent ex Hieronymo, Ambrosio, Eusebio, Hilario, Innocentio I. aliisque Patribus, qui vel exeunte IV., vel V. ineunte Seculo vixerunt; verum horum testimonia ad rem, de qua agimus spectantia, copiosiora sunt, quam quæ hic adferri queant. Adhæc quoniam de concordi eorundem sententia in adprobandis statis precationum formulis nemo unquam vel subdubitaverit; hinc lubenter ea hic proferre omittimus, præsertim quum unicuique eorum Opera vel leviter pervolventi satis obvia sint. Jam vero de Chrysostomo, & de Augustino speciatim agendum reor; namque ex eorum operibus integra pene colligitur Ecclesiarum Africanarum, & Orientalium Liturgia. Hinc de ipsis binis sequentibus Paragraphis agemus.

§. VII. *Documenta Chrysostomi de Liturgia IV. Seculi.*

XIX. Haud nos latet Liturgiam quandam completam, & perfectam, diversasque cultus divini partes, & officia complectentem circumferri, quæ Chrysostomi nomen præsefert; atqui num ista Chrysostomum omnino auctorem habuerit, exploratum haud est (35).

(34) *Theod. Lib. IV. Cap.* 29. Et quoniam Harmonius Bardesanis filius cantica quædam olim composuerat, & modorum suavitati impietatem admiscens, audientium animos demulcebat, & ad exitium pertrahebat: ipse modorum compositionem ab illo mutuatus, pietatem canticis permiscuit, & suavissimum simul, & utilissimum medicamentum audientibus exhibuit. Atque hæc cantica festos martyrum dies lætiores ac splendidiores etiamnum efficiunt. *Vide etiam* Soz. Lib. III. Cap. 16.

(35) *Recte id quidem. Nam quas passa est vices Basilii Liturgia, easdem quoque subiit, quam Chrysostomus edidit. Vide Gulielmum Cave* Histor. Litterar. Tom. I. *cujus id est judicium. Sed tamen hanc, quæ jamdudum Chrysostomi nomine in vulgus prodiit, si lacinias demas, adjectosque subinde pannos, quin saltem majori ex parte Chrysostomus scripserit, negari neutiquam potest. Enimvero Proclus ejus Discipulus, & in Sede successor in* de Tradit. Divinæ Liturg. *Nilus Abbas, Palladius in ejusdem Vita, tum etiam Marcus Ephesius* Lib. De Exposit. Missæ *disertissime testantur, Liturgiam aliquam Chrysostomum edidisse. Ergo præfracte omnino Oudius impius Catholicæ Religionis extorris eam Chrysostomo abjudicare conatus est.*

Dantur tamen quamplurimæ partes antiquæ Liturgiæ ex genuinis ejus scriptis, quæ simul collectæ integrum pene Orientalium Ecclesiarum divini cultus ministerium exhibent; hasce tantummodo hic paucis proferre in animo est.

XX. Ac primo Scripturas Sacras ex stata, & antiqua Ecclesiæ regula in publico Ecclesiæ ministerio lectas fuisse pluribus suis homiliis perspicue significat; quarum plerasque in varias Sacrarum litterarum Sectiones tum in cœtu Fidelium lectas refert, a quibus concionandi argumenta sumpsit. Quinimmo diversos Sacri Codicis Libros in diversis anni temporibus legi solitos non obscure indicat, uti e. g. *Hom. VII.* observat Librum Geneseos ad legendum tempore jejunii quadragesimalis fuisse propositum: in die Passionis Dominicæ omnes illas Divinæ Scripturæ partes legi, quæ ad Crucem spectant, & in magno Sabbato, quæ Historiam proditionis, Crucifixionis, Mortis, ac Sepulturæ Christi contineant, & in die Resurrectionis, & in singulis festis ea, quæ in singulis acciderint: ac tandem in diebus inter Pascha, & Pentecosten Librum Actuum Apostolorum legi, quippe qui historiam miraculorum ab Apostolis post Spiritus S. in illos descensum patratorum contineat; quodque demonstratio Resurrectionis Dominicæ miracula sint Apostolica. Vide etiam *Hom. XXXIII.*

2. Orationes præscriptis formulis ab Fidelibus publice in Ecclesia habitas pluries innuit: præsertim ubi dicit totam civitatem officinis omnibus clausis, diem totum in supplicationibus egisse, & Deum una, & communi voce invocasse (36). Tum *Hom. XXIX.* de orationibus pro energumenis loquitur, in quibus universus populus communi voce se conjunxerit, & *jugi concordia*, *magnoque clamore* Deum oraverit, ut eorum misereretur. Et in *Hom. II. de Prophetarum Obscuritate* orationi privatæ publicam, & communem præferendam docet, eo quod in publica totum Corpus Ecclesiæ unanimiter, & una voce preces fundit Sacerdotibus præsentibus, ac verba communis cœtus offerentibus. Et *Hom. LXXII. in Matth.* de tribus loquitur precibus pro Dæmoniacis, pro Pœnitentibus, pro Communicantibus in Ecclesia fieri solitis: in quarum ultima etiam infantes adultis se conjungebant, quorum innocentia, & simplicitate Deus ad exaudiendum facilius flecti posse credebatur. Ac tandem haud semel meminit precum pro Catechumenis; tum & orationum pro universi orbis statu in eucharistica celebratione fieri solitarum.

3. De Oratione Dominica innumera pene sunt Chrysostomi testimonia (37), ex quibus evincitur frequenter in Ecclesia communi Fidelium voce fundi consuevisse: ac præsertim haud semel tradit ex Ecclesiæ constitutione solorum baptizatorum privilegium esse illa uti; de qua re plura alibi diximus.

4. In *Hom. LII.* consuetudinem memorat, qua Episcopus Ecclesiam ingrediens pacem populo concepta formula precabatur; tum *Hom. XXXVI.* & *Hom. XXXVIII.* formulas quoque *pax omnibus*, *pax vobiscum*, vocesque illas, *Sursum corda*, populique ad easdem Responsa; ac præsertim ex formula dandi Pacem frequen-

(36) *Chrysost. Hom. XV.* Ecclesia facta est nobis Civitas tota: Officinis clausis, & omnibus in his universalibus supplicationibus diem totum agentibus, & Deum una voce, & communi, & cum multa invocantibus alacritate.

(37) *Chrysost. in Psalmos* CXII. CXIV. CXIX. CXXVII. *Præsertim vero Dominicam Orationem solis fidelibus recitandam innuit in* Psal. CL. Dicere enim, *Pater noster*, est eorum, qui agunt gratias propter dona, quæ acceperunt, & ea omnia per hoc nomen ostendunt. Qui enim dixit: *Patrem*, confessus est Filiorum adoptionem..... Oportet enim hæc omnia prius extitisse, ut nos filiorum adoptione sic fruamur, & qui Patrem vocemus, digni habeamur. *Expressius vero* Hom. LXII. Nos Deum non prius Patrem possumus appellare, quam in sacrarum aquarum Lavacro peccata absterserimus. Quando igitur mala illa deposita sarcina inde abscedimus, tum dicimus: *Pater noster, qui es in cælis.*

quenter in Altaris ministerio usitata, & populi Responsio, *Pax etiam Spiritui tuo*, argumenta eruit excitandi fideles ad pacem, & concordiam inter seipsos mutuo fovendam. Vide *Hom. LII. In eos, qui Pascha jejunant*.

5. *Hom. III. ad Colossenses, & I. in Isaiam* Doxologiæ angelicæ *Gloria in excelsis Deo*, tanquam in Ecclesia usitatæ, & formularum Κύριε ἐλέησον, & σῶσον *Domine miserere nostri*, & *serva nos*, tanquam solemnium precationum, & responsionum populi facit mentionem; & ibidem reprehendens populi clamores, & indecoras gesticulationes in Ecclesia: *Quomodo*, inquit, *non revereris hanc vocem, quam illic profers dicens: Servite Domino in timore, & tremore? hoccine est cum tremore servire &c.?* & alibi consuetudinis meminit, qua Diacono Lectionis Euangelicæ curriculum ingresso, confestim populus exurgens adclamat: *Gloria tibi Domine* (38).

6. Hymnum quoque dictum Seraphicum *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth* in Eucaristico Sacrificio adhibitum pluries memorat, uti *in Hom. XIV. XXIV. &c.* Adhæc & Præfationem indicat, quæ hujusmodi hymnum, sive Trisagion, vel ut alibi vocat *Hom. III. de Pœnit. mysticam modulationem* præcedebat.

7. Plurium etiam formularum meminit, quas Diaconus, ceu Ecclesiæ Præco sæpe in Altaris ministerio adhibebat: uti *Erecti stemus honeste*, *Hom. XXIX.* ὀρθοὶ στῶμεν καλῶς. Tum *Hom. II. in Epist. II. ad Corinth.* has formulas memorat: *Attendamus, hæc dicit Dominus. Recte stemus, oremus. Pro catechumenis intente oremus. Oremus omnes communiter. Alii alios noscite* (*), & *Sancta Sanctis*, in *Hom. VII.*

8. Capita solemnis gratiarum actionis in consecratione Eucaristiæ recenset (39); nec non verba notat *In seculorum* communem esse clausulam gratiarum actionis in sacræ cœnæ celebratione fieri solitæ. Vide *Hom. XXXV.*

9. Abrenunciationes in baptismate, fidei professionem per Symboli recitationem, ac tandem formulam ineundi fœdus in Christo pluries indicat, ac præsertim ubi scribit *Hom. XXI. Vocis illius recorderis, quam dum Sacris initiareris, emisisti. Abrenuntio tibi, Satana, & pompæ tuæ, & cultui tuo:* & alibi: *Hom. XLVII. Tu omni hujusmodi pompæ nuntium remisisti, te Christi cultui mancipasti die illo, quo sacris mysteriis dignus habitus es.*

10. Tandem Plasmodiam quod spectat 1. *Comment. in Psalm. CXVII.* scribit populum in præcipua quadam solemnitate verba illa Psalmi CXVII. concinere consuevisse: nimirum: *hæc est dies, quam fecit Dominus; exultemus, & lætemur in ea.* 2. *Comment. in Psalm. CXXXVII.* declarat psalmodiam partim a Sacerdotibus, partim a Populo illis sese conjungente fuisse peractam, Sacerdotibus quidem inchoantibus, & præeuntibus, populo illis respondente. 3. Psalmos notat, qui mane, qui vespere, qui aliis diei

(38) *Hom. LII. Tom. VI. Operum Chrysost. Quamvis vero de plerisque hujus voluminis Homiliis, quin Chrysostomi reipsa dicendæ sint, subdubitant erudisi, Synchroni tamen Scriptoris fuerint necesse est. Ac sunt, qui eas Severiano Gabalitarum Episcopo adjudicant. Nos hujus Homiliæ locum, cujus ea cumque fuerit, recitabimus.* Qui in unum convenimus, *inquit*, Diacono jam quatuor Euangelii fores aperturo, omnes in ipsum intuemur, silentiumque præbentes, & quando lectionis curriculum ingressus est, confestim nos exurgimus, acclamantes: Gloria tibi Domine. Δόξα σοι κύριε.

(*) *Hom. XXXIV.* ἐπιγινώσκετε ἀλλήλους, *quod monitum erat ad fideles, ne quem Judæum, Ethnicum, Hæreticum, Catechumenum, aut Pœnitentem secum in Precationibus admisceri paterentur.*

(39) *Chrysost. Hom. XXIV. In Epist. I. ad Corinth.* Nos ad calicem recensentes ineffabilia Dei beneficia, & quæcumque sumus adepti, ita ipsum offerimus, & communicamus; gratias agentes, quod ab errore liberarit hominum genus, quod quum longe essemus, prope fecerit, quod cum spem non haberemus, & sine Deo essemus, suos fratres effecerit, & cohæredes. Pro his ergo, & quæcumque sunt hujusmodi gratias agentes, ita accedimus.

diei horis cani consueverint (40). 4. Tandem *in Psalm. CXLIV.* morem canendi psalmos alternis vicibus innuit. Verum de hoc fusius alibi.

§. VIII. *Documenta Augustini de Liturgia IV. Seculi.*

XXI. In Augustini Operibus integra pene inveniri posset Africanarum Ecclesiarum Liturgia: nos præcipua duntaxat delibabimus. Augustinus igitur publicum Ecclesiæ cultum in quinque partes dispescit; nimirum in psalmodiam, Scripturarum lectionem, sermonis recitationem, deprecationem Antistitis, & indictam voce Diaconi orationem. Ac 1. *Epist. CXIX. ad Januar. Cap.* 18. Psalmodiam quod spectat, eam vocat Populi exercitium in Ecclesia omni tempore, quando non alia ministerii pars peragitur. Adhæc *Confess. Lib. IX. cap.* 7. cum adprobatione loquitur, tum de more canendi psalmos ab Athanasio inducto, nimirum cum cantu, & concentu symphoniaco in cujuslibet commatis clausula, tum de nova ratione alternis succinendi vicibus ab Ambrosio introducta. Præterea in *Lib. contra Hilarium*, ut est in *Retract. Lib. II. cap.* 11. morem defendit Ecclesiæ Carthaginiensis Hymnos ad altaria dicendi de psalmorum Libro sive ante oblationem, sive quum distribueretur populo Eucharistia. Tum (41) de vespertinis hymnis loquitur, & de *Alleluja* in Ecclesiis aliis quotidie, in aliis per solos dies quinquaginta inter Pascha, & Pentecosten cani solito. Postremo narrat Possidius (42) in irruptione Vandalorum in Africam paulo ante ipsius obitum nihil magis ipsum excruciasse, quam quod cerneret hymnos, & laudes de Ecclesiis deperiisse; solemnia, quæ Deo debentur, de propriis locis defecisse.

2. Sacras Scripturas haud semel narrat in Ecclesiis legi, & quidem certo ordine congruas cuivis solemnitati lectiones præscribente: uti librum Actuum Apost. tempore inter Pascha, & Pentecosten interjecto, &c. (43).

3. Preces ab Antistite in oblatione factas satis perspicue describit: ac 1. Orationem pro universo statu Ecclesiæ, quæ præmitti solebat. 2. Formulas *Sursum corda*, *Gratias agamus Domino Deo nostro*, *Pax vobiscum* &c. populique ad eas responsa. 3. Morem, quo *osculantur se Christiani osculo sancto* (44). 4. Licet precum ab Episcopo coram altari factarum integras formulas non tradat; attamen quasdam earum partes memorat, & ad eas quamsæpe remittit, tum in sermonibus, tum in hæreticorum confutationibus. Speciatim precum meminit pro incredulis, ut credant, pro credentibus, ut perseverent, pro infidelibus inimicis, pro

(40) *Hom. in Psalm. CXL.*

(41) *Aug. de Civit. Dei Lib. XXII. cap.* 8. Ibi cum jaceret, vel morti proximus, vel simillimus mortuo ad vespertinos illuc Hymnos, & Orationes cum Ancillis suis, & quibusdam sanctimonialibus intravit. *Idem Epist. CXIX. Cap. 17. ad Januar.* Ut autem Alleluja per illos solos dies quinquaginta cantetur, non usquequaque observatur. Nam & aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi, ipsis autem diebus ubique.

(42) *Possid. Vit. August. Cap. XXVIII.* Cernebat etiam Hymnos Dei, & Laudes de Ecclesiis deperiisse, ædificia Ecclesiarum quamplurimis locis ignibus concremata esse, solemnia quoque, quæ Deo debentur, de propriis locis defecisse: Sacrificia, ac Sacramenta divina, vel non quæri, vel quærenti qui tradat, non facile inveniri.

(43) *August. Exposit. in I. Joan. in Præf.* Interposita est solemnitas Sanctorum Dierum, quibus certas ex Evangelio lectiones oportet in Ecclesia recitare, quæ ita sunt annuæ, ut aliæ esse non possint.

(44) *August. Homil. LXXXIII. de Diversis*: Tenetis Sacramentum ordine suo. Primo post Orationem (*illam scilicet, quæ generatim pro omnibus fiebat, ac communis dicebatur*) admonemini sursum habere cor, responderis habemus ad Dominum .... sequitur Episcopus, vel Presbyter, qui offert, & dicit: Gratias agamus Domino Deo nostro, & vos attestamini: Dignum, & justum est. Deinde post Sanctificationem Sacrificii dicimus orationem Dominicam. Post istam dicitur: Pax vobiscum, & osculantur se Christiani osculo sancto.

pro fidelibus &c. præsertim ubi scribit *De Bono Persev. Cap. VII. Aut quis Sacerdotem super fidelem Dominum invocantem, si quando dixit: da illis Domine in te perseverare usque in finem* &c. Igitur ex Augustino in Eucharistico ministerio statæ precandi formulæ adhibebantur, dum ad illas Augustinus auditores remittebat, iisdemque, ceu authenticis testimoniis utebatur in disputationibus cum hæreticis.

4. Preces quoque memorat a Diacono, ceu Præcone indictas, quas ab Antistitis deprecationibus distinguit. *Aut Antistites*, inquit, *clara voce deprecantur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur*. Oratio a Diacono indicta ab Antistitis deprecatione in eo discrepabat, quod ilthæc continuata esset Dei invocatio, ad quam populus in fine tantum respondebat: illa vero, veluti populi admonitio erat, pro quibus speciatim precari deberent, Diacono precationem quamque eis præeunte, ad quam respondebant: *Audi nos Domine*, vel *Juva nos Domine*, vel *Miserere nostri Domine*. Hic sane plures aliæ subnecti possent formulæ, quas Augustinus in institutione Catechumenorum, in Sacramentis administrandis, aliisque Ecclesiasticis officiis adhibitas significat; verum de his loquendi sequenti Libro opportunus redibit sermo. Tantummodo hic libet Canonem III. Codicis Africani proferre, qui fortasse in aliqua Synodo Carthag. cui interfuit Augustinus, editus est. *Placuit*, ita habet, *ut preces, quæ probatæ fuerint in Conciliis, sive præfationes, sive commendationes, sive manus impositiones* (orationes manibus impositis) *ab omnibus celebrentur*. Hoc ipsum in Concilio *Milev. Can. II.* iisdem pene verbis repetitur.

§. IX. *De Liturgiis Constitutionum Apostolicarum.*

XXII. Eusebii ævo, ut ipse testatur *Lib. III. Cap.* 32. 33. plura S. Clementi Romano tributa sunt opera; verum in ea Constitutiones Apostolicæ nusquam recensentur. Eusebius quidem, & Epiphanius Librum quendam memorat inscriptum Τῶν Ἀποστόλων διδαχὴ *Apostolorum Doctrina*: verum hic ab Constitutionibus omnino diversus est, quæ Τῶν Ἀποστόλων διατάξεις *Apostolorum Constitutiones* inscribi consueverunt. Primus, qui harum meminit est Epiphanius ipse (45); verum quæ ab Epiphanio memorantur, observante Petavio (46), ab iis, quæ octo collectæ libris modo circumferuntur, diversæ sunt; quum in illis teste Epiphanio Pascha more Judaico celebrandum constitutum fuerit, in his vero aliter præscribatur: fortassis tempore Epiphanii jam conscriptæ plures postea mutationes, & additiones passæ sunt.

XXIII. Jam vero in his duplex continetur Liturgia: altera Lib. II. altera vero Lib. VIII. Prior nonnisi Epitome est precum, & rituum ad Canonem usque servatorum: altera vero est precum, & rituum, qui ad usque Canonis finem adhibendi essent. Altera imperfecta est, caretque cum verbis in Consecratione adhiberi solitis, tum precibus super Eucharistiam recitatis: Altera perfecta est omnino, omnesque comprehendit divini cultus partes. Secunda hæc longe posterioris ætatis est, quam Prima. Et sane ad finem usque Seculi IV. mos viguit, ut preces, tum quæ Eucharisticam consecrationem præcedebant, tum quæ illam sequebantur haud quidem litteris consignatæ, at vero nonnisi fideli, ac perpetua traditione custodirentur. Id semper invio-

(45) *Epiph. Hær. LXX. num.* 10. *Ibi cum citasset* τῶν Ἀποστόλων διατάξεις Apostolorum Constitutiones *tale de iis judicium prodit*. Qui liber tametsi dubiæ apud nonnullos fidei sit, non est tamen improbandus. Nam in eo quæ ad Ecclesiæ disciplinam attinent, omnia comprehenduntur, neque quidquam aut in fide, aut Catholica confessione depravatum, aut Ecclesiæ administrationi, ac decretis contrarium continent.

(46) *Petav. in Notis ad hunc Epiph. Locum.*

inviolate servatum tradunt Basilius (47), Innocentius I. &c. Hinc Augustinus Eucharistiam prece mystica consecrari scribit; & apud Patres priorum Seculorum Preces illæ memorantur quidem, at non describuntur. Igitur Epitome Liturgiæ Lib. II. relata antiquior omnino statuenda est Liturgia Lib. VIII. descripta, quæ fortasse vel exeunte IV. vel V. ineunte Seculo evulgata est.

XXIV. Quod vero haud serius alterius hujusce Liturgiæ Epocha figenda sit: pluribus demonstratur. 1. In recentioribus Græcis Liturgiis, Sacerdos nec din solus orat, nec perpetua utitur precandi formula; at vero plures, diversasque adhibet precationes, quas voce partim remissa, partim intenta fundit, ac identidem plebis interpellatur responsis. Verum in nostra Constitutionum Liturgia Sacerdos diu solus orat, fere perpetua utitur oratione, & plebs nonnisi post extremam Orationis partem respondet *Amen*: idquod veterum Liturgiarum fragmentis, quæ apud antiquos Patres adhuc exstant, magis consonat.

2. Constitutionum Libri tempore Gelasii Papæ jam satis noti erant, quippe qui ejusdem Gelasii decreto inter Apocrypha rejiciuntur.

3. In Liturgiis post Ephesinæ Synodi tempora compositis semper aliquid positum invenitur, quod SS. Virginem, ac præsertim ejusdem *Deiparæ* prærogativam spectet; at nihil hujusmodi in nostra Liturgia.

4. Auctor Constitutionum omnino cavendum præscribit; ne liberius divulgentur *Constitutiones vobis Episcopis per me Clementem in octo Libris editæ, quæ non sunt omnibus divulgandæ propter ea, quæ sunt in eis mystica*: ergo eo tempore scriptæ sunt, quo vix, ac nonnisi eo adjecto monito litteris tradi potuere.

5. Tandem altera Constitutionum Liturgia preces continet Episcopo super Pœnitentes faciendas. Jam vero publicæ pœnitentum classes in Oriente IV. exeunte Seculo tempore Nectarii desiere; & ipse igitur desiit ritus, ut Episcopus super Pœnitentes publice oraret. Quamobrem tunc temporis scripta dicenda est, cum publicæ Pœnitentum classes vel ubique in Oriente, vel duntaxat quibusdam in Ecclesiis adhuc perdurabant. Ergo valde verisimilis est Constitutionum Epocha inter annum 370. quo S. Basilius scribebat, & annum 390. quo Nectarii Constantinopolitani Episcopi jussu publicæ Pœnitentiæ classes abrogatæ sunt.

(47) *Basil. Lib. de Spir. S. Cap. XXVII.* Non enim contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, aut Euangelium, verum alia quoque & ante, & post (*Consecrationem*) dicimus, tamquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione non scripta accepimus. *Adde Innocentium I. Epist. ad Decent.*

APPENDIX.

De Usu Orationis Dominicæ in Liturgia Veteris Ecclesiæ.

I. AC I. Veteres Orationem Dominicam spectarunt, non modo ceu Regulam, quam Christus veluti methodum, & materiam precum præscripserit, verum & tanquam formam, illis ipsis verbis, quibus a Servatore nostro tradita est, recitandam. Hinc Tertull. *De Orat. Cap. I. Dominus noster novis discipulis novi testamenti novam orationis formam determinavit*. Et Cyprianus *de Orat. Dominic. Orandi ipse Christus formam dedit* . . . *Cognoscamus, docente Domino, & quid oremus. Sic, inquit, orate: Pater noster, qui es in Cælis, sanctificetur nomen tuum* &c. Similia habent ceteri Patres; ac præsertim Chrysostomus, & Augustinus Orationem Dominicam *communem Christianorum orandi Formulam* dicunt, *qua Fideles ex diserto Christi mandato* utantur.

II. Hinc

II. Hinc Ecclesia ea in omnibus, suis officiis semper usa est, ac præsertim

1. In administratione baptismi: & sane homo baptizatus de aquis egressus statim dicere jubebatur: *Pater noster* &c. Hinc Auctor Constitutionum!: *Lib. VII. Cap. XLIV. Post hoc*, inquit, *stans dicit Orationem, quam docuit nos Dominus*. Et Chrysostomus *Hom. VI. Quum primum ex aqua adscendit hæc verba loquitur: Pater noster* &c.

2. In celebratione Sacrificii Eucharistici: hinc Augustinus *Hom. LXXXIII.* de precibus in Eucharistiæ administratione locutus statim subnectit: *Quam totam petitionem fere* (1) *omnis Ecclesia Dominica Oratione concludit*. Et Hieronymus *Lib. III. Contra Pelagium Cap. 3. docuit Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius Sacrificio credentes audeant loqui: Pater noster qui es in Cœlis* &c. Similia habent Chrysostomus, Cyrillus Hierosf. (2) aliique Patres. Igitur Oratio Dominica semper ceu ordinaria, & constans celebrationis Eucharisticæ pars habita est. Illud tantummodo discrimen in antiquis Ecclesiis invenitur, ut in Græca, & Gallicana a sacerdote, & omni populo simul diceretur; in ceteris vero, ac speciatim in Romana a solo Sacerdote: id pluribus demonstrat Mabillonius *Lib. VII. Epist. 64.* præsertim ex auctoritate Gregorii M. scribentis: *Dominica Oratio apud Græcos ob omni populo dicitur; apud nos vero a solo Sacerdote* (3). Jam vero in Liturgia Mozarabica Hispana peculiaris hac in re observatur praxis: præscribit enim, ut Sacerdos unamquamque petitionem per se ipse recitet, & populus ad singulas petitiones separatim respondeat *Amen*. Verum hæc ipsa diversarum Ecclesiarum varietas in methodo illam adhibendi communem, & antiquissimum ejus usum magis confirmat.

III. 3. In matutinis, ac vespertinis Precibus: id præscribunt Conciliorum Gerundensis, & Toletani Canones (4). Fideles in privatis quoque suis precibus eam quam sæpissime adhibebant: hinc Chrysostomus *Comment. in Psalmum CXII.* dicit: *Christus usus est plurali nomine præcipiens unicuique, sive solus oret, sive cum aliis, pro fratribus offerre orationem*. Id quod indicat fideles in privatis æque, ac publicis precibus eam usurpasse. Et Auctor Constitutionum (5) unumquemque ter quotidie orationem Dominicam dicere jubet.

(1) *Scite omnino, cauteque*, fere omnis Ecclesia, *inquit hic Augustinus. Namque non cuique Ecclesiæ communem eam orationem in conficienda Eucharistia fuisse, compert ex longiore Liturgia Constitutionum Apostol.* Lib. VIII. Cap. 13. *apud Petrum Lebrum Tom. II. Liturgiar. Nullum quippe ibi Orationis Dominicæ vestigium videre est. Qua vero id re factum sit, nullam aliam proferre rationem possumus, nisi fuisse aliquas per Orientem Ecclesias, aut eam saltem, cujus Liturgiam ibi Constitutionum Auctor describit, quæ hanc Dominicam Orationem ad Eucharistiæ oblationem non recitaverint. Quin per Hispanias tempore Gregorii Magni id etiam pessimo sane more obtinuisse constat ex Can. IX. Concilii Tolet. IV.* Nonnulli, *inquit*, Sacerdotum per Hispanias reperiuntur, qui Dominicam Orationem, non quotidie, sed tantum Dominica die dicunt. *In reliquis ergo ceterorum per hebdomadam dierum Liturgiie ab Oratione Dominica supersedebant Hispanici Sacerdotes, quos tamen ibidem gravissime mulrarunt Toletani Patres.*

(2) *Cyrill. Catech. Mystagog. V.* Postea, (*dictis nempe precibus Eucharistiam aut præcedentibus, aut comitantibus*) dicimus illam Orationem, quam Salvator suis discipulis tradidit, cum pura conscientia Patrem nuncupantes Deum, atque dicentes: *Pater noster, qui es in cœlis. Chrysost. Hom. in Eutrop.* Quomodo hoc cœtu soluto sacramenta contrectabitis, & Precationem illam dicetis, qua rogare jubemur: *Remitte nobis, quemadmodum etiam nos remittimus debitoribus nostris*, si a debitore vestro pœnas exigatis?

(3) *Gregor. Lib. VII. Epist. LXIV.*

(4) *Conc. Gerund. Can. X.* Ita nobis placuit, ut omnibus diebus, post matutinas, & vespertinas Oratio Dominica a Sacerdore proferatur: *Conc. Tolet. IV. Can. IX.* Quisquis Sacerdotum, vel subjacentium Clericorum hanc Orationem Dominicam, & quotidie aut in publico, aut in privato officio præterierit propter superbiam judicatus, ordinis sui honore privetur.

(5) *Constit. Apost. Lib. VII. Cap. 24.* Ita orate: Pater noster, qui es in cælis, &c. Ter in die sic orate. Τρὶς τῆς ἡμέρας οὕτω προσεύχεσθε.

jubet. Id autem Cotelerius *in hunc locum* in honorem SS. Trinitatis factum putat auctores adhibens Theodoretum *Epist. CXLV.* & Isidorum *Orig. Lib. VI. Cap. ultimo*. Tum Ambrosius virginibus præscribit, ut, dum in suo cubili psalmos canunt, inter singulos psalmos orationem Dominicam recitent (6). Adde etiam Cyprianum, qui petitionem illam *Panem nostrum quotidianum* sensu spirituali ad Eucharistiam referens, quotidie posci ait ab Fidelibus *De Orat. Dominic. Christus noster panis est, hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus* &c. Et Concilium Toletanum IV. *Can. IX.* muneris abdicationem minatur clericis, etiam inferioribus, qui orationem Dominicam quotidie aut in publico, aut privato officio prætererint, *superbos mandati Christi contemtores* eos judicans (7).

IV. Quinimmo nulla fuit unquam hæreticorum, vel schismaticorum Secta, quæ ejus usum non probaverit. Hinc Optatus Milev. Donatistas sic adloquitur (8): *Ad altare conversi Dominicam orationem prætermittere non potestis:* & de Pelagianis scribit Augustinu. *Epist. XCII. ad Innocent.* ipsos Dominicæ Orationis usum agnovisse; tantummodo petitionem illam *Dimitte nobis debita nostra* a justis eo duntaxat animo usurpari, ut non pro suis ipsorum, sed pro aliorum peccatis orarent. Sanctos enim sine ullo unquam peccato esse, nec necessum habere remissionem peccatorum a Deo petere, superbe, & arroganter statuebant.

V. Duo hic tantummodo juvat subnectere: 1. Orationem Dominicam pro divina, & spirituali precum forma semper ab antiquis Patribus habitam fuisse: hinc ex Chrysostomo *Hom. XXXVI. in Pentecosten, precari Orationem Dominicam* recte dici potest *precari in spiritu;* pulcherrimum hac de re Cypriani locum vide inferne (9). Alterum: Orationis Dominicæ usum peculiare fidelium privilegium fuisse, adeout omnes catechumeni, sive homines nondum baptizati ab ejus usu omnino arcerentur. Plura hanc in rem Augustini, Chrysostomi, aliorumque patrum loca alibi protulimus: unam dumtaxat Chrysostomi sententiam illis hic subjungemus, quæ sic habet: *Nos non prius Deum Patrem possumus appellare, quam in Sacrarum aquarum lavacro peccata absterserimus. Quando igitur mala illa deposita sarcina, inde adscendimus, tunc dicimus: Pater noster qui es in cælis*. Unde & peculiariter εὐχὴ πιστῶν *Oratio fidelium* dicta fuit.

(6) *Ambros. De Virg. Lib. III.* In ipso cubili volo Psalmos cum Oratione Dominica frequenti contextos vice.

(7) *Quod vero frequentissimus in singulos quosque dies Dominicæ hujus Orationis usus erat, hinc factum, ut ea* Quotidiana Oratio *passim diceretur. Concil. Tolet. IV. Can. IX.* Quotidiana oratio est, quotidie etiam ut detur, oratur. *Atque hanc profecto Orationem respexit Augustinus Enchirid. Cap. LXXI., ubi ait:* De quotidianis brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc via non ducitur; *Quotidiana Oratio* Fidelium satisfacit. Eorum enim est dicere: Pater noster, qui es in cælis. *Clarius vero id ipsum innuit Hom. CXIX. De Tempore*. Remissio peccatorum non est in sola ablutione Baptismatis sacri, sed etiam in Oratione Dominica, & *Quotidiana*. In illa invenietis quasi quotidianum Baptismum. *Atque hic prætereundum omnino non est præclarum illud, quod de Augustino memoriæ prodidit ejusdem Biographus Possidius* Cap. XXVII. *eum nempe, si quando peccatorum suorum acerbitatem examine recoluisset, patientissimum Deum Patrem adprecaturum* Orationem Quotidianam Dominicam *recitasse dicentem*: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

(8) *Optat. Milevit. Lib. II. Idem Lib. III.* Oratio Dominica apud nos, & apud vos una est.

(9) *Cyprian. de Orat. Dominic.* Christus prædixerat horam venire, quando veri Adoratores adorarent Patrem in spiritu, & veritate, & implevit quod ante promisit ut, qui spiritum, & veritatem de ejus satisfactione percepimus, de traditione quoque ejus spiritualiter adoremus. Quæ enim potest esse magis spiritualis Oratio, quam quæ a Christo nobis data est, a quo nobis & Spiritus Sanctus missus est? Quæ vera magis apud Patrem precatio, quam quæ a Filio, qui est veritas, de ejus ore prolata est?... Oremus itaque, Fratres dilectissimi, sicut Magister Deus docuit. Amica, & familiaris oratio est Deum de suo rogare, ad aures ejus adscendere Christi oratione, &c.

CAPUT VIII.

DE HABITU GESTU ALIISQUE IN PUBLICO DIVINO CULTU ANTIQUITUS IN ECCLESIA OBSERVATIS.

§. I. *De Usu Sacrarum Vestium in Ecclesiæ ministerio per priora Ecclesiæ Secula.*

I. QUamvis nonnisi pauca, eademque non indubia de usu peculiaris alicujus habitus in publico divino cultu ex Scriptoribus trium priorum seculorum habeamus, attamen quod IV. Seculo communis, eademque universalis ea fuerit Ecclesiæ praxis, ut Sacerdotes, aliique Ecclesiæ ministri in Altaris ministerio distinctis vestibus uterentur, id argumento nobis est etiam jampridem eandem fortasse Ecclesiarum consuetudinem fuisse. Et sane Macarius Hierosolymorum Antistes, Theodoreto auctore, in ministrando Baptismate sacra Stola aureis filis contexta utebatur, quam ab Constantino Imp. dono acceperat. Tum apud Athanasium (1) mentio occurrit *lineorum Sticharionum* (2), quæ a Sozomeno *lineæ tuni-*

(1) *Accusaverunt Ariani Athanasium, quod is Ægyptiis quoddam quasi tributum imposuisset Sacrarum Tunicarum, quæ Sacris Ministris usui forent. Res ipsi Athanasio Apol. II. narratur.* Hanc primam confingunt criminationem de lineis, nempe Sticharriis, quasi ego hanc legem dedissem Ægyptiis primusque ea exegissem. Στιχάρια *hic Tunicæ e lino sunt, oblongum totius corporis operimentum. Quidam id nominis ab latina* Stica *ad Græcos medii avi deductum credunt. Atque est enimvero apud Columellam Sticarum mentio:*

Alliaque infractis Sticis, & olentia late Vulpica...

Ubi Sticæ *sunt Alliorum involucra, & quasi tunicæ. Hinc ad rem vestiariam translatum nomen pro virili Tunica. Isidorus in Glossis* Stica, aut Stiga Tunica. *At Vossius, & Salmasius* in Exercitat. Plin. Pag. 728. Edit. *Traject.* Στιχάριον *ab* στιχὸς *arcessunt, ut sit vestis Versicolor, ac scutulata. Rectius id quidem.. Ceterum* Στιχάριον *in Ecclesiasticis usibus unius coloris fuisse, eumque Album, plura suppetunt argumenta. Nicephorus Constantinopolitanus Patriarcha* in Actis Conc. Ephesin. pag. 313. Στιχάριον λευκὸν Tunica Alba. *Germanus in Histor.* Primum quidem, *inquit*, Tunica, quæ alba est Στιχάριον λευκὸν ὂν Divinitatis splendorem indicat, & Sacerdotis splendidam conversationem. *Adde* Chronicon Alex. pag. 766. Στιχάριον ἄσπρον Tunica Alba. *Ergo Athanasiana Sticharia Tunicæ erant lineæ, longæque ad pedes usque pertingentes, & corpus totum ambitu claudentes suo.*

(2) *Theodor. Lib. II. Hist. Cap. XXVII.* Sacram Vestem ἱερὰν Στολὴν, quam Constantinus... ad exornandam Hierosolymorum Ecclesiam, Macario ejus loci Episcopo donaverat, ut ea indutus divini Baptismi mysteria perageret. *Qui vero ejus Stolæ color, quæ forma, aut usus:* Stola, *inquit Vossius, Latinis quidem Muliebris, Græcis Virilis vestis erat: subditque Horatianum:* Ad talos demissa Stola, & circumdata Palla. *Utraque enim hæ muliebres erant. Adde Tullium Philip. II.* Sumsisti Virilem Togam, quam statim Muliebrem stolam reddidisti. *Ceterum Græcis hominibus nihil dedecoris inesse ei visum est. Hinc ea promiscue utebantur.* Zosimus Lib. IV. *ait Julianum Eutropio insulsisse, ut Regia Stola ornatus incederet. Recte vero Zosimus* Regiam *dixit: Regnum enim Medorum Stola splendidissimum ornamentum erat: quod tradit de Arbace Diodorus Sicul. Lib. II. Habes ergo Stolæ dignitatem. Ad formam vero quod attinet, præterquamquod ad talos eam demissam fuisse ex Latinis supra tradidit Horatius, Xenophon quoque Lib. VIII. Cyropæd.* elegit, *inquit*, Stolam Medorum & ipse ferre, & ut familiares ea induerentur, persuasit: hæc enim visa est ei occultare, si quis defectum aliquem haberet in corpore. *Totum igitur corpus ambiebat, claudebatque. Porro Stolam proprium Romanorum Pontificum ornamentum fuisse docet Apulejus Lib. Ult. Met.* Processi duodecim sacratus Stolis, habitu quidem satis religioso. *Immo Romanis Imperatoribus, simul ac summa rerum potiebantur, Stolas oblatas, ac Pontifices Maximos inde renuntiatos fuisse, tradit* Zosimus Lib. IV. *Atque hinc factum reor quamobrem Constantinus, ut Romani Sacerdotii insignia in Christianos transferre videretur, Stolam Macario dono miserit. Neque vero de Stola Ecclesiasticæ colore dubitare diutius nos sinit Theodoretus ipse. Macarii quippe Stolam, Auratam fuisse, fulvique proinde coloris docet ibidem:* Ἐκ χρυσῶν δὲ αὕτη κατεσκεύαστο νημάτων: Ea vestis, *Stolam inquam*, aureis filis contexta erat. *Quem quidem colorem sequutis etiam temporibus adhuc servasse colligas ex S. Germano Constantinopolitano in* Theoria Liturgiæ, *ubi eam* Ignicolorem *appel-*

ta adpellantur *Lib. II. Cap. XII.* Hieronymus quoque in Libro (3) adversus Pelagium, tum in *Ep. III.* ad Heliodorum tunicarum, vestiumque candidarum meminit, quibus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, ceterique de clero uti consueverant. Chrysostomus tunicam candidissimam Diaconorum Sacris ministrantium vestem fuisse indicat *Hom. LXXXII.* id quod Severianus Gabalæ Ep. Chrysostomo coævus, necnon & Nazianzenus adfirmant (4); ac præsertim Nazianzenus in Testamento suo Eutropo Diacono reliquit χιτῶνα, & στιχάριν (5), quæ tunc communia harum albarum vestium in divino cultu adhibitarum nomina erant.

II. In Synodis Laodicena, Carthag. IV. Narbonensi, & Bracarensi I. (6) frequens occurrit mentio tum *Albæ*, ceu vestis omnium, etiam inferiorum Clericorum communis, tum etiam *Orarii*, sive Fasciæ in humeris portari solitæ ab Episcopis, Presbyteris, & Diaconis, non autem a reliquis de clero, qui diserte ab ejus usu prohibentur. Verum Concilium Toletanum IV. de sacris vestibus expressius loquitur; nam in XXVIII. Canone sic præcipit: *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus si a gradu suo injuste dejectus, in S. Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcoporum. Si Episcopus est, orarium, annulum, & baculum; Si Presbyter Orarium, & Planetam: Si Diaconus Orarium, & Albam.* Et in alio quodam Canone. *Orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero eo quod orat, sive prædicat.* Igitur sensu Ecclesiastico *Orarium* est

appellat. Ceterum, quod Fascia qualam Stolæ limbum, atque inferuam oram cingeret antiquitus, hinc factum est, ut sequens ævum Stolam diceret Fasciam illam, qua adhucdum Sacerdotes utuntur, quæ postica colli parte per humerum utrumque ad pectus demissa latera in morem crucis præstringit.

(3) *Hieron. Lib. 1. contra Pelag.* Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si Tunicam habuero mundiorem? Si Episcopus, Presbyter, Diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione Sacramentorum candida veste processerit. *Tunicæ, quas memorat hic Hieronymus, vestes item erant demissæ, albæque Ægyptiis sive Sticbariis similes, de quibus supra. Ceterum accuratiorem earum formam idem præscribit Hieron. Epist. CXXVII. ad Fabiolam.* Volo, *inquit*, pro legentjs facilitate abuti vulgato sermone. Solent militares habere lineas, quas *Camisias* vocant sic aptas membris, & adstrictas corporibus, ut expediti sint vel ad cursum, vel ad prælia ..... Virgo, & Sacerdotes parati in ministerium Dei utuntur hac Tunica, ut habentes pulcritudinem vestimentorum celeritate discurrant. *Hæc Hieronymus; ex quibus plane colligas, Ecclesiasticas has Tunicas haud ita multum ab hodiernis Albis,* quas *vulgo* Camice *dicimus, abludisse. Albæ enim utraque, ac talares. In eo tamen distabant ab nostris, quod hæ laxiores sunt, & ad talos omnino demissæ, illæ vero spissæ, angustæque, quæ corpus stringebant, & ad crura demissæ celeritatis gratia, quod docet perspicue Hieronymus, & Amalarius adnotavit Lib. II. Cap.* 18.

(4) *Severianus Gabalit. Hom. XXXVII. de Filio Prodigo inter op. Chrysost. Tom. V. Gregor. Nazianz. Somn. Anastas.*

Vestibus in *Niveis* adstabat Turba ministra
Splendorem referens Agminis Angelici.

(5) Idem in Testam. apud Brisson. de Formulis Lib. VII. Εὐτρόπῳ.... βούλομαι δοθῆναι χίτωνα ἕνα καὶ στιχάριν β. πάλλια γ. κ. τ. λ.

(6) *Conc. Laod. Can. XXIII.* Quod non oportet Lectores, vel Cantores ὠράριον φορεῖν Orarium ferre, & sic legere, vel canere. *Conc. Carthag. IV. Can.* 41. Ut Diaconus tempore oblationis tantum, vel lectionis Alba induatur. *Conc. Narbon. Anno DLXXXIX. Can.* 12. Nec Diaconus, aut Subdiaconus certe, vel Lector, antequam Missa consummetur, Alba se præsumat exuere. *Con. Bracar.* I. *Can.* 27. Placuit, ut quia in aliquantis hujus Provinciæ Ecclesiis Diaconi absconsis infra Tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre a Subdiaconis videantur, de cetero superposito Scapulæ, sicut decet, utantur Orario.

Juvat tamen & hic paucula de Alba, atque Orario appingere, quorum frequens in his Conciliis mentio. Atque Albæ quidem forma ea ferme erat, quam Tunicarum fuisse diximus supra, strictior nempe ac demissa, sed non ad talos omnino. Has & Camisias appellarunt. Vide Isid. Lib. XIX. Orig. Cap. 21. *Græci* Poderes. *Euseb. Lib. X. Cap.* 4. Amici, & Sacerdotes Dei Sacra Tunica Talari inti ἅγιον ποδήρη. *Quin & ipsi Latini* Albas Poderes *dixere. Tertull. Lib. adversus Judæos Cap. II.* Et unus vir in medio eorum indutus Podere. *Adde Isid. loc. cit. Eucherium Lugdunensem, aliosque.*

Albæ

est ab *Orare*, sive prædicare, & sacram vestem Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum propriam ab civili habitu distinctam denotat, licet communi acceptione sudarium, sive linteum ori tergendo paratum denotet: qua significatione nonnumquam ab Augustino, *De Civit. Dei Lib. XXII. Cap.* 8. Ambrosio, *Epist. LIV. ad Marcellinam Sororem*, æque ac ab vetustis Romanis Scriptoribus adhibetur.

§. II. *De gestu in precationibus ab veteribus Christianis adhibito.*

III. Ac primo quatuor potissimum gestuum genera in veteri Ecclesia universim observata deprehendimus: nimirum *Stationem*, *Inflexionem genuum*, *Inclinationem capitis*, & *Prostrationem*. *Statio* per totam Ecclesiam die Dominica, & quinquaginta inter Pascha, & Pentecosten diebus in usu erat, quando Fideles haud quidem genua flectentes, verum stantes orabant. Hunc morem ex Apostolica derivant auctoritate Epiphanius, Tertullianus, Hieron. Basilius, & Pseudo Justinus (7), qui & ejusdem consuetudinis rationem profert; dum scribit *genuum per sex dies inclinationem symbolum & notam esse lapsus per peccata nostri. Quod vero die Dominico, & Pentecoste genua non inflectimus signum esse, & designationem resurrectionis, per quam gratia Christi, & a peccatis, & a mortificata in eis morte liberati sumus.*

IV. Idem quoque mos Clementi Alexandrino & Petro Episcopo Alexandrino memoratur (8). Quinimmo quum quidam adversus universalem, & Apostolicam Ecclesiæ praxim in die Dominico, & ipsis Pentecostes diebus genuflecterent, id omnino vetuit Synodus Nicæna Can. XX. quo sancivit: *Ut omnia similiter in omni parochia serventur, visum est S. Synodo, ut stantes Deo orationes effundant.* Quam sane consuetudinem quarto Seculo omnino per omnes Ecclesias fuisse servatam ex eo patet, quod ejusdem ex æquo meminerit Basilius, Hieron. August. Cassianus, Epiphanius, Hilarius &c. (9) Atque hinc originem habuisse videtur solemnis illa formu-

Alba igitur Talaris vestis erat prorsus nostris Sacerdotum, Diaconorumque Albis similis. Orarium autem sunt qui ab Latino Os, ut sit oritergium, sunt qui ab ora i. e. extremo Tunicarum limbo deducunt, quod veteres etiam extremam Tunicæ oram ori tergendo adhiberent. Plautus Mercat. Act. I. Scen. 2.

Sume laciniam (*Limbum scilicet*) atque absterge sudorem tibi. *Vide Salmas. in hunc loc. Illud modo certum est Orarium etiam cum profanis usibus inserviebat, non tam in latum, quam in longum protensum fuisse fasciæ instar, quod patet ex Ambrosio* Orat. in obitu Satyri Fratris: *Ibi enim tempestatem qua jactatus fuerat, describens*; Divinum, *inquit*, Fidelium sacramentum ligari fecit in Orario, & Orarium involvit collo. *Quod nusquam fecisses, nisi fasciæ instar plicari, & collum circumagi Orarium potuisset. Hinc autem traducto ad Ecclesiasticos usus Orarii vocabulo Fasciam illam notavit, quæ per collum ante pectus ad utrumque Sacerdotis latus demittitur, quam* Stolam *omnes dicimus. Anastasius in vita Agathonis.* Ea hora S. Synodus una cum ejus Principe Orarium auferri jusserunt de collo ejus: *Macarii scilicet Antiocheni. Nostræ igitur stolæ vestigia in memoratis hisce Conciliis sub Orariorum nomine deprehendere licet.*

(7) *Epiphan. exposit. Fidei num. XXII. Hieron. Dialog. contra Lucifer. Calaritanum Cap. IV. Basilius de Spiritu S. Cap. XXVII. Tertull. de Coron. Milit. Cap. III.* Die Dominico Jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. *Denique Justin. Quæst. & Respons. ad Orthodox. Quæst. CXV. ut superne.*

(8) *Clemens Alex. Stromat. VII. Petrus Alex. Cap. XV. apud Bevereg.* Diem Dominicum lætitiæ diem agimus, quod in eo resurrexerit Dominus. In quo nec genua quidem flectere didicimus.

(9) *Augustin. ad Januar. Epist. CXIX. Cap.* 15. Propter hoc & jejunia relaxantur, & stantes oramus (*per Pentecostis dies*), Quod est signum Resurrectionis. Unde etiam omnibus diebus Dominicis id ad Altare observatur, & alleluja canitur. *Cassianus Collat. Lib. XXI. Cap.* 20. Ideo in ipsis (*a Paschate ad Pentecosten*) diebus, nec genua in orationem curvantur, quia inflexio genuum, velut pœnitentiæ, ac luctus indicium est. Unde etiam per omnia eandem in illis sollemnitatem, quam die Dominica, custodimus; in qua Majores nostri nec jejunium agendum, nec genu esse flectendum ob reverentiam Resurrectionis Dominicæ tradiderunt.

formula toties Chrysostomo, aliisque memorata: qua Diaconus populum in precibus excitare solebat: *Erecti stemus honeste*. Tantummodo Pœnitentes, ut humiliationis suæ argumentum præseferrent in genua se semper provolvere debebant, ipsis *etiam remissionis diebus*, uti loquitur Syn. Charthag. IV. (10).

V. Reliquis temporibus inflexio genuum communis erat precantium gestus; id patet tum ex modo productis Patrum auctoritatibus, ubi ab ritu genua flectendi solummodo dies Dominica, & dies Pentecostes excipiuntur, tum ex innumeris aliis veterum Scriptorum sententiis, quas in re tam perspicua, & incontroversa supervacaneum est hic proferre. Duo hic tantummodo juvat subnectere: 1. morem genua flectendi in reliquis præter diem Dominicam diebus non adeo exacte fuisse observatum, ut nunquam stantes orarent; quum Chrysostomus de oratione pro toto Ecclesiæ statu loquens præscribat *Hom. XVIII. in II. ad Corinth. Omnes peræque jaceant, omnes peræque consurgant*: & Auctor Constitutionum (11) fideles repræsentet in prima precatione genua flectentes, & ad secundam consurgentes. Alterum: etsi hi duo precantium gestus natura sua prorsus indifferentes essent; semper tamen perversissimi, vel negligentissimi animi indicium habitum est alterum cum altero permutare. Hinc Canones Nicæni, & Trullani eos reprehendunt, qui genuum inflexioni die Dominica superstitiosius studebant; uti ex altera parte Ecclesia nunquam conquesta non est de iis, qui in reliquis diebus genua flectere recusarent. *Diacono clamante: Flectamus genua*, inquit Cæsarius Arel. *Homil. XXXIV. maximam partem populi, velut columnas erectas stare conspicio, quod Christianis, dum in Ecclesia oratur, omnino non licet, nec expedit*.

VI. Gestus inter Stationem, & genuum inflexionem medius erat Capitis, vel Corporis inclinatio; quæ potissimum in usu erat in recipienda Episcopi, vel Sacerdotis benedictione: ac præsertim ex Auctore Constitutionum *Lib. VIII. Cap. 6. Energumeni, Pœnitentes, Catechumeni* ac *recens baptizati* hoc gestu Episcopi benedictionem accipere jubentur; & Chrysostomus haud semel (12) pro energumenis præscribit, *ut caput tantum inclinent, atque illo corporis gestu orent*.

VII. Ultimus precantium gestus erat *Humiprostratio*, sive pronum se in terram abjicere; hic extraordinariæ humiliationis gestus erat, quo utebantur tum nonnulli ex sic dictis Lapsis, quando ad statum pœnitentiæ admitti orabant, tum quoque & ipsi Fideles, ubi graviori aliqua premerentur angustia: cujus rei non pauca exempla occurrunt in veteri Ecclesiastica Historia, præsertim apud Socratem, & Theodoretum (13).

§. III. *De aliis quibusdam Ritibus in publico divino cultu antiquitus observatis*.

VIII. Ac 1. Viri ex mandato Apostoli inoperto capite orabant; uti ex altera parte mulieres nonnisi operto capite in Ecclesia esse jubebantur; ita Chrysostomus, & Tertull. (14) Verum ab hac

(10) *Conc. Carthag. IV. Can. LXXXII.* Pœnitentes etiam diebus Remissionis genua flectant.

(11) *Const. Apostol. Lib. VIII. Cap. 9.* Qui fideles sumus κλίνωμεν γόνυ flectamus genua, precemur Deum per Christum ejus. *Tum paulo post Cap. 10. ubi alia indicitur oratio*: ἐγειρώμεθα surgamus; orantes intente. *Genu vero flectebant, attollebantque vicissim ceteris præter Dominicam, ac Pentecosten diebus; tum quippe cuivis orationi stantes usque aderant*.

(12) *Chrysostom. Hom. XXVIII. De incomprehensibili Dei Natura*. Idem Hom. XXIX.

(13) *Socrates Lib. III. Cap. 13. Theodor.* Lib. V. Cap. 18. *ubi narrat Theodosium Magnum cum primum per Ambrosium Mediolanensem Ecclesiam ei ingredi licuisset, in genua provolutum vultum super pavimentum demisisse, dicentem*: Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum.

(14) *Tertull. Apolog. Cap. XXX. ejus tum usum cum rationem profert*. Capite nudo, quia non erubescimus, precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus &c. *Chrysost. Homil. XXVI. in I. ad Corinth.* Virum quidem non semper cogit esse aperto capite: sed solum quando orat.

hac regula saltem in Ecclesiis Africanis Virgines immunes fuisse videntur; quæ res occasionem dedit Tertulliano scribendi Librum de velandis virginibus, in quo tam virgines, quam maritatas divini ministerii tempore caput velare oportere docet.

IX. 2. Expansis manibus, & in cælum sublatis, ac nonnunquam in forma crucis ad repræsentandam *Servatoris* nostri passionem veteres fideles orasse, perspicua probant Tertulliani, Paulini, Asterii, Prudentii, Chrysostomi (15), aliorumque antiquorum Patrum testimonia; ac præ ceteris Chrysostomus hujus cæremoniæ usum pluribus probat; præsertim *Hom. in Psalm. CXL.* ex verbis illis Psalmistæ: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*.

X. 3. Modestia, gravitas, animique demissio etiam in externo corporis gestu resulgens in precantibus requisita; id pluribus præscribunt Tertull. Cyprianus, Chrysostomus &c. (16).

XI. 4. Pauperibus nonnisi ante fores Ecclesiæ consistere permissum erat, ut eleemosynas a populo acciperent; hinc omni prorsus dicendi vi inculcat Chrysostomus Fidelibus, ut in Ecclesiæ ingressu studeant eleemosynis Deum suis orationibus propitium reddere (17).

XII. 5. Tandem antiquitus consuetudo viguit, ut Christiani vultu in Orientem verso adorarent, ac preces funderent: cujus multiplex ratio reddi potest: 1. quod Oriens symbolum Christi esset, qui *Ortus*, *Lux*, & *Sol justitiæ* in sacris litteris vocitatur, ita Tertull. Clemens Alex. & Augustinus (18); unde moris erat, ut homines in baptismate in Occidentem versi diabolo renuntiarent, & tum in Orientem se converterent, Christoque se addicerent.

2. Quod in Oriente fuerit Paradisus, unde culpa primi Adami ejecti sumus; & in quem per secundum Adamum Christum restaurari speramus. Ita Gregorius Nyssenus, Basilius, Athan. Gregentius &c. (19)

3. Quod Oriens præstabilior sit aliis crea-

(15) *Tertull. Apolog. Cap. XXX.* Manibus expansis, quia innocuis. *Paul. Vita Ambros. Asterius apud Photium Cod. CCLXXI. Prudentius Peristephanon Hymn. VI. in Fructuos. Ver.* 103.

Nexus denique, qui manus retrorsus
In tergum revocaverant revinctas
Intacta cute decidunt adusti.
Non ausa est prohibere pœna *Palmas*
In morem *Crucis* ad Patrem levandas
Solvit brachia, quæ Deum precentur.

Vide etiam Chrysost. Demonstrat. quod Christus sit Deus, Cap. VIII.

(16) *Tertull. de Orat. Cap. III.* Cum modestia, & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed temperate, ac probe elatis. *Cyprian. de Orat. Dominica*: Sit orantibus sermo, & precatio cum disciplina, quietem continens, & pudorem. *Vide etiam Chrysost. Hom. I. de Verbis Isaiæ.*

(17) *Chrysost. Hom. XXV. & I. in II. ad Timoth. Commentans verba illa:* Non apparebis coram Domino vacuus: *hæc habet*. Judæis ista dicebantur, quanto magis nobis? idcirco nempe ante fores adstant (*Pauperes*), ut nemo vacuus ingrediatur, ut misericordia comite securus introeat.

(18) *Tertull. Apolog. Cap. XVI.* Inde suspicio, quod innotuerit, nos ad Orientis regionem precari. *Carpit hic Gentiles Tertullianus, qui quod Christianos Orientem versus orare conspicerent, inde eos solem colere suspicati sunt. Clemens Alex. Stromat. VII.* Quoniam diei Natalis imago est Oriens, atque illinc quoque lux augetur, quæ illuxit ex tenebris, iisque, qui volutantur in ignoratione, e ortus est dies cognitionis veritatis, quemadmodum sol oritur, ideo ad ortum matutinum habentur preces. *Denique Augustinus de Sermon. Dom. in Monte Lib. II. Cap.* 5. Cum ad orationes stamus, ad Orientem convertimur, unde Cælum surgit.

(19) *Greg. Nyssen. Homil. V. de Orat. Dom. Tom. I. Basil. de Spir. S. Cap. XXVII. Athan. Quæst. ad Antioch. Quæst. XXXVII. Gregent. Disput. cum Herbano Judæo.* Ad solis ortum orare edocti sumus, quoniam illic Deum invenimus, qui hominem formavit, & qui Paradisum condidit.

creaturæ partibus, utpote sedes lucis, & claritatis; unde magis Dei perfectiones exprimit, qui luminis fons, & illustrator est rerum, & qui oriri nos facit ad vitam æternam (20).

4. Quod Christus in Oriente apparuerit, & adscenderit in cælum, ibique iterum appariturus sit die novissimo. Ita Auctor quæstionum ad Antiochum sub nomine Athanasii, & Hilarius (21). Jam vero hæ quatuor rationes licet diversæ, omnes tamen ex æquo Christum respiciunt.

XIII. Illud postremo hic omnino animadvertendum, veteres Patres sollicite curasse, ne fideles in precando gestus a Gentilibus usitatos adhiberent. Hinc Tertull. *De Orat. Cap. III.* Christianos quosdam reprehendebat, qui more gentilium nonnisi *penulis positis* orationem facerent.

(20) *Docet id cum primis Lactantius. Lib. II. Cap.* 10. Oriens Deo accensetur, quia ipse luminis fons, & illustrator est rerum, & quod oriri nos faciat ad vitam æternam. Occidens autem conturbatæ illi pravæque menti adscribitur, quod lumen abscondat, quod tenebras semper inducat, & quod homines faciat occidere, ac interire peccatis. *Clarius vere Auctor Quæstionum, & Responsionum ad Orthodoxos Quæst. CXVIII.* Haud aliter, & Oriens, ut præstantior creaturæ pars, ad Deum adorandum est designata.

(21) *Athanas. Quæst. ad Antioch. Quæst. XXXVII. Hilar. in Psal. LXVII. in hæc ejus Psalmi verba*, Psallite, qui adscendit super Cælum Cæli ad orientem: Competenter, *inquit*, nunc adscendentis super Cælum Cæli ad Orientem, Dei honor ponitur: ad Orientem vero idcirco, quia ipse, secundum Prophetam, oriens ex alto fit: Ut regressus eo, unde descenderat, oriens nosceretur, ipseque sit hominibus in hunc Cælestis Sedis adscensum rursus Auctor oriundi.

C A P U T IX.

De Temporibus Religiosorum Conventuum, aliisque Ritibus Publici Divini Cultus in veteri Ecclesia observatis.

I. *De temporibus Religiosorum Conventuum per duo priora Ecclesiæ secula.*

I. AC primo Christianos primitivos tempore Apostolorum quotidie conventus egisse, vero oppido simile videtur. Namque Apostolos in templum adscendisse sub horam orationis nonam, & quotidie perdurasse concorditer in templo, panemque fregisse in domo sua, hoc est in Ecclesia ex Actis Apostolorum habemus. *Act. III.* 1. at vero solemniores eorum conventus prima hebdomadis feria, sive die Dominica facti sunt, uti ex iisdem Actis Apostolorum *XX.* 7. & ex priori ad Cor. Epistola 7. *Cap. XII.* 2. colligimus. Verum postea sævientibus persecutionibus diem dominicum conventui destinasse existimantur. Et sane Plinius *Lib. X. Epist. XCVII.* ad Trajanum Imp. ex ore quorumdam christianorum, quos Apostatas vocat, accepisse scribit, *quod essent soliti* Stato Die *ante lucem convenire: carmenque Christo, quasi Deo, dicere invicem.* Profecto *Status ille dies* nonnisi diem Dominicum notat; præsertim quum Justinus M. *Apol. II.* de Religiosis Christianorum conventibus loquens, nonnisi diem Dominicum memoret: *Solis, qui dicitur, die omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit.... Solis autem die communiter omnes conventum agimus; quandoquidem is primus dies est, quo Deus tenebris, & materia versa mundum effecit: & Jesus Christus Servator noster eo die a mortuis resurrexit.*

§. II.

§. II. *De Diebus Stationum, sive Conventibus Ecclesiasticis Feria IV. & VI. hebdomadis.*

II. Non multo post Justini ætatem mentio occurrit moris solemniter coeundi ad divinum cultum *feria quarta*, & *sexta* hebdomadis, qui dies communiter *Dies Stationarii* vocabantur, quod religiosi conventus hisce diebus longius, ad horam videlicet sextam, protraherentur: unde *semijejunia*, & *jejunia quartæ*, & *sextæ feriæ* dicti sunt. Horum primo meminere Tertull. Clemens Alex. & Origenes; ac dein Basilius, aliique, qui de illis, ceu de jejuniis generatim in Ecclesia observatis loquuntur. Verum hic tantummodo, quisnam publicus Dei cultus in stationariis illis diebus peractus fuerit, considerabimus; namque de lege jejunii alibi redibit sermo.

III. Ac primo Tertullianus & Basilius (1) hisce diebus semper sacram Eucharistiam fuisse celebratam adfirmant; ex quo inferre nobis licebit idem ministerium, quod die Dominica, his quoque diebus fuisse peractum; nimirum precationes omnes in administratione Eucharistiæ adhiberi solitas, omniaque officia, quæ ei præmitti consueverunt: videlicet psalmodiam, Scripturarum lectionem, preces pro catechumenis, & pœnitentibus, quibus una cum sermonibus totum officium die Dominica absolvebatur (2). Jam vero hujusmodi duntaxat sacri ministerii officiis haud quidem ad sextam usque horam sacer fidelium conventus protrahi poterat; unde probabile est in psalmodia, privatis precibus, & peccatorum suorum confessione plurimum temporis transegisse. Psalmi enim, uti posthac videbimus, interdum ad triginta, quadraginta, ac etiam plures augebantur, prout vigiliæ cujusdam, vel jejunii ratio requireret, qui etiam privatis fidelium precibus, & meditationibus intercipiebantur.

§. III. *Antiquitus etiam die Sabbati Ecclesiastici conventus cum celebratione Sacri ministerii habebantur.*

IV. Frequens quoque occurrit mentio in antiquis Scriptoribus sacrorum conventuum die Sabbati. Verum quænam hujusce consuetudinis fuerit origo, quænam rationes facile non est exponere; eo quod priorum seculorum Scriptores universi hac de re sileant. Athanasius *Hom. de Semente Tom. I.* primus est, qui ejus mentionem fecerit, ubi scribit *fideles die Sabbati congregari, non quod Judaismi morbo laboremus, sed Dominum Sabbati Jesum adoraturi.* Jam vero hac in re inter Ecclesias Latinas, & Græcas omnino est distinguendum: in Latinis enim (si a Mediolanensi discesseris) dies Sabbati ceu dies jejunii, in Orientalibus autem omnibus ceu dies festus agebatur. Et sane præter Athanasium habemus quoque Basilium, & Timotheum Alex. (3), qui eo die æque ac die Dominica sacram Eucharistiam distribui adfirmant.

V. Id quod de aliis per Ægyptum Ecclesiis testatur Cassianus (4), & de Ecclesiis Constantinopolitanis tempore Chry-

(1) *Basil. Epist. CCLXXXIX.* Quater nos singulis septimanis communicamus, Dominico die, Feria quarta, in Parasceve, & Sabbato; sed & per dies etiam alios, si Martyris alicujus memoria celebretur. *Tertull. de Orat. Cap. XIV.* Similiter de Stationum diebus non putant plerique Sacrificiorum orationibus interveniendum, quod Statio solvenda sit accepto Corpore Domini.

(2) *Socrates Lib. V. Cap. XXII. Hæc omnia per Stationum dies peragi de Alexandrina Ecclesia testatur. Ait enim in ea* Scripturas lectas fuisse, easque per Sacros ministros interpretatas fuisse: ad hæc omnia observata, quæcumque ad Sacram Synaxim spectabant.

(3) *Timoth. Epist. Can. Can. XIII.* Necessario Sabbato, & die Dominico abstinere debemus, quod spirituale Sacrificium in eis Domino offeratur. *De Basilii loco videsis superiorem Notam.*

(4) *Cassian. Institut. Lib. III. Cap.* 2. Exceptis vespertinis horis, & congregationibus nocturnis, nulla apud eos (*Ægyptios*) per diem solemnitas, absque die Sabbati, vel Dominica, in quibus hora tertia Sacræ communionis obtentu communicant.

Chrysostomi Socrates (5). Adhæc & in eandem sententiam in Concilio Laodiceno tres Canones reperiuntur (6). Illud tantum discriminis erat inter Sabbatum, & diem Dominicum; quod die Sabbati Fideles operandi haberent veniam; quum die Dominica feriari deberent (7). Ad hanc proculdubio Ecclesiæ Orientalis consuetudinem respexit Auctor Constitutionum *Lib. V. Cap.* 20. ubi præcepit *in omni Sabbato præter unum* (*), *atque in omni Dominica lætos conventus celebrari*. De consuetudine Ecclesiæ latinæ jejunandi die Sabbati alibi redibit sermo.

§. IV. *De Vigiliis Sabbati, diei Dominicæ, aliorumque in martyrum memoriam festorum dierum.*

VI. Uti Sabbatum, & Dominica præ ceteris hebdomadis diebus festi, & læti agitabantur; ita etiam præcedentium vigiliarum ministerio introducebantur. Hujusmodi vigiliæ a communi Nocturno, sive Matutino officio in eo tantummodo differebant; quod isthoc nunquam inciperet, nisi post mediam noctem circa gallicinium; illæ vero longius essent officium, quod cœtum in Ecclesia per maximam noctis partem detinebant: unde a Græcis παννυχίδες, a Latinis *Pernoctationes*, & *Pervigiliæ* adpellari consueverunt; tum a Chrysostomo, qui frequenter de illis loquitur, uti *Hom. IV. de Verbis Esaiæ*, πάννυχοι, καὶ διηνεκεῖς στάσεις *Pernoctes*, & *Perpetuæ Stationes* dictæ sunt. *In Pernocte hac*, inquit, Hom. I. de Verbis Esaiæ, *& perpetua statione Angelicorum ordinum Stationem imitantes sine cessatione laudes, & hymnos offertis Conditori. O mira Christi dona! In supernis exercitus angelorum canit gloriam: in terris homines in Ecclesiis choros agentes ad illorum exemplum eandem canunt gloriam. In supernis Seraphim ter sanctum illum hymnum resonant; in terris eundem hominum promit multitudo, communiterque tum cælestium tum terrestrium festivus conventus congregatur, una gratiarum actio, una exultatio, una gaudentis choreæ statio.* His sane verbis haud obscure indicat Chrysostomus hymnum Angelicum *Gloria in excelsis* &c. & Hymnum Cherubicum *Sanctus, Sanctus, Sanctus* &c. partem Sacri officii in nocturnis Stationibus fuisse.

VII. Præterea ejusmodi Stationes aliis quoque occurrentibus occasionibus agebantur: ac 1. in extraordinariis supplicationibus magna quadam Ecclesiam premente necessitate fieri solitis; quarum exempla varia apud Chrysostomum, Augustinum, Rufinum, Socratem, Sozomenum, Theodoretum observare licet (8).

2. In

(5) *Socrat. Lib. VI. Cap.* 8.

(6) *Conc. Laodic. Can. XVI.* Ut Evangelium cum aliis Scripturis legatur. *Can. XLIX.* Quod non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & solis Dominicis. *Can. LI.* Quod non oportet in Quadragesima Martyrum Natales peragere, sed .... facere commemorationem in Sabbatis, & Dominicis.

(7) *Immo si quis Sabbato ab opere supersedisset, hunc anathemate feriebant, quod eum plane judaizare crederent. Can. XXIX. Conc. Laodic.* Quod non oportet Christianos judaizare, & in Sabbato otiari; sed ipsos eo die operari .... Quod si inventi fuerint judaizantes, sint anathema apud Christum.

(*) *Præter id Sabbatum scilicet, quod proxime excipiebat dies Resurrectionis Dominicus.*

(8) *Chrysost. Hom. XX. & XL. Tom. I.* Multi frequenter eos visitando sacras apud eos Vigilias continuis Psalmis perficiebant. *August. Conf. Lib. IX. Cap.* 7. Excubabat pia Plebs in Ecclesia mori parata cum Episcopo suo, Servo tuo. Ibi Mater mea, ancilla tua sollicitudinis, & Vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat. *Rufinus Lib. I. Cap. XVI.* Ambrosius adversus Reginæ furorem, non se manu defensabat, aut telo, sed jejuniis, continuatisque Vigiliis sub Altare positus. *Socrates Lib. I. Cap.* 37. In Ecclesia, quæ cognominatur Irene se solum inclusit (*Alexander Episcopus*), & ingressus ad Altare, sub sacra mensa pronum se humi-

pro-

2. In solemnioribus qnibusdam anni festis diebus, uti Nativitatis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & Adscensionis Christi, Pentecostes &c. id testantur Tertull., Chrysostomus, Lactantius, & Socrates (9).

3. In anniversariis Martyrum solemnitatibus. Hæc Sacra anniversaria, sicuti, ut mox videbimus, iisdem divini cultus solemnitatibus, quibus Sabbatum vel dies Dominicus, celebrabantur; ita quoque eorum vigiliæ eodem observabantur ritu, quo vigiliæ utriusque hebdomadalis solemnitatis. Hujus moris locuples testis est Chrysostomus (10).

VIII. Quod vero attinet ad Ecclesiam Latinam, pervigiliarum, & Pernoctationum haud raro meminere Synodus Illiber. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Hilarius &c. (11). At horum testimonia, vel de privatis pernoctationibus in precibus domi, vel de communibus vigiliis ordinarii officii antelucani intelligi possunt. Hinc ea hic proferre necessum non est; tantummodo Sidonii Apollinaris *Lib. V. Epist.* 17. testimonium ad rem videtur, qui scribens de festo die S. Justi Ep. Lugdun. celebrationem istius diei, & antegressæ vigiliæ sic describit: *Conveneramus ad S. Justi sepulcrum..... Processio fuerat antelucana, solemnitas anniversaria, populus ingens sexu ex utroque, quem capacissima Basilica non caperet, & quamlibet diffusis cincta cryptoporticibus. Cultu peracto vigiliarum, quas alternante multitudine Monachi, Clericique psalmicines concelebraverant, quisque in diversa secessimus, non procul tamen, utpote ad tertiam præsto futuri, cum Sacerdotibus res divina facienda.*

§. V. *De Festis diebus Martyrum.*

IX. Ac primo in eorum originem inquirendum est, quæ ad minimum ad ætatem usque Polycarpi est referenda. Nam Ecclesia Smyrnensis, uti narrat *Eusebius Lib. IV. Cap.* 15. cujus ille fuerat Episcopus, in Epistola ad Ecclesiam apud Philomelium, narrat velle se, si Deus concesserit, ad monumentum ejus convenientes natalem ejus martyrii diem cum hilaritate, & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posterorum eruditionem, & exercitationem. Jam vero earundem Martyrum solemnitatum meminere Tertullianus (12), Cyprianus,

prostravit, Deo cum lacrymis supplicans. Atque hoc multis diebus, ac noctibus continuatis gessit. *Sozom. Lib. II. Cap.* 29., & *Cap.* 6. Nocte adventante Collectam in Ecclesia celebravit. *Theodoretus Lib. I. Cap.* 14. Quibus auditis vehementer dolens Episcopus Alexander Ecclesiam ingreditur, sublatisque ad Deum manibus lamentatur, & in faciem procidens in Sanctuario, humi prostratus preces fundit.

(9) *Tertull. ad Uxorem Lib. II. Cap.* 4. Quis solemnibus Paschæ abnoctantem securus sustinebit? *Lactant. Lib. VII. Cap.* 19. Hæc Nox est, quæ a nobis propter adventum Regis, ac Dei nostri Pervigilio celebratur. *Chrysost. Hom. XXX. in Genesim*: Idcirco multi & jejunium intendunt, & Vigilias, & Pernoctationes sacras, & Eleemosynas faciunt, ut hebdomadæ huic (*magnæ scilicet*) honorem habeant. *Denique Socrates Lib. VII. Cap.* 5. Paulo post cum Sabbatius festum diem (*Paschatis*) ex anticipata opinione celebraret, multique ad eum concurrerent, & solemni Pervigilio in Ecclesia pernoctarent, tumultus quidam, ac terror dæmoniacus repente eos corripuit.

(10) *Chrysost. Hom. LIX. in Martyres*: Noctem convertistis in diem per sacras istas Vigilias: nolite rursus diem in noctem per ebrietatem, & crapulam, ac meretricios cantus convertere.

(11) *Hieron. Epist. ad Lætam VII. Idem Comment. in Daniel. IV.* Unde & nos crebris Pernoctationibus imitamur Angelorum officia. *Synod. Illiber. Can XXXV.* Ambrosius *Serm. XIX. in Psalm. CXVIII. Habet eadem sæpe Augustinus.*

(12) *Tertull. De Coron. Milit. Cap. III.* Oblationes pro defunctis, pro Natalitiis annua die facimus. *Natalitia autem hic male Rhenanus hominum quorumvis, non Ecclesiæ Martyrum Natales dies intelligit, ut patet cuique Tertulliani continuum textum legenti.* Natalitius *autem dies est, non quo natus, sed quo denatus est Martyr*, i. e. *Emortualis. Docet id Cyprianus Epist. XII.* Denique & dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut Commemorationes eorum inter memotias

nus, Augustinus (13), &c. ac præsertim Chrysostomus (14), qui eas sua ætate adeo crevisse narrat, ut non semel, bisve, aut quinquies quotannis, sed frequenter, ac etiam bis in eadem hebdomade aliquando occurrerent. Divini cultus officia in festis hisce diebus peracta eadem omnino erant, ac illa, quæ Sabbato, ac die Dominica peragebantur; tantummodo unum, aut alterum peculiare habebant: nimirum collationes eleemosynarum pro pauperibus, & orationem Panegyricam cum recitatione Actorum martyrii, si quæ ejusmodi monumenta haberentur.

X. Proculdubio Africanarum Ecclesiarum consuetudo fuit, ut in martyrum solemnitatibus Passiones eorum, uti ab notariis consignatæ fuerant, legerentur. Id enim testatur Augustinus *Hom. XXVI.* & Concilium Carthag. III. Canonem edidit ad earum lectionem promovendam (15). Eandem fuisse Gallicanarum Ecclesiarum praxim ex pluribus Alcimi Aviti, Cæsarii Arel., & Ferreoli testimoniis colligit Mabillonius (16). Tantummodo in Romana Ecclesia tempore Gelasii I. (17) non legebantur, uti patet ex ejusdem decreto in Concilio Romano 70. Episcoporum edito: ubi etiam ratio, cur non legerentur, subjungitur; nimirum quia & *eorum, qui conscripsere, nomina penitus ignorantur; & ab infidelibus, aut idiotis superflua, ac minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur, sicut cujusdam Cyrici, & Julitæ, sicut Georgii aliorumque hujusmodi passiones, quæ ab hæreticis perhibentur compositæ, propter quod ne vel levis subsannandi oriretur occasio in Sancta Romana Ecclesia non leguntur.*

§. VI. *De Religiosis Conventibus quotidie habitis tempore quadragesimalis jejunii, & quinquaginta diebus inter Pascha, & Pentecosten durantibus.*

XI. Tempore Quadragesimalis jejunii quotidiani habebantur conventus, tum ad preces fundendas, tum ad verbum Dei prædicandum; id ex Chrysostomo (18) perquam manifestum est. Neque tamen Eu-

morias Martyrum celebrare possimus. *Adde etiam Paulinum Nolanum in Natal. S. Felicis:*

Venit festa dies Cælo, celeberrima terris
Natalem Felicis agens, qua corpore terris
Occidit, & Christo superis est natus in astris.

Quandoque vero Martyrum Natalitia incidebant in diem, quo eorum Reliquiæ aliunde asportatæ in alicujus Urbis Ecclesiam recondebantur. Cujus rei antiquissimum, quod sciam, monumentum occurrit in Ecclesia Antiochena, quæ S. Stephani Protomartyris Natalitium celebrabat, quo die ejusdem Reliquiæ Antiochiam inlatæ fuerant, qui dies in IV. Nonas Augustas incidebat, ut est in Martyrologio Hieronymi: IV. Non. Aug. in Antiochia Natalis Reliquiarum S. Stephani Martyris, & Diaconi. *Atque hinc originem reperas Festorum in die Translationis cujusque Martyris Reliquiarum celebrandorum.*

(13) *Cyprian. cum loco superius citato. tum Epist. XXXIX.* Sacrificia pro eis (S. *Laurentio & Ignatio*) semper, ut meministis offerimus, quoties Martyrum Passiones, & Dies anniversaria commemoratione celebramus. *August. Hom. XXVI.*

(14) *Chrysost. Hom. XL. In Juventin.* Heri Beatus Babylas cum tribus pueris nos hic congregabat: hodie vero par Sanctorum Militum, exercitum in acie Christi ostendit. Heri quadriga Martyrum, hodie biga se ostendit. *Tum Theodoretus Serm. VIII. De Martyribus:* Neque ad hæc (*Martyrum Templa*) nos semel, bisve, aut quinquies quotannis accedimus, sed frequentes conventus celebramus.

(15) *Conc. Carthag. III. Can. 47.* Liceat etiam legi Passiones Martyrum, cum anniversarii dies eorum celebrantur.

(16) *Mabill. De Cursu Gallicano.*

(17) *Gelas. Decret. apud Crab. Tom. I.*

(18) *Sane Chrysostomus, uti ex ejus constat operibus, plures habuit Sermones in singulis quibusque Quadragesimæ diebus recitatos, veluti* Homilias in Genesim, *quæ tum multæ sunt, tum sic sibi continuæ succedunt, ut quadraginta dies ipsos occuparint, necesse sit. Extant ejusdem Chrysostomi Sermones sic dicti* Ἀνδριάντες *per universam Quadragesimam recitati, quibus ansam præbuere dejectæ passim per Antiochiam Imperatoriæ Statuæ.*

Eucharistia quotidie consecrabatur, nisi solo Sabbato, & die Dominico, uti ex Can. quodam Concilii Laodiceni habemus (19). Namque antiquitus in Ecclesia Eucharistia in solemnibus jejuniis consecrari non consuevit. Hinc etiam secutis temporibus diebus jejunii *προηγιασμένων λειτουργία* *Missa præsanctificatorum* obtinuit, quæ brevius erat ministerium ad percipiendam Eucharistiam die Dominica antea consecratam institutum. In hanc rem habemus Canonem Trullanum, qui sic habet (20): *In omnibus Sacræ quadragesimæ jejunii diebus, præter quam Sabbato, Dominica, & Adnuntiationis die, fiat Sacrum præsanctificatorum ministerium.*

XII. Similiter quinquaginta dies Pascha inter, & Pentecosten omnes solemniter celebrabantur, ceu dies gaudii; atque adeo tanquam una continuata solemnitas habebantur. Id significat Tertull. in Libro de Idololatria (21); qui & alibi (22) indicat eundem completum

(19) *Conc. Laodic. Can. XLIX.* Non oportet in Quadragesima Panem offerre, nisi in Sabbato & solis Dominicis, *εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ κυριακῇ μόνον.*

(20) *Rem acu, quod ajunt, omnino hic strigit Auctor, qui sequutis postremo temporibus Præsanctificatorum Missam attribuit. Mirum sane quantam ejus Missæ vetustatem divendiderint recentiores Græci. Michael Patriarcha Constantinopolitanus, ac Simeon Thessalonicæ in Responsis* ad Gabrielem Pentapolem Metropolitanum, *Apostolicam eam esse dicit, quos sequuntur Alexius Aristenus* in Nomocanone, *Matthæus Blastares, Zonaras, & Balsamon* ad Can. XLIX. Laodicenum. *Paulo temperantior est Cardinalis Bona* Rer. Liturgicarum Lib. I. Cap. XV. §. V. *ubi Chrysostomo, atque Basilio antiquiorem eam statuit, ac saltem ad tempora Concilii Laodiceni rejicit, quod ejus Synodi* Canon XLIX. *Sacrosanctas Oblationes ceteris hebdomadæ diebus præterquam Sabbato, & Dominica interdicat. Est vero quod quis miretur etiam Leonem Allatium Virum Græcæ Ecclesiæ eruderandis antiquitatibus pene immortuum in recentiorum Græcorum sententiam descendisse, ita tantum ut hanc Missam aut Apostolis, aut Apostolicis certe viris arroget, eo ductus argumento, quod in pervetusto hujus Missæ exemplari sic adprecetur Sacerdos, ut omnes tum fideles de Altari participasse videantur, quod unius ævi Apostolici proprium fuisse ait. Mihi vero (si quid mutire in tanta maximorum virorum auctoritate fas est) sæpe id rimanti nondum tantæ antiquitatis monumenta suboriri potuerunt: immo hæc contra illius vetustatem pene in oculos incurrerunt.*

At 1. *Socrates* Lib. V. Hist. Eccl. Cap. XXII., *quo in capite totus est, ut varias Ecclesiarum Praxes in celebrandis Synaxibus describat, ne verbo quidem Missæ τῶν προηγιασμένων* Præsantificatorum *meminit.* 2. *Certum est attestante id eodem Socrate* ibid. *Alexandrinos sola Dominica communicasse, ac Feria IV. & VI. omnia quæ ad collectam pertinerent peregisse, ac tantum de Mysteriis non participasse.* 3. *Basilius Magnus* Epist. CCLXXXIX. Quater, *inquit*, singulis septimanis communicamus, Dominica die, Feria IV., in Parasceve, & Sabbato. 4. *Epiphanius* de Expos. Fidei num. XXI. *Feria IV. & VI. Synaxes celebratas ait.* 5. *Augustinus Tract. XXVI. in Joann. Alicubi quidem singulis diebus, alicubi vero, inquit, Christi corpus* certis intervallis dierum in Dominica Mensa præparatur, & sumitur. *Qui fuerint hi, quos quotidie communicasse ait Augustinus, dicam inferius. Illud tamen hinc certo conjicias per id temporis, de quo loquor, nondum Præsanctificatorum Missam increbuisse, quod contra factum oportuisset, si Apostolicum ævum ea redoleret.*

At, inquies, τῶν προηγιασμένων Missa proprium Quadragesimæ ministerium erat, ut est in Typico Sabæ. *Verum si modo Basilium, Augustinum,* Epiphanium, *ac Socratem audivimus perspicue attestantes, non singulis quibusque, sed variis per intervallum diebus communicasse fideles, atque iis omnino, in quibus incruentum Patri sacrificium offerebatur; eccur, quæso, per eos dies ob τῶν προηγιασμένων Missa abstinuissent Fideles, quum una hæc ejus Missæ instituendæ ratio fuerit, ut communioni Fidelium locus esset etiam aliturgicis diebus? Ceterum & in ipsa Quadragesima penitus ab publica communione supersedisse vetustissimos Christianos auctor est Cl. Albaspinæus, quem consule* Obser. Lib. I. Observ. XIV. *Ergo ii maxime præ ceteris de hac re judicasse videntur, qui eam sensim per quintum, sextumque seculum increbuisse opinantur, donec tandem* Can. LII. Conc. Trullani *veluti firmata, sancitaque fuit. Nam quod* Can. XLIX. *Laodicenum producunt, nihil inde negotii tibi creari putes. Siquidem ibi nullum τῶν προηγιασμένων Missæ vestigium exstat, sed tantum Eucharistiæ oblatio per ceteros hebdomadæ dies præter Sabbatum, & Dominicam inhibetur; quod cum illa maximum lætitiæ signum esset, minime ejus oblatio luctuosis, & squallidis Quadragesimalis jejunii diebus conveniret.*

(21) *Tertull. de Idololatr. Cap. XIV.* Ethnicis semel annuus quisque dies Festus est. Tibi octavo quoque die. Excerpe singulas solemnitates Nationum, & in ordinem texe, Pentecosten implere non poterunt.

(22) *Tertull. de Coron. Mil. Cap. III.* Die Dominico Jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus.

Dei cultum in illis diebus fuisse peractum, qui & die Dominico peragebatur.

§. VII. *De Publicis Precibus quotidie mane, & vespere factis.*

XIII. Publicas matutinas preces saltem Seculo III. jam in usu fuisse aperte colligitur ex Tertulliano, & Cypriano (23), qui Petitionem illam dominicam *Panem nostrum quotidianum* de Eucharistia interpretantes, eam quotidie a fidelibus accipi tradunt: atqui Eucharistia nonnisi in publicis conventibus consecrari consuevit (24). Igitur saltem ab tertio

(23) *Tertull. De Orat. Cap. VI.* Corpus ejus in pane censetur. Hoc est corpus meum; itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postulamus in Christo. *Adde Cyp. de Orat. Dom.* Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & quotidie Eucharistiam ad cibum salutis accipimus, intercidente aliquo graviore delicto, dum abstenti, & non communicantes a cælesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur.

(24) *Sunt tamen, qui ex his Tertulliani, & Cypriani locis publici quotidie, Matutinique Conventus consuetudinem minus rite deduci putant. Neque enim, quod in singulos dies, ut ait Cyprianus, de Corpore Christi participabant Fideles, singulis etiam quibusque diebus sacris operabantur, publiteque conveniebant; tunc de privata, ac domestica, ut ita dicam, cujusque communione, quæ non insolens apud antiquos erat, recte accipi posse. Illud omnino certum non ubique gentium Christianorum quaque die sacris operatum fuisse. Neminem quippe latet Ferias II. III. & V. apud Orientales Aliturgicos dies fuisse, ni forte Martyris alicujus Memoria in his recolenda occurrisset. Docet id disertissimis verbis Basilius Magnus* Epistol. CCLXXXIX. *ad Cæsariam Patritiam*: Singulis certe diebus communicare, & participare Sancti Corporis Christi, & Sanguinis bonum, & fructuosum est...... Quater igitur nos singulis septimanis communicamus, Dominica die, Feria quarta, in Parasceve, & Sabbato. Sed & per dies etiam alios, si Martyris alicujus memoria celebretur. *Adde Epiph. Exposit. Fidei num. XX. ubi sacros Conventus, & Synaxes Quarta, Sextaque Feria ab Apostolis institutas ait. Sabbatum tamen tacet hic Epiphanius, credo, quod in Cypria, cujus erat Episcopus, Ecclesia, Aliturgicum id esset. Postremo non quotidie ubique sacra Mysteria peracta fuisse, ex Augustino discimus*, Tractat. XXVI. *in Joannem*: Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur, & de mensa Dominica sumitur. *Qui vero quotidie Missam habuerint publicam, ex occidentalibus fuisse puto, quum nusquam id de Orientalibus ab quopiam observatum viderim, nec Socrates ipse* Lib. V. Cap. XXII. *id observarit, cum ceteroqui eo in capite in adnotanda varia Ecclesiasticarum Collectarum praxi utramque, ut ajunt, paginam faciat. Ego vero quotidie communicantes, de quibus Augustinus loquitur, Toletanos præcipue fuisse putaverim, quod eruitur ex* Can. V. Concil. I. Tolet. *sub Anastasio P.*. Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus... si ad Ecclesiam, ad Sacrificium quotidianum non accesserit, Clericus non habeatur. *Immo etiam apud universas Hispanias id moris obtinuisse tradit Hieron.* Epist. LII. ad Lucinium, *quod & alibi etiam de Romana Ecclesia testatur. Jam vero ex his illud omnino conjicias, quod supra commonui, minime ex Cypriani loco certo erui quotidie priscos Fideles publice coiisse, atque communitasse. Nulline ergo, inquies, erant matutini quotidie Christianorum conventus? Ego vero, si id de primis tribus Ecclesiæ seculis rogites, eos neque ajo prorsus, nec nego. Plinii Junioris* Epistola XCVII. Lib X. Stato die, *i. e. Dominico convenisse Fideles ex eorumdem confessione testatur. Justinus Martyr Apol. II.* Dominicis diebus, *inquit*, Christianorum cœtus celebrantur. *Constitutiones quidem Apostolicæ Christianos plus vice simplici coactos simul innuunt, non semper tamen.* Lib. VIII. Cap. 34. Quod si ad Ecclesiam prodire non licuerit propter infideles..... psallat sibi unusquisque, canat, oret, saltem duo simul, aut tres. *Igitur per id temporis sæviente in nostros infidelium Tyrannide conventus Ecclesiastici frequentes quidem erant, quod Cyprianus, ac Tertullianus sæpe tradunt, sed vagi, incerti, minimeque stati. Rebus vero Gentilium inclinatis, devictaque superstitione, prorsus quotidie conveniebant. Nam præterquam quod quater in singulis septimanis stato more, ut ait Basilius, communicabant, ceteris etiam Aliturgicis diebus vel Martyrum memorias matutinum officium celebraturi coibant. Donec tandem ad quintum, sextumque seculum ventum est: quibus succrescentibus in dies Monachorum institutis, frequentius diurna per plures vices, nocturnaque Psalmodia in eorum, tum in Episcopalibus Ecclesiis celebrari cœpta est. Constantinopoli Monachi erant sic dicti* Acœmetæ, Non Dormientes, *quod continenter, ac succedaneis vicibus Psalmodiæ incumberent. Immo quandoque in Episcopales Ecclesias acciti fuerunt Monachi, qui id muneris quotidie fungerentur. Seculo VII. atque VIII. in Verodunensi, atque Altissiodorensi Ecclesiis id obtinuit. Romæ vero ab Pelagio P. Cassinates Monachi evocati fuere, uti in Lateranensi Ecclesia quotidie psallerent, ex Lib. II. Dialog. Greg. Papæ.*

tio seculo non est, quod de quotidianis religiosis conventibus dubitemus, qui posterioribus ætatibus plerumque *cætus antelucani*, & *vigiliæ*, & *horæ nocturnæ* vocantur, eo quod ante lucis ortum celebrari consueverint.

XIV. Quod vero ad preces vespertinas attinet, Cyprianus meminit *Nonæ* Orationis horæ, & Tertulliano *Convocationes nocturnæ* memorantur. Verum non desunt viri docti, qui *Nonam* Cypriani ad privatas Fidelium preces, & convocationes nocturnas Tertulliani ad matutinas preces referant; id quod verosimile est (25). At vero ipse Cyprianus indicat Eucharistiam in Africanis Ecclesiis etiam vespere tempore victus accipi consuevisse; id quod & de quibusdam Ægyptiis regionibus refert Socrates (26): ex quo proculdubio argumentum profluit de vespertinis precibus Seculo tertio. Verum Auctor Constitutionum (27) omnium manifestissime matutini simul, ac vespertini officii ordinem nobis exhibet; & Concilium Laodicenum *Can. XIX.* æque de precibus vespertinis, ac de iis, quæ ad horam nonam fiant, loquitur; tum eandem Liturgiam in utrisque servari jubet. Vespertinæ preces Græcis λυχναψία *lucernarium*, latinis *missa vespertina*, & *sacrificium vespertinum* dictæ sunt. Atque hæc duo tempora matutinum, & vespertinum præcipua erant quotidiani antiqui ministerii tempora.

§. VIII. *De Ordine Quotidiani Officii Matutini.*

XV. Matutini Officii Ordo cum Psalmo inchoabatur LXII. qui auctori Constitutionum *Psalmus Matutinus* ψαλμὸς ὀρθρινὸς vocatur (28); id quoque testantur Chrysostomus, Athanasius, & Cassianus; ac præsertim Chrysostomus (29) pluribus demonstrat quam aptum fuerit, & opportunum ejusmodi psalmo matutinum officium exordiri. Tum continuo sequebantur preces pro catechumenis, energumenis, competentibus, & pœnitentibus, quæ partim Diaconi indictione, partim Episcopi super illos invocatione fiebant. His diversis hominum ordinibus dimissis statim preces fidelium succedebant pro pace mundi, pro regibus, pro magistratibus, ceterisque hominum ordinibus: atque hæ preces universales, quamvis nulla Eucharistiæ consecratio fieret, in matutino cujuscumque diei officio fundebantur (30); ita Auctor Constitutionum. Id quod etiam indicant diserta Origenis, Athe-

(25) *Cypriani locus, quem ad privatas Fidelium preces post Medium refert Auctor, exstat in Lib.* de Orat. Domin. Quando a septima *Nona* completur, per ternas horas trinitas perfecta numeratur: quæ horarum spatia jampridem spiritualiter determinantes adoratores, statutis, & legitimis ad precem temporibus servabant.

(26) *Socrat. Lib. V. Cap.* 22. Sed Ægyptii, qui Alexandrinis vicini sunt, & ii, qui Thebaidem incolunt, Sabbato quidem collectas celebrant: Sed tamen, sicut mos est Christianorum, sacra Mysteria percipiunt. Postquam enim epulati sunt, & omni ciborum genere saturati, sub vesperam oblatione facta communicant. *Ægypti ergo accolæ mane quidem coibant, totumque officium matutinum exequebantur, at Sacrificio sub vesperam pransi operam dabant.*

(27) *Constit. Lib. VIII. Cap.* 35. Cum fuerit Vespera, congregabis Ecclesiam, o Episcope, & postquam dictus fuerit Psalmus lucernalis, recitabit Diaconus orationes pro Catechumenis, Hyemantibus, Competentibus, & Pœnitentibus &c.

(28) *Constit. Lib. VIII. Cap.* 33. Similem in modum mane, cum dictus fuerit psalmus matutinus &c. *Psalmum vero, quem hic tacent, indicatum reperies Lib. II. Cap.* 59. Singulis diebus congregemini mane, & vespere psallentes. & orantes in Ædibus Dominicis, mane quidem dicentes psalmum sexagesimum secundum: Vespere vero centesimum quadragesimum.

(29) *Athan. Epist. ad Marcellinam, Cassianus Instit. Lib. III. Cap.* 3. *Chrysost. Comment. in Psalm.* CXL. Accendit in Deum desiderium, & animum excitat, & postquam valde inflammavit, & magna replevit lætitia, & caritate ita permittit accedere. Videamus autem, undenam incipiat, & quid nos doceat: *Deus Deus meus &c. Sic in Sancto apparui tibi.*

(30) *Chrysostomus id perspicue indicat, quotidie scilicet mane, vespereque convenisse Fideles matutino officio vacaturos, licet Aliturgicus esset dies, quod & paulo ante Not. 24. adnotavi. Exponens enim illud Pauli Apost.* 1. *ad Tim.* Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes &c. *Hom. VI. hæc habet*: Quid sibi vult quod ait, primum omnium? In officio scilicet quotidiano, perpetuoque

Athenagoræ, Cypriani, Tertull. Dionysii Alexandr. (31) aliorumque veterum testimonia.

XVI. Precibus pro universis hominum generibus finitis tria sequebantur: nimirum 1. brevis quædam a Diacono indicta precatio, qua Fideles Deo per præsentem diem se servandos commendabant.

2. Precatio Episcopi, qua simul Deo de plurimis hominibus collatis beneficiis gratias agebat; quæque εὐχαριστία ὀρθρινὴ *Gratiarum actio matutina* dicta est.

3. Episcopi manuum impositio, sive benedictio, postquam Diaconus omnes capita inclinare jussisset, quæque χειροθεσία ὀρθρινὴ *Impositio manuum*, sive *benedictio matutina* in Constitutionibus *Lib. VIII. Cap. XXXIX.* dicitur. Tandem Diaconus populum usitata verborum formula προέλθετε ἐν εἰρήνῃ *Exite in pace* dimittebat. Isthæc verba Chrysostomo etiam memorantur (32), ceu formula in dimittenda qualibet congregatione Ecclesiastica adhiberi solita. Idem Constitutionum Auctor alio in loco (33) hymnum angelicum memorat sub nomine προσευχῆς ἑωθινῆς *precationis matutinæ*: utrum vero publice, an privatim recitandus fuerit, non significat: probabilius tamen privato cultui destinatus erat, cum inter multas alias privatas orationes illum collocet. Athanasius (34) quoque eundem virginibus commendat, in privatis etiam precibus

que divinæ Religionis ritu; atque id noverunt Fideles, quomodo diebus singulis mane, & vespere orationes fundantur ad Dominum, quomodo pro omni Mundo, & Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt positi, obsecrationes ab Ecclesia fiant. *Ergo per Chrysostomum tam si vespere, quam si mane coirent Fideles, orabant pro Catechumenis, Regibus, aliisque, licet forte is dies Liturgia, i. e. Missa careret. Id moris tamen non ad omnes penitus Ecclesias prolatum. Nam diversum quiddam apud Alexandrinos obtinuisse comperio.* Præterea, *inquit Socrates Lib. V. Cap.* 22. Alexandriæ quarta feria, & ea quæ dicitur Parasceve, leguntur Sacræ Scripturæ, easque Doctores interpretantur: Et cuncta fiunt quæ ad Collectam pertinent præter Mysteriorum celebrationes. *Inde igitur statuas Alexandrinos minime singulis quibusque diebus convenisse, atque officio matutino vacasse, contra quam quod Constantinopoli obtinuisse audivimus ex Chrysostomo.*

(31) *Orig. contra Celsum. Cyprian. ad Demetriadem. Athenagoras Legat. pro Christianis. Tertull. ad Scap. Cap.* 2. Sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius, sed quomodo præcepit Deus pura prece. *Dionysius Alexandrinus sic Æmiliano Præsidi attestabatur: apud Euseb. Lib. VIII. Cap.* 11. Nos unum Dominum, omnium rerum opificem, qui Valeriano, & Gallieno Sacratissimis imperatoribus imperium tradidit, colimus, & adoramus. Huic continuas preces offerimus pro imperio illorum, ut stabile, & inconcussum permaneat.

(32) *Chrysostom. Hom. LII. in eos, qui Pascha jejunant*: Diaconus ab hoc conventu vos dimittens, hoc verbis precatur dicens: discedite in pace, προέλθετε ἐν εἰρήνῃ.

(33) *Constit. Lib. VII. Cap.* 47. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas. Laudamus te, hymnis celebramus te, benedicimus te, glorificamus te, per magnum Pontificem, te verum Deum, ingenitum unum, solum inaccessum; propter magnam gloriam tuam: Domine rex cælestis, Deus Pater omnipotens. Domine Deus pater Christi Agni immaculati, qui tollit peccatum Mundi. Suscipe deprecationem nostram, qui sedes super Cherubinos, quoniam tu solus Sanctus. Tu solus Dominus Jesus, Christus Dei universæ naturæ creatæ, regis nostri. Per illum tibi gloria, honor & adoratio.

(34) *Athan. de Virgin.* Matutina hora hunc dicite Psalmum: Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Sub diluculum vero: Benedicite omnia opera Domini Domino. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, & in hominibus bene placitum. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te. *Ne quod vero tibi negotium facessat, quod hic videt Hymnum Angelicum integrum paulo ab eo, quem modo ad manus habemus, diversum ab Auctore Constitutionum, tum ab Athanasio describi, cum nos contra* Not. 11. *Cap. VII. p.* 51. *statuerimus cum IV. seculo antiquiorem non esse. Nam ad Auctorem Constitutionum quod spectat, sat dubia est, incertaque ejus antiquitas. Petrus enim Lebrun Tom. II. Liturgiarum eam, quæ Lib. VIII. describitur, Liturgiam intra annum CCCCLXX., & annum CCCCXC. rejicit. At si quis nostræ etiam conjecturæ locus datur, hunc Angelicum Hymnum, cujus meminere Constitutiones Libro VII. forte posteriorem præ se ætatem ferre arbitror. Siquidem hic Hymnus Libri VII. diversus est, & longior Hymno item Angelico, quem descriptum invenio Lib. VIII. Cap.* 13. *Postquam enim Episcopus populo ait* Ἅγια τοῖς Ἁγίοις Sancta Sanctis, *Populus respondet*: Unus Sanctus, unus Dominus, unus Jesus Christus, in gloriam Dei Patris; benedictus in secula. Amen. Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Hosanna Filio Davidis. Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, & apparuit nobis: Hosanna in altissimis.

cibus recitandum. Verum Chrysostomus *Hom. LXIX.* de eo loquitur, ut quotidie in precibus matutinis ab Ascetis sui temporis *choro constituto* recitari solito. Et Mabillonius *De Cursu Gallicano* observat ex regulis Cæsarii Arelatensis, & Aureliani Seculo VI. ineunte, quod ibi diebus paschalibus, singulis dominicis, & majoribus anni festivitatibus in matutinis laudibus cani præcipiatur.

§. IX. *Num Psalmi, & Lectiones recitatæ fuerint in matutinis cujusque diei precibus.*

XVII. Apud Auctorem Constitutionum nulla statuitur regula de psalmis, & lectionibus in matutinis precibus adhibendis: At Cassianus *Instit. Lib. III. Cap.* 3. tum tres psalmos memorat in unoquoque conventu per omnes diei horas canonicas lectos, tum & psalmos in matutino conventu usitatos adnotat, speciatim Psalmum LXII. & LXXXIX. (35). Adhæc ibidem observat, quod ætate sua in omnibus per Italiam Ecclesiis consummatis matutinalibus hymnis quinquagesimus Psalmus cani solitus fuerit. Denique Auctore Basilio (36) in multis Orientalibus Ecclesiis Vigiliæ, sive nocturnæ psalmodiæ illucescente jam die consummatæ sunt Psalmo confessionis, qui, ut alibi perspicue tradit, nonnisi quinquagesimus est. Postremo Cassianus (37) ipse de matutinis precibus, ceu de novella solemnitate loquens scribit: *Nihil a Senioribus nostris, qui eandem matutinam solemnitatem addi debere censuerunt, de antiqua psalmorum consuetudine immutatum, sed eodem modo Missam, quo prius in nocturnis conventibus, celebratam. Etenim hymnos, quos in hac regione ad matutinam excepere solemnitatem, in fine nocturnarum vigiliarum, quas post gallorum cantum ante auroram finire solent, similiter hodieque decantant, idest psalmum CXLVIII. & reliquos qui sequuntur. L. vero psalmum, & LXII. & LXXXIX. huic novellæ solemnitati novimus fuisse deputatos.* Igitur de psalmodia æque in nocturnis, ac in matutinis conventibus usitata nihil est cur dubitemus. Quod vero Auctor Constitutionum ejus non meminerit, illud fortasse in caussa fuit, quod varia esset hac in re Ecclesiarum consuetudo; id quod ex eo quoque constat, quod Ægyptii Cassiani *Lib. III. Instit. Cap.* 2. ætate nullum adhuc matutinum officium admiserint a nocturnis vigiliis distinctum, antiquum morem servantes, quo matutini conventus iidem erant cum antelucanis, sive nocturnis.

§. X. *De Primæva Nocturnorum, sive Antelucanorum Conventuum Origine.*

XVIII. At vero persecutionum temporibus, quum Christiani ad cultum divinum publice convenire metuerent, conventus suos noctu habere cogebantur. Hinc Plinius *Ep. CXLVIII. Lib.* X. ad Trajanum ex ore quorundam apostatarum de Christianis accepisse scribit, *quod stato die ante lucem convenire soliti fuit*. Tum Paganus ille apud Minucium Felicem *Lib. de Idololatr. Vanitate*, de Fidelibus hæc habet: *Nocturnis congregationibus... fœderantur. Latebrosa, & lucifuga natio, in publicum muta, in angulis garrula. Occultis,*

tissimis. *Hymnus igitur Angelicus libri octavi, qui brevior est, si quadringentesimum septuagesimum annum non præcessit, profecto hic in septimo libro relatus, utpote longior posterius ævum sapit. Athanasii vero liber* de Virginitate *jampridem, ceu suppositititius oboluit præter Erasmum, & Sculterum Heterodoxos, Dupinio in Bibliotb. Script. Eccl., & Patribus Benedict. Præf. ad Tom. II. Athanasii Operum, uti etiam in Præf. Operum S. Hilarii num. XXI. Sane vero plura inibi legat mirum quantum ab genio, ævo, gravitateque Athanasii abhorrentia.*

(35) *Ibid. Cap. VI.* Quinquagesimum vero Psalmum, & sexagesimum secundum, & octogesimum nonum huic novellæ solemnitati novimus fuisse deputatos.

(36) *Basil. Epist. LXII. ad Neocæsar.* Illucescente jam die pariter omnes velut ore uno, ac corde uno Confessionis Psalmum Deo offerunt. *Intellige per Confessionis Psalmum Psal. Pœnitentialem*: Miserere mei Deus.

(37) *Cassian. Institut. Lib. III. Cap.* 6.

cultis, & nocturnis sacris apposita suspicio. Idem ex Origene, Tertull., Prudentio (38), aliisque pariter constat.

XIX. Jam vero licet necessitas primam hisce nocturnis conventibus originem dederit; Ecclesia tamen in sequentibus seculis eos continuare consultum duxit, & quidem non modo die dominica, verum & reliquis hebdomadis diebus: tum ad fovendum orationis spiritum in Ascetis, tum ad præbendum ceteris quoque laicis hominibus opportunum devotionis tempus, tum denique ad præmuniendos filios suos contra tentationem, & imposturas Arianorum, qui psalmos in istiusmodi conventibus cantantes hæresim suam amplificare summo studio satagebant, uti ex iis adparet, quæ de ipsis memorant Socrates, & Sozomenus (39), & de Theodorico Rege Gothorum Sidonius Apollinaris, *Lib. I. Ep.* 2. Unde Christiani Episcopi prædictas ob rationes nocturnos conventus non modo continuabant, verum & maximopere in suis sermonibus commendabant. Ac præsertim Chrysostomus viduas, ac virgines laudat, quod noctu, & interdiu Ecclesiam frequentent, psallantque (40). Et alibi *Hom. IV. De verbis Isaiæ*, loquens de Antiochiæ urbis magnificentia: *Ecclesiam*, scribit, *ingredere, ut civitatis videas claritudinem. Ingreditor, inquam, vide pauperes a medio noctis usque ad lucem perseverantes, vide sacra pervigilia noctem cum die copulantia*. Observante Socrate *Lib. VI. Cap.* 7. Chrysostomus nocturnos conventus eo consilio amplificare studebat, ut Arianorum circa hanc rem studium obscuraret. Similia reperies apud Hieronymum, Epiphanium, Hilarium, Augustinum &c.

§. XI. *Ordo Matutini officii ex S. Basilio, & Cassiano.*

XX. Ordinem antelucani, sive matutini officii potissimum ex Auctore Constitutionum hactenus descripsimus; juvat paucis referre, quidnam in nocturnis conventibus peragendum S. Basilius præscribat. Jam vero S. Basilius in *Epistola LXIII.* ad Neocæsareenses, dum suæ ipsius Ecclesiæ ordinem defendit adversus nonnullos, qui nomine immutatorum rituum eum detulerant, licet verbis generalioribus, attamen planum illorum ordinem describit. At 1. peccatorum confessionem præscribit. 2. Psalmos alternatim cantatos. 3. Psalmos ab uno solo cantatos. 4. Preces Psalmis intermixtas. 5. denique communem psalmum Confessionis, sive Psalmum L. clausulæ loco dictum (41). Confessio, quæ primo loco præscribitur, a plerisque viris doctis pro publica confessione accipitur simili ei, quam in Liturgiæ nostræ initio habemus: verum non desunt, qui privatam potius confessio-

(38) *Orig. Contra Celsum Lib. I. Cap.* 4. Primum criminationis caput Celso est, a Christianis clancularios Conventus haberi solere legibus vetitos. *Tertull. ad Uxorem Lib. II. Cap. 4. ac de Coron. Milit. Cap.* 3. Eucharistiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam Antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus. *Prudent. Hymn. II. de S. Laurentio.*

Argenteis Scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos Cereos.

(39) *Socrat. Lib. VII. Cap. 8. Sozom. Lib. VIII. Cap.* 8. Quum Ariani, quibus, regnante Theodosio, ademtæ fuerant Ecclesiæ Constantinopoli, extra Urbis mœnia conventus ecclesiasticos agerent, noctu in publicis porticibus primum congregabantur. Et in cœtus divini Antiphoniam psallebant, clausulas quasdam juxta ipsorum dogma compositas adjicientes. Prima autem luce, eadem publice canentes pergebant ad loca, in quibus collectas celebrabant.... Joannes (*Chrysostomus*) veritus, ne quis ex Ecclesia sua per hæc in fraudem induceretur, plebem, quæ sub ipso erat, ut similiter psalleret, invitavit.

(40) *Chrysostom. Homil. XXX. In 1. Corinth.* Ipsæ autem (*Virgines ac Viduæ*), noctu, & interdiu psallunt, & adsunt.

(41) *Juvat hic integrum Basilii locum appingere ex Epistola LXIII. ad Neocæsar.* Qui jam inter

fessionem fuisse existiment eandem, ac illam, quæ in Syn. Laodicena *precatio silentio facienda* (42) dicitur.

XXI. Quisnam psalmorum, & precationum numerus in nocturnis conventibus obtinuerit, a Basilio speciatim non est notatum: neque fortassis certo numero eos concluserunt; sed tot recitarunt, quot psalmorum longitudo, vel tempus postulabat; verum illud officium in Ecclesiis Ægyptiis ad duodecim psalmos est redactum; unde aliæ postea Ecclesiæ exemplum petivere. Id ex Cassiano *Lib. II. Cap.* 2. discimus, qui postquam diversarum regionum typos, ac regulas descripsit, apud quas alii vicenos, alii quinquagenos, alii sexagenos, nonnulli etiam plures recitabant psalmos, statim subnectit, *easdem melius edoctas numerum duodecim psalmorum tam in vespertinis quam matutinis congregationibus custodiri debere decrevisse, singulis psalmis interponentes precationes*, addentesque duas lectiones, alteram ex veteri Testamento, ex novo alteram: & hanc quotidianam eorum fuisse consuetudinem excepto die Sabbati, & Dominico, ubi utrasque lectiones de novo recitarint testamento, unam de Epistolis S. Pauli, vel actis Apostolorum, alteram de Euangelio: quod etiam omnibus quinquaginta diebus inter Pascha, & Pentecosten fecerint.

§. XII. *De diversa apud Veteres psallendi ratione ex eodem Cassiano.*

XXII. Neque minus vero discrepatum ab veteribus in instituenda Psalmodia. Ac fuisse quidem etiam antiquitus alternis psallendi rationem, ambigendum non est, ita quidem, ut Choro uni unum Psalmi versiculum præcinenti alter Chorus alterum cantans succineret. Ceterum, teste Cassiano (43) tam in Galliis, quam per Ægyptum mos invaluit, ut uni Psalmos canenti linguis ceteri faverent. Ac in Galliis quidem, Psalmo finito, populus succlamabat una voce: *Gloria Patri, & Filio & Spiritui Sancto*. Verum in Ægypto aliter se res habuit. Nam uno tantum Psalmos cantante clara elataque voce, singuli animis aderant, & unoquoque Psalmo finito, privata cujusque oratio sequebatur. Atque id quidem moris apud omnes ferme orientales obtinuisse tradit ibidem Cassianus. Tantum ad ultimi, seu duodecimi Psalmi finem dicta antiphona Alleluja, Trinitatis glorificationem addebant Ægyptii.

XXIII. Porro Ægyptios quod attinet, duo etiam memoratu digna occurrunt. 1. Solum eum, qui Psalmos caneret, alta voce, in pedes surrexisse, cum ceteri sederent subselliis quamvis demississimis. Quod eo consilio factum dicit Cassianus

ter nos obtinuerunt ritus omnibus Ecclesiis Dei concordes sunt, & consoni. De nocte siquidem populus consurgens antelucano tempore domum Precationis petit, inque labore, & tribulatione, & lacrymis indesinentibus, facta ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes ad psalmodiam traducuntur. Et nunc quidem in duas partes divisi alternis succinentes psallunt, atque ex eo simul eloquiorum Dei exercitationem, ac meditationem corroborant, & cordibus suis attentionem, &, rejectis vanis cogitationibus, mentis soliditatem suppeditant. Deinde uni ex ipsis hoc muneris dato, ut quid canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt: Atque ita psalmodiæ varietate, precibusque subinde intermixtis noctem superant. Illucescente jam die pariter omnes, velut ore uno, ac corde uno Confessionis psalmum Domino offerunt, ac suis quisque verbis pœnitentiam profitentur.

(42) *Concil. Laodic. Can. XIX.* Cum ii (*Catechumeni, & Pœnitentes*) sub manum accesserint, & secesserint, fidelium preces sic ter fieri: Unam quidem, scilicet primam sub silentio, διὰ σιωπῆς.

(43) *Cassian. Lib. II. Cap.* 8. Illud etiam, quod in hac provincia (*Gallia*) vidimus, ut uno cantante, in clausula psalmi omnes adstantes concinant cum clamore, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, nusquam per omnem Orientem audivimus; sed cum omnium silentio ab eo qui cantat, finito Psalmo, orationem succedere. Hanc vero glorificationem Trinitatis tantummodo solere Antiphonam terminare.

nus (44), quod nocturnis vigiliis, ac laboribus defatigati, verendum erat, ne duodecim illis psalmis stantes recitandis impares essent. 2. Duodenarium hunc Matutinorum Psalmorum numerum ita ab iis divisum fuisse, ut si duo essent Fratres, senos quisque recitaret, si tres, quaternos quisque, si quatuor, ternos: adeo ut quantacumque multitudo matutino officio recitando convenisset, non ultra, quam quatuor Fratres ex his delecti alterna vice Psalmos canerent. Videsis Cassianum ibidem (45).

§. XIII. *De Ordine Quotidiani Officii Vespertini.*

XXIV. Officium Vespertinum *Horæ lucernalis* dictum in plerisque partibus idem cum matutino erat officio, in hoc solum ab eo discrepans, quod psalmi, hymni ac preces in eo dicerentur isti solemnitati magis accommodatæ. Hinc preces pro Catechumenis, Energumenis, competentibus, & pœnitentibus omnes eædem erant: uti quoque preces pro fidelibus, pro pace mundi, pro universo Ecclesiæ Catholicæ statu &c. Jam discrepabant 1. quod sicuti Officio Matutino psalmus LXIII. initium dabat, ita Officium vespertinum a Psalmo CXL. (46) exordium sumebat. Hunc psalmum Auctor Constitutionum *Lib. VIII. Cap.* 31. emphatice vocat ἐπιλύχνιον ψαλμὸν *psalmum lucernalem*; & Chrysostomus pluribus explicat, quam apte vespertino officio addictis fuerit recitandus (47). 2. Post preces etiam mane recitari solitas Populus indicente Diacono orare jubebatur certa verborum formula ad vesperam accommodata, quæ ab Auctore Constit. *Ibidem Cap. XXXVI.* προσφώνησις ἐπιλύχνιος *Precatio lucernalis* dicitur (48); hanc sequebatur Episcopi precatio, quæ *Gratiarum actio lucernalis* εὐχαριστία ἐπιλύχνιος (49) ibidem dicitur. Dein Diaconus

(44) *Idem Cap.* 11. Hunc canonicum, quem prædiximus, duodenarium psalmorum numerum tali corporis quiete relevant, ut has easdem Congregationum solemnitates ex more celebrantes, absque eo, qui dicturus in medium psalmos surrexerit, cuncti sedilibus humillimis insidentes ad vocem psallentis omni cordis intentione dependeant. Ita namque jejuniis, & operatione totius diei noctisque adsuescunt, ut nisi hujuscemodi refectionis adjuventur, ne hunc quidem numerum stantes implere valeant.

(45) *Ibidem sub finem.* Prædictum duodenarium psalmorum numerum ita dividunt, ut si duo fuerint Fratres, senos psallant; si tres, quaternos; si quatuor, ternos. Quo numero nunquam minus in congregatione decantant, ac proinde quantalibet multitudo convenerit, nunquam amplius psallent in Synaxi, quam quatuor Fratres.

(46) *Hic Psalmus CXL. ut est in Vulgata*: Domine, *inquit*, clamavi ad Te, exaudi me: intende voci meæ, dum clamarem ad Te. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum &c.

(47) *Chrysost. Homil. in Psalm. CXL. Tom. III.* Patres, *inquit*, tanquam salutare aliquod Pharmacum, & peccatorum piaculum, ut is psalmus diceretur, constituerunt: Ut quæcumque sordes, aut maculæ fuerint a nobis toto die susceptæ, dum vel in foro, vel domi, vel in quocumque alio loco versamur, eas, cum ad vesperam pervenerimus, per spirituale hoc carmen abstergamus. Est enim medicamentum, quod delet hæc omnia.

(48) *Constitut. Lib. VIII. Cap.* 36. Surgentes postulemus misericordias Domini, atque miserationes ejus, Angelum paci præpositum, bona, & conducibilia, finem vitæ Christianum; vesperam noctemque pacatam, ac peccato vacuam, cunctumque vitæ nostræ tempus irreprehensum postulemus. Nos ipsos viventi Deo per Christum ejus commendemus. *In hac prece id διὰ βραχέων observa, Angelum scilicet pacis exoratum iri ab Fidelibus, atque ab his usque temporibus religiosum sanctorum Angelorum cultum stabiliri conjicias. Id quod adhucdum servat Ecclesia in Completorio, quod fere antiquæ vespertinæ horæ successit.*

(49) *Ibid. Cap. XXXVII.* Deus principii expers, ac fine carens, omnium per Christum opifex, & rector, ante cuncta vero illius Deus ac Pater Spiritus Dominus, & eorum, quæ intelligi, ac sentiri possunt, Rex, qui fecisti diem ad opera lucis, & noctem ad requiem infirmitatis nostræ: Tuus enim est Dies, & tua est Nox: Tu aptasti lucem, & solem. Ipse, & nunc, Domine, hominum amator, ac optime, suscipe clementer hanc nostram gratiarum actionem vespertinam. Qui traduxisti nos per diei longitudinem, & duxisti ad noctis initia, custodi nos per Chri-

conus proclamabat *Inclinate ad manuum impositionem*, & Episcopus populo benedicebat peculiari quadam formula (50); & sic tandem Diaconus usitata forma populum dimittebat προέλθετε ἐν εἰρήνῃ *Exite in pace*. Hactenus dicta ex Auctore Constitutionum constant, qui & alibi hymni vespertini meminit, quem προσευχὴν ἑσπερινὴν *Orationem vespertinam* vocat, tum ipsius formulam exhibet aliquantum similem Doxologiæ, quæ in precibus matutinis occurrit (51). Ejusdem hymni mentio quoque occurrit apud Basilium (52); & apud vetusta quædam exemplaria Psalterii Græci non prorsus absimilis quædam vespertini hymni formula occurrit, quam in sua de Symbolis Diatriba refert Usserius (53).

XXV. Illud hic quæri posset, num Psalmi, & Scripturarum Lectiones in vespertino officio recitari consueverint. Atqui non est dubium, quin in multis Ecclesiis sic obtinuerit. Fortasse, quia consuetudo Ecclesiarum hac in re variavit, ideo illorum non meminit Auctor Constitutionum; alii autem auctores id faciunt; ac præsertim Cassianus (54), qui expresse psalmos, preces, & lectiones æque in matutino, ac in vespertino officio recitari consuevisse affirmat; id quod Hieronymus *Epist. XXII. ad Eustochium*, etiam testatur; & ex Epiphanio, Augustino, & Hilario illud quoque perspicuum est ejusmodi praxim non modo in monasteriis, sed & in publicis Ecclesiasticis fidelium conventibus obtinuisse: & præsertim Hilarius *in Psal. LXIV.* in illa verba Psalmistæ *exitus matutini, & vespere delectabis* scribit. *Progressus Ecclesiæ in matutinorum, & vespertinorum hymnorum delectationis maximum misericordiæ Dei signum est. Dies in orationibus Dei inchoatur, Dies hymnis Dei clauditur.*

Christum tuum: Tranquillam præbe vesperam, & noctem peccato liberam: Atque nos vita æterna dignare per Christum tuum, per quem tibi gloria, honor, ac veneratio in Sancto Spiritu in secula. Amen. *Vides hic Deum Patrem Spiritus Sancti Dominum dici. Sunt qui hunc Auctorem inde excusent, quod similes locutiones & in Justino Martyre reperiant, quod docet doctissimus Bullus. Ceterum vix fieri potest, quin eum Macedonianam impietatem redolere non credas. Iis enim scribebat temporibus, quibus gliscentibus jam, lateque grassantibus in Spiritum Sanctum hæresibus cautius Patres loquebantur. Quare nihil aliud hic dicas, quam quod Epiphanius: has nempe Constitutiones, jampridem impiæ Hæreticorum manu depravari, corrumpique cœptas.*

(50) *Ibidem*: Deus Patrum, ac Domine misericordiæ, qui sapientia tua fabricatus es hominem animal ratione præditum maxime ex his, quæ in terra sunt, coram Deo, & tribuisti ei, ut imperaret rebus terrestribus. Quique voluntate tua Principes, ac Sacerdotes constituisti: Illos quidem ad vitæ securitatem, hos vero ad legitimum cultum: Ipse nunc etiam inflectere, Domine Omnipotens, & ostende faciem tuam super populum tuum, eos, qui cervicem cordis sui incurvarunt, & benedic eis per Christum, per quem illustrasti nos lumine cognitionis, ac revelasti nobis Te ipsum; cum quo ab omni rationali, & sancta natura debetur tibi adoratio condigna, & Spiritui Paracleto in secula. Amen.

(51) *Constitut. Lib. VII. Cap.* 48. Laudate Pueri Dominum: Laudate nomen Domini. Laudamus te, hymnis celebramus Te, benedicimus propter magnam gloriam tuam. Domine rex Pater Christi Agni Immaculati, qui tollit peccatum mundi. Te decet laus, Te decet gloria Deum, & Patrem, per Filium in Spiritu Sanctissimo in secula seculorum. Amen. *Tum addit Canticum Simeonis* Lucæ II. Nunc dimittis servum tuum &c.

(52) *Basil De Spir. S. Cap.* 21., *ubi hunc ipsum Hymnum ἐπιλύχνιον εὐχαριστίαν* Gratiarum actionem ad lucernas *vocat*: Quis autem, *inquit*, fuerit Auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione ad lucernas, dicere non possumus. Populus tamen antiquam profert vocem, neque cuiquam unquam visi sunt impietatem committere, qui dicunt: *Laudamus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum Dei.*

(53) *Hunc tamen Hymnum Usserius in cit. Diatriba ἐπιλύχνιον ψαλμὸν* lucernalem Psalmum *esse dicit in Constitutionibus Apost.* Lib. VIII. Cap. 35. *memoratum. At psalmus ille Davidis est, ut adnotavi superius: Hic vero Ecclesiasticus, ut patet.*

(54) *Cassian. Institut. Lib. II. Cap.* 6. Exin Venerabilis Patrum Senatus . . . decrevit hunc numerum (*duodenarium psalmorum*) tum in vespertinis, quam in nocturnis conventiculis custodiri, quibus lectiones geminas adjungentes, idest unam veteris, & aliam novi Testamenti &c.

§. XIV. *Utrique hi conventus Matutini, & Vespertini magna populi frequentia celebrati.*

XXVI. Inter Orientales solemnem hunc morem fuisse, ut populus frequens accurreret antelucanis cœtibus, tradit *Basil. Epist. LXIII. ad Neocæs.*: *De nocte siquidem*, inquit, *populus consurgens antelucano tempore domum precationis petit*. De occidentalibus vero testem habemus Sidonium Appollinarem *Lib. I. Epist.* 11. ubi ait Theodoricum Gothorum regem Arianis suis vesificaturum antelucanos eorum cœtus frequentasse, licet *minimo comitatu* in comparatione scilicet Catholicorum, qui frequentissimi aderant. Idem quoque disertissimis verbis tradit Cassianus (55), Christianos ceteris curis domesticis sepositis nocturno tempore velut insequentis diei primitias Deo obtulisse. Porro id de vespertinis etiam Conventibus intelligas. Multo enim id facilius erat, cum nec nocturno tempore consurgendum erat. Atque ad id kine respexit *Chrysost. Hom. XVIII. in Acta*: *Quanta res est abire, & ingredi in Domum Dei, Matutinis, vespertinisque hymnis interesse*. Quæ quidem exempla majorum nostrorum utinam in præsentia elanguidam pene Fidelium pietatem excitent aliquando, ut psallentibus Sacerdotibus, aut Monachis non semel per magnæ hebdomadæ dies, ut fit, sed reliquis etiam per annum diebus interesse velint!

§. XIV. *De Origine horarum Canonicarum.*

XXVII. Reliqua est adhuc quæstio de horis Canonicis Prima, Tertia, Sexta, Nona, & Completorio; quarum profecto nulla vestigia in tribus prioribus seculis inveniuntur. Licet enim Tertull. *de Jejun. cap.* 3. & Cyprianus *de Orat. Domin.* tertiam, sextam, & nonam memorent; nullus tamen eorum has horas publicis Ecclesiasticis conventibus fixas fuisse scripserunt: unde valde probabilis illorum videtur sententia, qui in Ecclesiam cum vita demum monastica introductas existimant; præsertim quum Cassianus pia earundem exercitia describens, quomodo gradatim ortæ sint, commemoret. Primos enim ex monachis Ægyptiis præter antelucanas, & vespertinas congregationes nullas canonicas horas habuisse scribit (56); quum reliquum diei spatium operationi manuum impenderint, privatam Scripturarum meditationem, psalmos, preces, & orationes labori per singula momenta miscentes. Non multo post monasteria Mesopotamiæ, ac Palæstinæ consuetudinem publice conveniendi hora tertia, sexta, & nona ad cantandos psalmos, & preces faciendas introduxerunt (57); nondum vero prima in usu erat, quæ in monasterio Bethlehemitico primum cœpit; quod inde ad alia propagatum, non vero in omnibus receptum fuit. Completorium, uti distinctum ab officio vespertino, veteribus prorsus fuit incognitum, uti pluribus adversus Bellarmi-

(55) *Cassian. Collat. Lib. II. Cap.* 11. Hoc devotionis genus multi etiam secularium summa cautione custodiunt, qui ante lucem, vel diluculo consurgentes, nequaquam familiaribus, ac necessariis mundi hujus actibus se implicant, priusquam cunctorum actuum suorum operationumque primitias ad Ecclesiam concurrentes divino audeant consecrari conspectui.

(56) *Cassian. Instit. Lib. III. Cap.* 2. Apud illos hæc officia, quæ Domino solvere per distinctiones horarum, & temporis intervalla cum admonitione compulsoris adigimur, per totum diei spatium jugiter cum operis adjectione spontanea celebrantur. Ita namque ab eis incessanter operatio manuum privatim per cellulas exercetur, ut psalmorum quoque, vel ceterarum Scripturarum meditatio nunquam penitus omittatur. Cui preces, & orationes per singula momenta miscentes, in his officiis, quæ nos statuto tempore celebramus, totum diei tempus absumunt. Quamobrem exceptis vespertinis horis, ac nocturnis Congregationibus nulla apud eos per diem publica solemnitas absque die Sabbati, vel Dominica celebratur.

(57) *Idem Lib. III. Cap.* 3. In Palestinæ vel Mesopotamiæ Monasteriis, ac totius Orientis supradictarum horarum solemnitates trinis psalmis quotidie finiuntur.

laminum demonstrat Cardin. Bona *De Psalm. Cap. XI. §. 1. n. 2.*

XXVIII. Igitur licet jam inde ab primis Ecclesiæ Seculis Fideles hora potissimum tertia, sexta, & nona, ceu statis precationum temporibus, privatim orare consueverint; nondum tamen his horis publici in Ecclesia conventus agebantur; præsertim quum Epiphanius, & Chrysostomus matutini, at vespertini Ecclesiastici ministerii quamsæpissime meminerint, nunquam vero illas canonicas horas memorent; nisi duntaxat cum de monachis, eorumque institutis loquuntur; quod & faciunt Hieronymus, Basilius, Greg. Nyssenus, aliique IV. Seculi Scriptores (58); ut adeo dubitandum non sit easdem gradatim in Ecclesiam fuisse invectas, suamque originem monasteriorum Orientalium regulis debere. Tantummodo Chrysostomus *Hom. IV. De Anna* de tribus diei horis ad publicos conventus constitutis loquitur; verum præter matutinam, & vespertinam quænam alia fuerit non indicat; fortasse hora Nona Constantinopoli jam in usu esse cœperat; introducit enim hominem secularem sic conquerentem: *Qui fieri possit, ut homo secularis forensibus negotiis adstrictus tribus horis diei precetur, & in Ecclesiam currat*, cui respondet: *licet ad Ecclesiam currere non sit commodum, posse inibi in foro, curiæque vestibulo hærentem nihilominus precari &c.* Mabillonius *De Cursu Gallicano* ex Gregorio Turonensi demonstrat sextam, & nonam horas in Ecclesias Gallicanas fuisse invectas sexto circiter ineunte Seculo; tum quoque circa idem tempus in Ecclesiis Hispanicis obtinuisse ex Isidoro Hispalensi colligimus. Jam vero in Oriente saltem in quibusdam Ecclesiis jam inde ab IV. Seculo in usu fuisse ex eo probatur, quod Auctor Constitutionum præter matutinum officium, & vespertinum de horis Prima, Tertia, Sexta, & Nona expresse loquatur, tum earundem horarum mysteria explicet; ejus verba vide inferne (59).

§. XVI. *Quænam divini cultus partes hisce horis canonicis ab Ecclesia constitutæ fuissent.*

XXIX. In Monasteriis Mesopotamiæ, & Palæstinæ, ubi primum in usu fuere, earum solemnitates trinis psalmis cum quibusdam precationibus quotidie finiebantur. Verum Ecclesia hasce, similesve monasticas regulas non sequebatur, & quidem ea potissimum de caussa, quod officia monastica alia ab aliis admodum essent diversa, nec semper satis considerate electa (60). Hinc in quodam Turonensis Concilii Canone plane peculiaris ordo præscriptus legitur, ut numerus psalmorum, hymnorum, & antiphonarum pro mensium diversitate variaret; uti e. g. mense Septembri septem antiphonæ, ac duo psalmi: mense Octobri.

(58) *Observatione dignum, sane est, memoratos supra Patres cum horarum Canonicarum meminere, unos usque Monachos respexisse. Quare vero per tria ferme, aut etiam plura illa Ecclesiæ secula, solorum id Monachorum proprium fuerit, neque unquam Clericos his recitandis adegerint Episcopi, hanc fuisse caussam puto, quod, cum viderent Clericos suos tot, iisque laboriosissimis partium suarum muneribus distentos, minus æquum credebant eos iis præterea horis persolvendis addicere sic, ut per septem in quaque die vices convenirent. Hinc factum, ut in plerisque Ecclesiis Monachi, quorum, teste Hieronymo, non docendi, sed orandi plangendique officium erat, acciperentur in Urbes, qui eas publice decantarent. Quod de Ecclesia Romana adnotatum a me fuit supra.*

(59) *Constit. Lib. VIII. Cap. 34.* Precationes facite mane, & tertia hora, ac sexta, & nona, & vespere, atque in gallicinio. Mane gratias agentes, quod Dominus abducta nocte, & inducto die illuminavit nos. Tertia hora, quoniam in ea Dominus sententiam damnationis excepit a Pilato. Sexta, quod in ea crucifixus est. Nona, quia cuncta, crucifixo Domino, commota sunt ... Vespere, gratias agentes quod nobis noctem dederit laborum diurnorum requietem. In gallorum cantu, eo quod illa hora nunciet adventum diei, ad facienda opera lucis.

(60) *Conc. Bracar. I. Can. 19.* Placuit omnibus communi consensu, ut unus atque idem psallendi ordo in matutinis, vel vespertinis officiis teneatur, & non diversæ ac privatæ monasteriorum consuetudines contra Ecclesiasticas regulas sint permixtæ.

bri octo antiphonæ, & tres psalmi &c. (61).

XXX. Verum ad horas canonicas speciatim quod spectat, Prima dicebatur *Officium matutinum novum*, ut distinguerent a matutino officio veteri, quod semper tempore antelucano celebrabatur: quum contra hoc novum exorta jam luce semper initium caperet. Hæc functio matutina, uti ante vidimus, in monasterio Bethlehemitico primum instituta fuit, unde frequenter Cassiano vocatur *novella Solemnitas*, utpote recens inventa; atque id omnino in caussa fuit, cur in plerisque Scriptoribus ante Cassianum nulla hujus Primæ mentio occurrat. Ubi vero Hora Canonica facta est, tunc tres huic novæ solemnitati psalmi adsignati sunt; nimirum L. LXII. LXXXIX. uti scribit Cassianus. Lib. III. Cap. 6. (62).

XXXI. Proxima post Primam erat Hora Tertia precationi addicta, vel quod in ea Christus sententiam damnationis exceperit a Pilato, vel in memoriam Doni Spiritus Sancti, quod circiter hanc horam Apostolis datum fuit. Hanc horam omnes memorant, qui quidquam de horis canonicis memoriæ prodiderunt; verum num ulli peculiares psalmi huic officio præscripti fuerint, nemo narrat: Cassianus vero tantummodo generatim dicit tres psalmos cum precibus cuilibet horæ fuisse adsignatos. Jam vero omnibus diebus festis hæc solemnitas prætermittebatur, eo quod in ipsis sacræ eucharistiæ fieret celebratio, quæ hac ipsa hora inchoabatur.

XXXII. Proxima erat Hora sexta, qua hora perhibente Basilio (63) Psalmus nonagesimus recitabatur; quo fideles orabant, ut ab incursu, & dæmonio meridiano liberarentur. Verum quibusnam præterea psalmis usi sint, Basilius non memorat, nec Cassianus: fortasse quidam ejusmodi psalmi fuere, qui ad Christi mortem respicerent; quum inter omnes constiterit hoc officium in commemorationem immaculati sacrificii, quod Servator noster Patri hac hora obtulit, fuisse institutum.

XXXIII. Ultima erat Hora Nona; quo tempore Christus in cruce exspiravit, & per mortem suam de morte, & inferno triumphavit. Hac hora Centurioni Cornelio per Angelum viæ salutis patefactæ sunt; qua itidem hora Petrus, & Joannes ascenderunt in templum *ad horam Orationis nonam*; quæ erat solemne tempus sacrificii vespertini judaici; unde

(61) *Conci. Turon. II. Can. 19.* Iste ordo psallendi servetur, ut in diebus festivis ad matutinum sex Antiphonæ binis psalmis explicentur. Toto Augusto manicationes fiant, quia festivitates sunt, & missæ. Septembri septem antiphonæ explicentur binis psalmis. Octobri octo ternis psalmis. Novembri novem ternis psalmis. Decembri ternis psalmis. Januario, & Februario ibidem usque ad Pascha. *Manicationes in hoc Canone ne perhorrescas. Barbari enim dicebant manicare, cum matutinum officium recitaturi temporius solito in Ecclesiis conveniebant: proindeque summo mane surgendum erat. Ergo* Manicare *idem, ac de nocte surgere, deducto ab τῷ* Mane *vocabulo. Aimonius Lib. III. Histor. Franc. Cap. 81.* Porro toto Augusto, propter crebras Festivitates, Manicationes fiebant. *Manicare*, aut mane surgere dicitur. *Vide etiam* Vitam S. Attractæ Virg. Hiberniæ. *Hinc Processionale vetus MS.* B. M. Deauratæ Tolos. *apud Cangium.* Summo mane, *inquit*, pulsatur prima, videlicet Manicantius solito; & pulsata &c. *id est maturius solito. Alias ab τῷ* Mane *barbaras voces id ipsum significantes videsis apud laudatum Dufresnium. Celerius vero surgebant, quod per id temporis, Augustum scilicet, frequentiores erant Sanctorum celebritates, Missæque solemnes, ac publicæ; proindeque ut & officii matutini recitationi, & Missarum solemnitati tempus suppeteret de nocte surgebant.*

(62) *Cassian. Institut. Lib. III. Cap. 6.* Quinquagesimum vero psalmum, & sexagesimum secundum, & octogesimum nonum huic novellæ solemnitati novimus fuisse deputatos. *Habes ergo hic Psalmos ad primam olim recitatos; nempe L.* Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. *LXII.* Deus Deus meus ad Te de luce vigilo. *Et XCIX.* Deus refugium factus est nobis a generatione in generationem.

(63) *Basil. Regul. major. Quæst. XXXVII.* Porro sexta hora Sanctorum exemplo necessariam esse orationem judicavimus apud quos est: *Vespere & mane, & meridie narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* In qua quidem, ut liberemur ab incursu, & Dæmonio meridiano, nonagesimus etiam psalmus recitetur.

unde Ecclesia hanc horam præ reliquis hactenus descriptis solemnem publicarum precum tempus esse voluit: de qua loquens Chrysostomus: *Sæpe namque*, ait, *de hac hora dixi vobis, in ipsa Paradisum fuisse reseratum, & latronem ingressum: in ipsa sublatum est maledictum, in ipsa terrarum victima est oblata*. Unde probabile est unam ex pervulgatis tribus horis fuisse, quas ut omnes homines frequentent, uti modo observavimus, adhortatur: præsertim quum Synodus Laodicena expresse horæ nonæ meminerit, atque adeo idem ministerium in ea fieri jubeat, quod in vespertinis precibus (64). Verum num hoc Laodiceni Concilii decretum generaliter per omnes Ecclesias servatum fuerit non liquet; fortasse communiori Ecclesiarum consuetudine a reliquis horis parum discrepabat; quum Cassianus, ubi Tertiæ, Sextæ, & Nonæ meminit, has horas trinis psalmis quotidie finiri generatim scribat.

§. XVII. *De Completorio*.

XXXIV. Illud jam adnotatum memini §. XIII. Completorium, uti distinctum a vespertinis precibus, omnibus prorsus veteribus fuisse incognitum. Licet enim non desint ex antiquis, qui de oratione in fine diei facienda loquantur; id tamen vel de vespertino officio intelligendum est, vel de peculiari quadam precatione privatim peragenda. Primus Completorii Institutor S. Benedictus videtur fuisse, quum horam vesperarum sic temperavit, ut subsequens cibi refectio luce diei adhuc clarescente sumeretur; ac ne Monachi sumpto cibo fabulis, otioque vacarent, præcepit, ut audita prius spirituali lectione tribus Psalmis sine antiphona completorium persolverent, acceptaque Prælati benedictione recta cubitum irent. Brevis illa lectio, quæ hodie completorium antecedit, illam procul dubio repræsentat, quam Psalmis præmitti jussit Benedictus *Cap. XLII. Reg.* (65). Habes igitur Completorii originem, ac ipsi adsignatas preces.

XXXV. Jam vero cur Completorium dictum sit quæri posset; profecto hoc nomine donatum est, vel quod diei cursus, nostræque servitutis pensum hac hora completur, uti post Bedam notat Jodocus Clichtoveus *Lib. II. Elucid. Ecclesiast. Cap. De horis Canonic.* vel quod in illo esus, potus, locutio, & alia ad corporis substentationem necessaria complentur, & consumuntur, ut putant Amalarius Fortunatus, Hugo Victorinus, ac ipse S. Benedictus (*66*).

XXXVI. Tandem hujusce horæ haud una mystica significatio est. Hoc enim tempore 1. Abrahamus accepta super stellarum numerum futuræ propaginis repromissione foras egressus est præscriptum a Domino sacrificium oblaturus.

2. Christus pridie mortis suæ ad hortum exiit post cœnam, ubi prolixius orans factus est tristis usque ad mortem, atque sanguineus sudor æstuantis animæ indicium per omnes corporis artus erumpens terram perfudit.

3. Hac etiam hora Christi corpus e cruce depositum in monumento positum est non corruptioni obnoxium, sed ad immortalitatem surrecturum. Recte igitur

(64) *Conc. Laodic. Can. XVIII.*

(65) *Lectio brevis autem Benedictina Completorio præfigi solita non e Scripturis, sed aut ex Collationibus Cassiani, aut e Vitis Sanctorum Patrum decerpebatur. Hinc Smaragdus Abbas ex his Patrum Vitis librum confecit* Diadema Monachorum *inscriptum, unde in singulos ferme totius anni dies breves lectiones iidem haurirent Monachi. Ergo per ea tempora Completorium ab iis modo verbis exordiebatur.* Deus in adjutorium meum intende &c. *neque, uti nunc, eidem Lectionem brevem e Scripturis, & Confessionem præmittebant. Tum demum vero hæ accessiones ad Completorium factæ sunt, cum desierunt Clerici in Ecclesiam convenire ad Vespertinas Collationes. Nam ante id tempus post vesperas Lectio prolixior sequebatur more nocturnorum, tum publica Peccatorum confessio. Vide regulam* Can. Cap. CXXI. *Atque id quidem ad primæ Ecclesiæ disciplinam magis accedere videtur, cum Antiqui vespertinum officium non secus, ac matutinum peccatorum confessione terminarint, uti dictum antea est ex Basilio* Epistola LXIII. ad Neocæsar.

(66) *Amalar. Lib. IV. Cap. 8. Hugo Victor. in Specul. Cap. 3. Adde etiam Bedam Lib. de Medit. Pass. Christi per septem horas, ac Sanctum Benedict. loc. cit.*

tur postremæ huic diei horæ peculiaris est addicta precatio, *ut omnia corporis membra, omnes sensus, & potentiæ soli Deo, qui non dormit, neque dormitat, committantur, donec somno refectis artubus, obserata nocturno silentio oris claustra janitor labiorum nostrorum ad annunciandas ejus laudes in nocturnis officiis aperiret*. Ita pius, & doctus Card. Bona *Divinæ Psalmodiæ Cap. XI. §. I. & II.*

CAPUT X.

De Psalmodia, et Hymnodia in Missa Catechumenorum antiquitus in Ecclesia servata.

§. I. *Quonam ordine Psalmi in Missa Catechumenorum cani consueverint*.

I. Jam supra observatum nobis est Missam Catechumenorum præcipue Psalmodiam, scripturarum lectionem, verbi divini prædicationem, & preces pro catechumenis, energumenis, & pœnitentibus fuisse complexam. Præstat modo sub hisce diversis capitibus eam considerare. Igitur hoc officium cum psalmodia inchoabatur; ita Hier., Cassianus, aliique (1). Tantummodo Auctor Constitutionum (2) primum veteris testamenti lectionem præscribit; deinde psalmodiam, ac postea Actuum Apostolorum, & Epistolarum, ac denique Euangeliorum recitationem. Basilius de Confessione flexis genibus ad Deum fieri solita loquitur, a qua surgentes ad psalmodiam traducantur. At vero hæc confessio in vigiliis, sive precibus antelucanis facta est; uti ipse Basilius *Epist. LXIII.* indicat, quum scribat. *De nocte populus consurgens antelucano tempore &c.* & fortasse privata duntaxat erat confessio, quam per se quisque cum silentio facere solebat, antequam publicus cultus initium caperet: *Inque labore*, sequitur Basilius, *& tribulatione, ac lacrymis indesinentibus facta ad Deum confessione tandem ab oratione surgentes ad psalmodiam traducantur*. Quinimmo ex Chrysostomo, & ex Augustino populus sine intermissione psalmis cantandis vacabat, donec congregatione completa, & omnino coacta Scripturarum lectio inciperet.

II. Jam vero Psalmi, in quibusdam saltem Ecclesiis, non ita indesinenter recitari consueverunt; ut nulla alia divini cultus pars interjiceretur: namque & Synodus Laodicena præcepit: *Can. XVII. Non oportere psalmos in conventibus contexere, sed &c. in unoquoque psalmo interjecto spatio lectionem fieri*; & Augustinus haud semel idem indicat, præsertim ubi scribit *Serm. X. de Verbis Apost. Hoc de Apostolica lectione percepimus: deinde cantavimus psalmum.... post hæc Euangelica lectio decem leprosos mundatos nobis ostendit, & unum ex his alienigenam gratias agentem mundatori suo*. Eandem praxim in Ecclesiis Gallicanis obtinuisse aperte probat collatio inter Catholicos, & Arianos tempore Gundobaldi Regis Burgundionum ad annum 499. instituta (3); uti observavit Mabillo-

(1) *Hieronym. Epist. XXII. ad Eustoch. Cap. 15. Cassian. Institut. Lib. II. Cap. 6.* Quibus (*psalmis*) lectiones geminas adjungentes, idest unam veteris, & aliam novi Testamenti.

(2) *Constitut. Lib. II. Cap. 57.* Medius autem Lector in quodam loco excelso stans legat libros Mosis, & Jesu Filii Navis, Judicum, & Regnorum, item Paralipomenon, & quæ de Populi reditu conscripta sunt: Ad hæc Job, & Salomonis volumina, simulque sexdecim Prophetarum. Peractisque per binos lectionibus, quidam alius Davidis Hymnos psallat, & populus extrema versuum succinat. Dein acta nostra recitentur, & Epistolæ Pauli &c.

(3) *Collat. Ap. Mabillon. De Cursu Gallicano pag. 399.* Evenit, ut ea nocte, cum Lector secundum morem inciperet lectionem a Moyse, incidit in ea verba Domini: *Sed ego indurabo cor*

billonius in Cursu Gallicano. Verum, Canone Laodiceno excepto, Augustinus, & prædicta collatio demonstrant quidem varias Scripturarum lectiones psalmis fuisse interceptas; haud vero continuam multorum psalmorum seriem Scripturarum lectioni non præcessisse, præsertim quum ipse Augustinus exponat quam utilis, salutaris, ac sancta populi christiani sit exercitatio reliquum ab lectione, concione, & oratione tempus in Ecclesia psalmis cantandis impendere. Illi vero psalmi, qui variis Scripturarum lectionibus permiscebantur peculiari nomine Responsoria, & Psalmi responsorii vocitabantur; eo quod Lectionibus responderent, utpote quibus finitis statim canerentur. Vide *Rupert. de Offic. lib. 1. cap. 2.* (4)

III. Psalmi quidem in communi, & ordinaria liturgia eo lectionis ordine canebantur, quo alius alium in codice excipiebat nulla temporum, vel lectionum habita ratione. Verum ab generali hac regula excipias 1. Psalmos quosdam certis aliquibus officiis partibus adfixos: uti Ps. LXIII. *Deus Deus meus ad te &c.* qui semper in Officio matutino cani consuevit; Psalmus CXLI. *Domine clamavi ad te*, in vespertino officio cantatus; Psalmi administrationi Sacræ Eucharistiæ, & officiis funeralibus congruentes.

2. Psalmos peculiaribus, ac præcipuis anni Solemnitatibus adsignatos; uti *Deus meus, Deus, meus, quare me dereliquisti &c.* qui ex Augustino saltem in Ecclesiis Africanis die Dominicæ Passionis lectitatus (5). *Hæc est dies, quam fecit Dominus &c.* in Solemnitate Paschatis firmiter recitari solitus.

3. Aliquando Episcopus Diacono, vel Lectori mandabat, ut hunc, vel illum Psalmum legeret occasione quadam sic exigente; ita Athanasius narrat mandasse se Diacono, ut Psalmum legeret XXXVI. quum Ecclesia sua ab Arianis militibus obsideretur (6); & Augustinus *in Psalm. CXXXVII.* de singulari quodam psalmo loquitur, quem jusserat a Lectore cantari sermonem in eum habiturus. Atque hinc colligimus Episcopos pro lubitu suo vel a Psalmis, vel ab alia quacumque Sacrarum Scripturarum lectione sermones suos habendi occasionem arripuisse (7).

§. II. *De varia Psalmos cantandi ratione.*

IV. Tandem quadruplici potissimum modo

cor ejus. Deinde cum post psalmos decantatos recitaret ex Prophetis, occurrerunt verba Domini ad Esaiam dicentis: *Vade, & dices Populo huic: Audite audientes &c.* Cumque adhuc psalmi fuissent decantati, & legeret ex Euangelio, incidit in verba quibus Salvator exprobrat Judæis incredulitatem: *Væ tibi Chorozain &c.* Denique cum lectio fieret ex Apostolo, pronuntiata sunt verba illa: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?*

(4) *Quandoque etiam cujusque Psalmi recitationem privata adstantium preces excipiebant. Quod quoniam ad §. XIII., quem supplevimus, monuimus, restat, ut quare id fecerint adnotemus. Malebant quippe vocali Scripturarum lectioni internas animi preces prævertere, ut ita, & frequentius Deum adprecarentur, & lassitudini canentium consultum irent, cum identidem post unumquemque Psalmum quiescerent tantisper sola mente Deum oraturi. Præstat Cassiani verba proferre Lib. II. Cap. 10.* Utilius censet, *inquit*, breves quidem orationes, sed creberrimas fieri; illud quidem, ut frequentius Deum deprecantes jugiter eidem cohærere possimus; hæc vero, ut insidiantis diaboli jacula, quæ infligere nobis tunc præcipue, quum oramus, insistit, succincta brevitate teneremus.

(5) *August. in Psal. XXI. Præf. Serm. II.* Miror, Fratres, si hodie Psalmus iste (*Deus Deus meus &c.*) legitur & in parte Donati: Rogo vos, Fratres mei, confitear vobis; novit Christi misericordia, quia si miror, quasi lapidei ibi sint, & non audiant .... Legamus illum.

(6) *Athan. Apol. II.* In Throno sedens jussit Diacono, ut Psalmum legeret, populoque, ut responderet: Quoniam in secula misericordia ejus.

(7) *Non pigeat hic diversam Orientalis, atque Occidentalis Ecclesiæ praxim in Psalmorum clausulis attingere. Occidens enim Ecclesia ubique ferme ad unumquemque Psalmum succinebat Doxologiam* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. *Illud tamen disputatum quandoque inter eos video, quibus ea Doxologia verbis efferretur, licet de ejusdem recitationis constanti, universaque praxi*

varia-

modo Psalmi antiquitus in Ecclesia a fidelibus cani consuevere. 1. Uno cantante reliquis cum silentio audientibus. Prior hic modus Cassiano notatur tanquam communis monasteriorum per Ægyptum consuetudo, qua monachorum singuli singulos per orbem psalmos canebant, reliquis cum silentio animadvertentibus ad ultimum usque psalmum, quem omnes cantabant junctim ad modum antiphonæ addentes in fine *Gloria Patri* &c. (8).

2. Interdum ab universa congregatione conjunctim uno ore cantati sunt. Hæc antiquissima pariter, & generalis consuetudo fuit, usque dum ratio cantandi alternatim in Ecclesiam inveheretur. Hinc Chrysostomus *Hom. XXXVI.* tempora Apostolica cum suis comparans: *Olim*, inquit, *omnes in unum congregati communi voce cantabant; quod & nos hodie facimus*. Et Augustinus (9) aliquoties de psalmis conjuncta omnium voce cantatis loquitur. Altera isthæc ratio cantandi psalmos proprie *Symphonia* dicebatur.

V. 3. Plerunque alternatim, nimirum congregatione in duas partes divisa, saltem ab medio Seculo quarto, cantari consuevere. Hęc psallendi ratio communiter *Antiphona*, & *Responsoria* dicta est. Constat id ex noto illo Jambico Nazianzeni *Carm. XVIII.* σύμφωνον ἀντίφωνον ἀγγέλων στάσιν, *Cernis ne Angelorum chorum, qui nunc simul, nunc vicibus alternis canunt*. Et Ambrosius *Hexamer. Lib. III. cap.* 5. Ecclesiam cum mari comparans ait: *Responsoriis Psalmorum, cantu virorum, mulierum, virginum, parvulorum consonans undarum fragor resultat*. Augustinus *Conf. Lib. 9. cap. 7.* eandem quoque psallendi rationem memorat, ejusque originem in Ecclesia Occidentali non aliius, quam a tempore Ambrosii repetit; quod & Paulinus Ambrosii vitæ Scriptor (10) confirmat.; tum uterque sub-

variatum sit nunquam. Hinc quod quidem dicerent: Gloria Patri &c. *vetuerunt id Toletani Patres Can. XIV.* In recitatione Psalmorum, *inquiunt*, non sicut a quibusdam huc usque, Gloria Patri, sed Gloria, & honor Patri dicatur &c. *Immo tanta apud Occidentales ejus Hymni religio fuit, ut non solum ad Psalmorum finem, sed singulis etiam Psalmi commatibus nonnulli recitandum censuerint, quod testatur Strabo* de Reb. Eccles. Cap. XXV. *Atqui secus se res habuit in Oriente. Cassianus quippe Institut.* Lib. II. Cap. 8. *clare testatur, se nusquem per Orientem, quem tum totum peragraverat, Trinitatis Doxologiam cuique Psalmo appingi solitam audivisse, sed tantum ad finem ultimi Psalmi Matutini, quem Ægypti* Antiphonam *seu* Alleluia *vocitabant, quod ex iis Davidis Psalmis desumebatur, qui præfixum haberent Alleluia. Locus Cassiani videsis in sequenti Nota.*

(8) *Cassian. Institut. Lib. II. Cap.* 8. Illud etiam, quod in hoc Provincia (*Gallia*) vidimus, ut uno cantante in clausula psalmi omnes adstantes concinant cum clamore *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S.*, nusquam per omnem Orientem audivimus, sed cum omnium silentio ab eo, qui cantat, psalmo finito, orationem succedere. Hanc vero Glorificationem Trinitatis tantummodo solere Antiphonam terminare. *Antiphona hic est Psalmus postremus matutini officii, quem etiam Alleluia appellatum fuisse diximus.*

(9) *Augustin. De verbo Apost. Serm. X.* Cantavimus Psalmum exhortantes nos invicem una voce, uno corde dicentes: Venite, adoremus &c.

(10) *Paul. Vit. Ambrof. pag.* 4. Hoc in tempore Antiphonæ, Hymni, & Vigiliæ in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt. *Antiphonas hic cantus Psalmorum alternos intellige. Græce enim* Ἀντίφωνος *est* contrarium sonum, *aut* vocem edens. Ἀντίφωνοι Χορδαὶ *apud Aristotelem sunt, teste Gaza*, Chordæ obsonæ. *Et Hesychius* Ἀντίφωνα ἐναντιόφωνα contrarium vocem edens. *Hinc factum, ut Græci veteres* Ἀντίφωνον *dicerent concentum illum Ecclesiasticum, cum alternis vocibus singula quæque Davidicorum Psalmorum commata canerent. Socrat.* Lib. VI. Hist. Eccl. Cap. 8. Narrandum vero etiam est, unde nata sit consuetudo in Ecclesia Hymnos cantandi antiphonos. κατὰ τοὺς ἀντιφώνους ὕμνους. *i. e. alternatim. Tum paulo post ait Ignatium Martyrem Angelos vidisse, qui* διὰ τῶν ἀντιφώνων ὕμνων antiphonis hymnis *Sanctam Triadem collaudabant. Jam vero ab Græcis deducto ad Occidentales per Ambrosium more alternis Psalmos Davidicos canendi, vox quoque Antiphona ad eos pervasit, qua hunc ritum significarent, quod facit hic Paulinus in Vit. ejusdem Ambrosii, & paulo clarius Radulphus Proposit. XII.* Ambrosius ritum Antiphonarum in Ecclesia canendarum primus a Græcis transtulit ad Latinos. *Veruntamen sequutis temporibus Antiphonarum* signi-

subnectit ab Ecclesiæ Mediolanensis, ubi primum obtinuit; exemplo per omnes Occidentales Ecclesias fuisse disseminatam.

VI. Quod vero ad Ecclesiam Orientalem spectat prima rei, qua de agitur, initia haud certo constant. Namque ex Theodoreto Antiochiæ primum imperante Constantio auctoribus Flaviano, & Diodoro ortum habuit. At contra Socrates ejus originem ad tempora Ignatii M. refert (11). Socratem hic errore lapsum esse putat Valesius. Card. Bona *De Divin. Psalm. Cap. XVI.* §. *X. n.* 1. Theodoretum de psalmis Davidicis tantum, Socratem vero de hymnis in usum Ecclesiæ compositis intelligendum autumat. Sed probabilius Pagius (12) censet Flavianum, & Diodorum isthanc psallendi rationem lingua græca Antiochiæ introduxisse; siquidem jampridem ante Flavianum ibidem lingua Syriaca cani consueverit: uti ex Theodoro Mopsuesteno demonstrat; id quod & Valesius confirmat *ibidem*. Quidquid vero sit de prima psalmos alternatim canendi origine, certum tamen est ab Flaviani tempore per breve temporis intervallum generalem totius Ecclesiæ consuetudinem evasisse: uti constat ex Chrysostomo, Basilio, & Socrate, quodque etiam obtinuisse per Ecclesiam Occidentalem ex mox productis Ambrosio, Augustino, Paulino, aliisque quarti Seculi Scriptoribus perquam manifestum est.

VII. Tandem ea ratione psalmi aliquando cantabantur, ut unus aliquis primam versiculi partem recitaret, alteram populus, qui se Præcentori, ea ætate *Phonasco* dicto, in clausula jungebatur; illud Græcis ὑπηχεῖν, & ὑπακούειν, latinis vero *succinere* dicebatur. Isthæc canendi ratio, auctore Basilio (13), sæpius in eodem officio cum alterna psalmodia varietatis gratia adhibebatur. Illud certum est eam rationem Alexandriæ tempore Athanasii obtinuisse. Nam & ipse, & omnes historici, qui post eum historiam narrant, loquentes de ejus fuga ex Ecclesia ab Arianis militibus obsessa, dicunt ipsum Diacono mandasse, ut psalmum recitaret, populo autem, ut succineret, *Quoniam in secula misericordia ejus*, & sic in media psallentium turba incolumem evasisse. Ejusdem praxeos meminere quoque Auctor Constitutionum, Chrysosto-

M 2 mus,

significationem in diversa abiisse certum est. Nam Antiphonæ tum nihil aliud erant, quam Eclogæ quædam, seu Collectiones præcipuorum versuum a Psalmis item decerptorum, qui Psalmo unicuique præfigebantur, quod aut ejus sensum veluti in antecessum aperirent, aut sollemnitatis, quæ ea die occurrebat, mysteriis magis quadrarent, uti sunt nunc quidem Romana Breviaria. Has Antiphonas Concilii Turonensis II. Patribus anno DLXX. cognitas fuisse putat Dufresnius ex Can. XVII. *Sed & harum etiam apud Græcos vestigia Germanus Constantinopolitanus Hist. Eccl. pag.* 144. Antiphonæ, *inquit*, sunt Prophetarum de Christo prædictiones. Τὰ ἀντίφωνά εἰσι τῶν προφητῶν αἱ προῤῥήσεις. *Has vero ab Dominica Nova ad Kalendas Decembris, tum in Duodecaemero, ac per reliqua Festa Dominica recitabant. Vide Typicum Sabæ.*

(11) *Socrat. Lib. VI. Eccl. Cap.* 8. Ignatius .... vidit aliquando Angelos Hymnis alternatim decantatis sanctam Trinitatem celebrantes, & canendi rationem, quam in illa visione animadterat, Ecclesiæ Antiochensi tradidit. Unde ista traditio ad omnes postea Ecclesias permeavit.

(12) *Pagius Critic. in Baron. anno* CCCC. *num. X.* Ea Psalmodiæ species jam ante Flavianum, & Diodorum a Syria videtur usurpata. Scribit enim Theodorus (*Mopsuestenus*) Flavianum, ac Diodorum primos omnium eam Psalmodiæ speciem, quas Antiphonas vocant, ex Syrorum lingua in græcam transtulisse, & omnium prope solos hujus rei Auctores cunctis orbis partibus apparuisse. Quod igitur Syri diu ante Flavianum præstiterant, Psalmos Davidicos antiphonatim canentes, id Flavianus, ac Diodorus a Græcis Antiochensibus, psalmos græce canentibus, fieri instituerint.

(13) *Basil. Epist. LXIII. ad Neocæsar.* Nunc quidem in duas partes divisi alternis succinentes psallunt ... deinde uni ex ipsis id muneris datur, ut quod canendum est, prius ordiatur, reliqui succinant; οἱ λοιποὶ ὑπηχῶσι. *Hic vero observes hoc quod latini* Succinere *dicimus, Græcos Patres Basilium, Athanasium, Chrysostomum, aliosque per τὰ ὑπακούειν, aut ὑπηχεῖν exprimere quam frequentissime: ex quo & frequentissimum ejus Psalmodiæ usum conjicias. Ad hæc inter eosdem qui clericus id muneris fungebatur, ut initia versuum præcineret,* Ὑποβολεὺς *dicebatur, ut inter Latinos* Præcentor, *seu* Phonascus, *cujus meminit Sidon. Apoll. lib. IV. Carm. II.* Psalmorum hic modulator, & Phonascus.

mus, Augustinus, aliique (14). Hæc psalmodiæ species aliquando dicta est τὰ ἀκροστίχια ὑποψάλλειν *extrema versuum succinere*; uti quoque ὑπόψαλμα διάψαλμα, ἀκροτελεύτιον, & ἐφύμνιον; quæ omnia idem significant.

VIII. Illud hic ad rem facit, nimirum Augustinum *ex Retract. Lib. I. Cap.* 20. Psalmum quendam adversus Donatistas composuisse ad imitationem Psalmi CXVIII. in tot partes secundum ordinem litterarum usque ad litteram U divisum (unde tales Psalmi Abecedarii dicti sunt) unaquaque parte suum, ut ipse vocat, habente hypopsalma, sive responsionem, quæ in cujuslibet partis clausula repeti debebat his quidem verbis concepta: *Omnes qui gaudetis de pace, modo verum judicate;* haud secus ac *Gloria Patri* hodie in uniuscujusque etiam partis Psalmi CXVIII. clausula recitatur. Quo intuitu ipsa Doxologia *Gloria Patri* &c. nonnullis vetustis Scriptoribus vocatur *Hypopsalma*, *epoda*, & *acroteleutia*. Sic Sozomenus *Lib. VIII. Cap.* 8. de Arianorum psalmodia loquens scribit: *In cœtus divisi antiphonatim psallebant* ἀκροτελεύτια *clausulas quasdam juxta ipsorum dogma compositas adjicientes* (15).

IX. Ex dictis perquam manifestum est, populum generatim partem habuisse in veteris Ecclesiæ psalmodia. Atqui *Canon XV.* Concilii Laodiceni præscribit *non oportere præter canonicos Cantores, qui suggestum adscendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Ecclesia.* Verum isthæc regula nullum unquam in praxi Ecclesiæ locum obtinuit: fortassis temporaria fuit, ac tantum provisio quædam eo tantum spectans, ut antiqua psalmodia quodammodo corrupta ad pristinam perfectionem revivisceret.

§. III. *Psalmodia semper a stantibus, & plano simplicique cantu antiquitus peracta.*

X. Generalem fuisse veteris Ecclesiæ praxim, ut Psalmi a stantibus canerentur, patet tum ex Augustino (16), qui de psalmodia loquitur, ceu de actu, quem populus in Ecclesia *Stans* perfecerit; tum etiam ex Cassiano *Instit. Lib. II. Cap.* 12., qui de Monachis Ægyptiis tanquam de exceptione ab generali, scribit, quod *ob jejunia, ac totius diei operationem humillimis sedilibus insidentes ad vocem psallentis, qui in medio stans solus cantabat, reliqui omni cordis intentione dependerint.* Ad clausulam vero ultimi psalmi omnes surgentes cum clamore concinuerint: *Gloria Patri* &c.

XI. Quod vero ad cantum spectat, valde simplex, & planus erat cum modico, gratoque vocis flexu non multum a lectione discrepans. Hunc Alexandrinæ Ecclesiæ tempore Athanasii morem fuisse testatur Augustinus (17); qui & eandem communem Ecclesiarum Africanarum

(14) *Constitut. Apost. Lib. II. Cap. VII.* Peractis per binos Lectionibus, quidam alius Davidis Psalmos psallat, & populus extrema versuum succinat, τὰ ἀκροστίχια ὑποψαλλέτω. *Chrysost. Hom. XXXVI. in I. ad Cor.* Qui psallit, solus psallit, etsi omnes respondendo resonent ὑπηχοῦσιν. *Vide etiam Augustini Psalmum Abecedarium contra partem Donati, & Retract. Lib. I. C.* 20.

(15) *Vigebat contra eadem & inter Catholicos consuetudo, ut adversus gliscentes hæreses aut Psalmos integros suopte ingenio scriberent, ecclesiisque canendos traderent, aut* ἀκροτελεύτια *clausulas quasdam appingerent Psalmis, quibus hæreticum dogma præstringerent. Fecit id Augustinus, ut supra dictum est, fecere Patres alii, fecit & Ecclesia Antiochensis, cum lypsana S. Bayla M. & Episcopi Daphne Antiochiam transferrent. Tum enim, teste Sozom. Lib. V. Cap.* 19. Præcinebant, ceteris ii, qui psalmos apprime callebant, multitudo deinde respondebat: *Confusi sunt omnes, qui adorant Sculptilia, qui gloriantur in simulacris. Dictum id volebant in Julianum Imperatorem, qui per id tempus in Ecclesiam sæviebat.*

(16) *Augustin. Serm. III. in Psalm.* 36. Certe verum est, quod cantavi, certe verum est, quod in Ecclesia tam devota voce personui.

(17) *Augustin. Confess. Lib. X. Cap.* 33. Tutius mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare Lectorem

narùm rationem fuisse alibi indicat, ubi Donatistis respondet, qui Catholicos, quod sobrie *psallerent*, reprehendebant. Verum artificialis, & melica vocis modulatio, si moderate, sobrieque fieret, in cantu permissa. Hinc Augustinus (18), qui morem Ecclesiæ Alexandrinæ commendat, aliam istam artificiosius institutam canendi rationem non rejicit; quin & laudat, tanquam ad ciendos pios adfectus utilem, si cum liquida, & convenientissima modulatione instituatur; seque lacrimas fudisse scribit, quum in primordiis conversionis suæ in Ecclesia Ambrosii sic cantari audivisset. Atque hinc licet colligere isthanc cantandi rationem potissimum in Italicis Ecclesiis obtinuisse.

XII. Duæ autem corruptelæ hac in re vituperatæ: 1. mollities, & vana curiositas in canendo ad imitationem musicæ theatralis. Hinc Chrysostomus (19) de nonnullis conqueritur, qui theatrali strepitu, & gesticulatione in suis precibus, & hymnis uterentur; & Hier. *In Ephes. V.* in verba Apostoli: *Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino*, scribit: *Audiant hæc adolescentuli, audiant, quibus psallendi in Ecclesia officium est: Deo non voce, sed corde psallendum, nec in tragœdiam guttur, & fauces dulci medicamine colliniendæ, ut in Ecclesia moduli Theatrales audiantur, & Cantica, sed in timore, in opera, in scientia scripturarum: Quamvis sit aliquis, ut illi solent appellare, κακόφωνος, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantus est.*

2. Ne major aurium oblectationis ratio haberetur, quam elevationis adfectuum ad Deum; quæ tamen unica ratio est, ad quam psalmodia, & musica instituta. Hinc Hier. ibid. *sic cantet servus Christi, ut non vox canentis, sed verba placeant, quæ leguntur*; & Augustinus *Conf. Lib. X. Cap.* 33. de seipso scribit, quod aliquando amplius a cantu, quam a re, quæ canebatur, motus sit; tum subnectit: *pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem*. Quod si verum est magni Augustini effatum, quam non *pœnaliter* peccatur quotidie in Christianis Ecclesiis!

§. IV. *De Minore Doxologia* Gloria Patri, & Filio *&c.*

XIII. De minore hac Doxologia primo notandum occurrit, quod antiquissima ejus forma isthæc tantummodo fuerit: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. in secula seculorum. Amen.* Id de Ecclesiis Orientalibus potissimum testantur Athanasius (20), & Strabo, qui expresse de Græcis testatur (21), quod omitterent illud in medio: *Sicut erat in principio*; quod tamen Latini addebant. Verum Hispanos excipias, qui medio Seculo VII. verba omittentes *Sicut erat in principio*,

ctorem Psalmos, ut pronuncianti vicinior esset, quam canenti. *Idem etiam moris fuisse & inter Afros tradit Epist. CXIX. ad Januar. Cap.* 18. Pleraque in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt, ita, ut Donatistæ nos reprehendant, quod sobrie psallimus.

(18) *Præclarum hoc Augustini judicium habemus ex Lib. Confess. X. Cap.* 33. Verumtamen cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ, in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipse commoveor non cantu, sed rebus, quæ cantantur cum liquida voce, & convenienti modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis, & experimentum salubritatis, magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, ut per oblectamentum aurium infirmior animus in affectum pietatis adsurgat.

(19) *Chrysost. Hom. I. De Verbis Isaiæ.*

(20) *Athan. vel quisquis est Auctor Libri de Virgin. qui certe antiquissimus est, atque Athanasio æqualis.* Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & nunc, & semper, & in secula seculorum.

(21) *Strabo de Reb. Eccles. Cap.* 25. Græci autem dicunt Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen. Latini vero, eodem ordine, & eisdem verbis hunc hymnum decantant, addentes tantum in medio: *Sicut erat in principio.*

cipio, *& nunc*, *& semper*, tantummodo vocabulum *honor* vocabulo *Gloria* adjiciebant sic cantantes *Gloria*, *& honor Patri*, *& Filio*, *& Spiritui S. in secula seculorum: Amen*. Id ex binis Toletani Concilii Canonibus (22) perquam manifestum est. Quandonam pars illa *Sicut erat in principio* addita sit, haud facile conjici potest. Alii Synodum Nicænam, eam contra Arianos interponi jussisse statuunt; quod sane probabile non esse ostendunt modo productæ Athanasii, & Strabonis auctoritates, necnon & Ecclesiarum Hispanarum consuetudo (23).

XIV. Verosimilius alii censent communi fidelium consensu fuisse adjectam ad redarguendum Dogma Arianorum, Filium non fuisse in principio, & fuisse tempus quando non fuerit statuentium. Primo expressa ejus mentio occurrit in Concilio Vasensi II. cujus *Canone V.* pro Ecclesiis Gallicanis decernitur, *ut ad aliarum Ecclesiarum exemplar propter Arianorum astutiam post Gloria Patri*, *& Filio*, *& S. Sancto*, *sicut erat in principio* dicatur. Et quandiu in Ecclesiis Occidentalibus hæc consuetudo ante hoc Concilium observata fuerit incertum est. Ecclesiæ Hispanicæ, uti modo vidimus, nec postea eam admiserunt.

XV. Illud hic juvat animadvertere catholicos olim consuevisse alios dicere, *Gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui S.* alios, *Gloria Patri & Filio cum Spiritu Sancto*, alios, *per Filium in Spiritu S.* & alios demum, *in Filio*, *& Spiritu Sancto*. Ob parvam istam differentiam nihil hæreticum sub diversis his loquendi rationibus latere credebatur. Ubi vero Ariani, ceu notam hæreseos suæ characteristicam illam adsumserunt *Gloria Patri in Filio*, *& Spiritu Sancto*, hoc ipso declarare volentes Filium, & Spiritum Sanctum Patre inferiores esse; ab hoc tempore offensioni cœpit esse ea loquendi ratio; tum quoque & usus invaluit, ut nonnisi *Gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui Sancto* diceretur: quæ sane formula haud quidem, uti Philostorgius *Lib. III. Cap. 3.* scribit, Flaviano Antiocheno primum introducta est; at vero, uti pluribus demonstrat Basilius *De Spir. Sancto Cap. XXIX.* ipsis pene Apostolis est coæva, quum eam usurpaverint Clemens Rom., Irenæus, Dionysius Rom. Dionysius Alex. Gregorius Thaumaturgus, Firmilianus, aliique.

XVI. Quod vero ad usum spectat, Ecclesiæ Occidentales eam in uniuscujusque Psalmi clausula recitabant, & Ecclesiæ Orientales in fine psalmi ultimi. Multæ quoque preces eadem Doxologia finiebantur; ac præsertim solemnis gratiarum actio in altaris ministerio adhibita; quod Irenæus, & Tertullianus (24) respiciunt, quando ejus clausulam memorant finientem his verbis *in secula seculorum*.

§. V.

(22) *Conc. Toler. IV. Can.* 12. In fine omnium Psalmorum dicimus: Gloria, & honor Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in sæcula sæculorum. Amen. *Adde etiam Can. XIV.*

(23) *Neque enim si id sanxissent Nicæni Patres, tantopere in ejus doxologiæ recitatione variatum sequuto ævo fuisset.*

(24) *Iren. Lib. I. Cap. 1. n. 5.* Et Paulum manifestissime dicunt Æonas nominare sæpissime... Sed & nos ipsos denique in gratiarum actionibus dicentes Æonas Æonum, illos Æonas significare. *Tertull. de Spectac. Cap. XXV.* Ex ore, quo amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere εἰς αἰῶνας alio omnino dicere, nisi Deo Christo. *Addebant etiam hanc Doxologiam quibuscunque orationibus, diversis licet verbis conceptam, uti patet ex Constitut. Lib. VIII. Cap. 13. Sic enim fere eas claudebant*, Cui tecum, *aut*, cum quo Tibi, & Spiritui S. gloria, honor, laus, glorificatio, gratiarum actio in sæcula. Amen. *Atque id quidem ex antiquissimo praxi, cum in publicis, tum in privatis orationibus. Polycarpus palo deligatus, & jam jam moriturus orationem ad Christum habuit hac Doxologia finientem δι' οὗ σοι ἐν Πνεύματι ἁγίῳ δόξα, καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας. ἀμήν.* Per quem Tibi in Sp. Sancto Gloria nunc & in secula seculorum: *ut est in Epistola Ecclesiæ Smyrnensis apud Euseb. Lib. IV. Cap. 15. Quin ipsi Smyrnenses eandem Doxologiam ad calcem ejusdem Epistolæ appinxerunt, ut adeo apud unum Eusebium nusquam eam non legere sit. Cum vero Patres populo sermonem haberent, sic etiam eos finiebant*. Ut obtineamus æternam vitam per Jesum Christum, cui cum Patre, & Spiritu S. gloria, & potestas in secula seculorum. Amen; *uti patet ex Homiliis Chrysostomi, Augustini, Leonis, aliorumque Patrum.*

§. V. *De Doxologia Majore* Gloria in excelsis Deo.

XVII. Major isthæc Doxologia *Hymnus* quoque *Angelicus* dicta præcipue in celebratione Eucharistiæ usurpabatur; tum quoque in precibus matutinis; unde in Constitutionibus *Precatio matutina* dicitur; & de Ascetis scribit Chrysostomus *Hom. LXVIII.*, quod quotidie convenientes hymnis matutinis, Deum collaudare consueverint; inter quos & hunc hymnum cum Angelis cantaverint. Verum generalis isthæc non fuit consuetudo, neque Sacræ missæ officio universali usu quotidie usurpata (25), sed tantummodo die Dominico, & Paschali, aliisque solemnioribus anni festis diebus, ac præsertim in Christi Domini Natalitio. Quisnam verbis ab Angelorum exercitu cantatis reliquam partem addiderit, incertum est. Sunt qui jam Seculo secundo integre compositam arbitrantur, eo quod Lucianus de hymno πολυωνύμῳ tamquam a Christianis usurpari solito loquatur; at vero alii hunc πολυώνυμον hymnum pro Doxologia *Gloria Patri* accipiunt; id quod non minus est ad dirimendum difficile. Verum quidquid de prima ejus origine sit, profecto antiquissimum esse satis constat (26).

§. VI. *De trisagio sive hymno Cherubico* Sanctus Sanctus Sanctus *&c.*

XVIII. Primæva hujus hymni forma sic se habebat: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus Sabaoth: Pleni sunt Cæli, & Terra gloria ejus: Benedictus in secula. Amen.* Ita in Constitutionibus legitur *Lib. VIII. Cap.* 72. Postea Ecclesia aliquot verba addidit sic eum cantans: *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis miserere nobis*. Isthoc additamentum primum in Synodo Chalcedonensi *Act. I.* invenitur, adhibitum in condemnatione Dioscori. Adhæc Damasceno observante (27) Orthodoxi hac formula ute-

(25) *Discriminandam hic ego omnino censeo Ecclesiam Occidentalem ab Orientalē. Diversam quippe hujus ab illa praxim, ad ejus Hymni recitationem quod spectat, fuisse comperio. Occidentales neque quotidie illum recitabant ad Missæ sacrificium, neque cum Episcopo, & Presbyterie populus quoque. Valfridus Strabo Cap. XXII.* a solis Episcopis in summis Festivitatibus *dictum fuisse auctor est. Cardinalis Bona Rer. Liturg. Lib. II. Cap. 4. §. 5. in Bibliotb. Vat. Palatina Codicem vetustissimum vidisse se ait Ordinis Missæ Romanæ sic ad initium præscribentem*: Dicitur Gloria in excelsis Deo, si Episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, aliisque diebus festis; a Presbyteris autem minime dicitur, nisi in solo Pascha. *Adde Sacramentarium Gregorianum apud Murat. Liturg. Vet. Romana Tom. II. p. 1. Ex quibus plane constat Romanos, ceterumque Occidentem per unos Dominicarum dies eum recitasse, eumdemque ab Episcopo, non vero a Presbyteris, nisi in Magno Paschate dictum fuisse; donec tandem post Bernonem Agiensem, ut constat ex ejus lib.* de Rebus Liturgicis, *anno MXL. mos sensim increpsit, ut eius dicto Presbyteris etiam in quotidiano Missæ sacrificio liceret. At in Oriente aliter se se res habuit. Quotidie enim cum ab Episcope, tum a Presbyteris populoque recitabatur, uti constat ex longiore Liturgia Constit. Apost. Lib. VIII. Cap. 13. Chrysost. Hom. IX. in Colossen. aliisque. Sed de his fusius in Tomi hujus P. II., cum de Missa Fidelium agam.*

(26) *Antiquiorem Scriptorem, qui hujus Doxologiæ meminerit, præter Athanasium Alex. habemus neminem. Nam Auctorem Constitutionum nihil equidem moror; quam enim ibi Doxologiam describit, Athanasiana longe posterior fuit. Vide quæ diximus alibi. Atqui nec ipse liber de* Virginitate, *ubi ejus mentio injicitur, sat firmæ fidei apud eruditos est. Plerique enim, ipsique adeo Maurini Patres Præf. ad Op. Hilarii Pictaviensis eum Librum, ut diximus, Athanasio suppositum credunt. Præstat tamen hic Gulielmi Cavei judicium preferre Hist. Script. Eccles. Tom. I.* Istius quidem argumenti librum conscripsisse Athanasium constat. Verum an is, qui nunc exstat, genuinus sit, jure merito dubitari queat. *Maluissem tamen eruditissimum Caveum aliquod monumentum protulisse, unde sibi constitit aliquem revera Librum de Virginitate Athanasium edidisse. Nam quem citat ad marginem* Theod. Hist. Lib. II. Cap. 4. *locum nusquam invenire potui. Ceterum hæc, quæ de Majoris Doxologiæ antiquitate disputavimus, de pleniore, longiorique* Gloria in excelsis *intelligi velim, tum reliquo scilicet additamento ab Doctoribus Ecclesiasticis facta, ut loquitur Conc. Toletanum IV. Nam brevior alter, concinniorque ex unis Scripturæ verbis coalescens, quin antiquissimus sit, non negaverim.*

(27) *Damascen. De Orthod. Fide Lib. III. Cap.* 10. Nos hoc *Sanctus Deus* de Patre accipimus, non

utebantur ad declarandam fidem suam in SS. Trinitatem. Hinc ubi Petrus Gnapheus ad introducendam Theopaschitarum hæresim ipsam divinam naturam in cruce passam somniantium hanc clausulam addidit (28): *Qui crucifixus es pro nobis*; tunc statim Catholici Episcopi aliam ei additionem fecerunt hoc modo hymnum canentes: *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis*, *Sanctus Immortalis*, *Christe rex*, *qui crucifixus es pro nobis*, *miserere nostri*; uti Theodorus Lector (29), aliique historici fidem faciunt. Verum quæcunque fuerint hæ additiones magnas ubique turbas excitarunt, plerisque æque Orientis, ac Occidentis Ecclesiis eas repudiantibus, tum etiam nonnullis de provinciis Europæis loco illarum additionum sic usurpare incipientibus: *S. Trinitas miserere nobis*.

XIX. Quod vero ad usum spectat celebratissimi hujusce hymni, præcipue in medio sacræ Synaxeos officio cani consuevit, uti postea videbimus. Verum aliis quoque occasionibus usurpabatur: uti ex Concilii Chalced. *Actione I.* perspicuum est. Nonnulli græci rituum expositores simplicem formulam *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Deus Zebaoth* ab ipsis *Epinicion* dictum, quasi triumphale; alteram vero longiorem *Sanctus Deus*, *Sanctus Fortis* &c. *trisagium* nuncupatum sic dividunt, ut illam in Missa fidelium; hanc in Missa catechumenorum aliisque occasionibus cantatam doceant, id quod hodiernæ Ecclesiæ praxi multum accedit.

§. VII. *De* Alleluia, *&* *Psalmis* Alleluiaticis.

XX. Per Alleluia aliquando veteres intelligunt singularem hanc vocem, quæ latine significat, *laudate Dominum*; aliquando vero psalmos intelligunt Alleluiaticos; nimirum psalmos, qui in fronte præfixum habent Alleluia; cujusmodi sunt CXLV. & sequentes; communius pro ipsa vocis *Alleluia* recitatione usurpatur, quæ ex Augustino (30) quibusdam in Ecclesiis nonnisi die Paschatis, & aliis quinquaginta sequentibus diebus, alibi autem aliis etiam diebus cantari consuevit. In Ecclesia Romana antiquitus nonnisi primo Paschalis festivitatis die fuisse cantatum constat ex Sozomeno, & ex Cassiodoro (31). Verum ea communis omnium Ecclesiarum praxis fuit, ut jejunii quadragesimalis tempore nunquam caneretur, & in Ecclesiis Hispanicis etiam in aliis jejuniorum diebus cantatum non est: uti constat ex Concilio Toler. IV. (32).

XXI. Tum ex Hieronymo (33) in exsequiis etiam defunctorum; & ex Pseudo-Dionysio in consecratione quoque chrismatis hymnus ille adhibitus est (34). In Ecclesiis Africanis mos obtinuit, quem ita

non illi soli Deitatis addeterminantes nomen, sed agnoscimus Filium Deum, & Spiritum S.; Et hoc *Sanctus Fortis* de Filio ponimus non privantes fortitudinem Patrem, & Spiritum S.; Et hoc *Sanctus immortalis* de Spiritu S. adjungimus, non extra immortalitatem Patrem, & Filium statuentes, sed omnes has Dei denominationes simpliciter, & indissolubiliter accipimus.

(28) *Idem ibid.* Hinc additionem in Trisagio ab insano, vaneque sentiente Petro Gnapheo factam, definimus blasphemiam esse &c.

(29) *Theodor. Lect. Lib. II.* Scribit etiam eumdem Calandionem ter Sancto Hymno addidisse *Christe Rex*, propter eos, qui adjecerant appendicem illam, qui *crucifixus es pro nobis*. *Adde Cedren. Anno XVI. Zenonis, & Ephræmium Antiochenum apud Photium Cod. CCXXVIII.*

(30) *Augustin. Epist. CXIX. ad Januar. Cap. 17.* Ut Alleluja per solos dies quinquaginta cantetur in Ecclesia, non usquequaque observatur. Nam, & in aliis diebus varie cantatur alibi.

(31) *Sozom. Lib. VII. Cap. XIX. Cassiod. in Histor. Tripartita.*

(32) *Concil. Toler. IV. Can. X.* In omnibus quadragesimæ diebus (quia tempus non est gaudii, sed mœroris) Alleluja non decantetur..... Hoc enim Ecclesiæ universalis consensio roboravit. In Kalendis Januarii, quæ propter errorem Gentilitatis aguntur, omnino Alleluja non decantabitur.

(33) *Hieron. Epist. XXX. Cap. 4. De Exequiis Fabiolæ loquens*: Sonabant (*inquit*) psalmi, aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat Alleluja.

(34) *Pseudo-Dionys. De Hierarch. Eccles. Cap. IV. §. XII.* Melos illud sacrum Prophetarum divinitus afflatorum ajunt hi, qui hebraice norunt, Dei laudem significare, sive laudate Dominum. *Paraphrasis vero Pachymeræ addit ibid.* τοῦτο δὲ λέγει, ὅτι τὸ Ἀλληλούϊα ψάλλεται ἐν τῇ τοῦ μύρου ἱερουργίᾳ. Hoc autem dicit, quia Alleluja canitur in Unguenti Consecratione.

ita refert Augustinus; *Epist. CXIX. ad Januar. Cap. 11. Omnibus diebus Dominicis ad altare stantes oramus, quod signum resurrectionis, & alleluia canitur.* In Concilio Turonensi (35) post psalmos dici jubetur ad horam sextam, & ad horam duodecimam, sive in precibus vespertinis. Verum hic num simplex Alleluia intelligatur, an vero aliquis ex psalmis alleluiaticis non facile ad definiendum est. In Ecclesiis Hispanicis præter dies jejuniorum omni tempore cantatus est (36). Tandem ex Hieronymo, & Sidonio Apollinari (37) frequentissimus ejus usus videtur fuisse, tum Monachis, qui ipsius cantu, ceu signo ad collectam vocari consuevere, tum ceteris quoque fidelibus, in privatis cultus divini exercitiis. Postremo illud superest observare ex Augustino, Paulino (38), ipsoque Hieronymo, Alleluia in Ecclesiis ab omni populo fuisse cantatum; ac præsertim in *Epitaphio Fabiolæ* scribit Hieronymus (39): *Sonabans psalmi, aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat alleluia.*

§. VIII. *De Hymno trium puerorum* Benedicite *& de Cantico Mariæ* V. Magnificat Anima mea *&c.*

XXII. Ac primo Hymnum trium puerorum quod spectat, eum non modo Athanasius (40) virginibus privatim recitandum commendat, verum & Chrysostomus ubique terrarum cantari, & cantatum iri in postera secula scribit (41); id quod etiam Concilium Tolet. IV. (42) observat, & idcirco mandat, ut a Clericis Hispaniæ, & Galliæ in missa Dominicorum dierum, & in martyrum solemnitatibus decantetur. Jam vero Canticum B. M. V. *Magnificat* primo tanquam publico usui præscriptum invenitur in Regulis Cæsarii Arel., & Aureliani, ubi in officio matutino cani jubetur (43). Sequutis temporibus ad vespertinum officium translatum est.

§. IX.

(35) *Concil. Turon. II. Can. 19.* Patrum statuta præceperunt, ut ad sextam sex psalmi dicantur, cum Alleluja, & ad duodecimam duodecim, itemque cum Alleluja.

(36) *Testatur id Isidor. De Offic. Lib. I. Cap. 13.* In Africanis Ecclesiis non omni tempore, sed tantum Dominicis diebus, & quinquaginta post Domini resurrectionem, Alleluja cantatur. Verum apud nos secundum antiquam Hispaniarum traditionem præter dies jejuniorum, & quadragesimæ omni tempore canitur Alleluja.

(37) *Hieron. Ep. XVIII. ad Marcellam.* Quocunque te verteris, Arator stivam retinens Alleluja decantat. *Idem alibi Epist. XXVII. Epitaph. Paulæ Cap. 16.* Post Alleluja cantatum, quo signo vocabantur ad collectam, nulli residere licitum erat. *Sidon. Apoll. Lib. II. Epist. 10.*

Curvorum hinc Chorus Helçiariorum
Responsantibus Alleluja ripis
Ad Christum levat amnicum Celeusma,
Sic sic psallite Nauta, vel Viator.

(38) *Augustin. De Cantic. Novo Cap. 11.* Adsit nostra tutela, Christi gratia, celeusma dulce cantemus Alleluja, ut læti, ac securi ingrediamur sempiternam, ac felicissimam Patriam. *Adde Paulinum Epist. XII. ad Severum:*

Alleluja novis balat ovile Choris.

(39) *Hieronym. Epist. XXX. Cap. 4.*

(40) *Athan. de Virginit.* Ὑπὸ διάψαλμα λέγετε sub diculum dicite: Benedicite omnia opera Domini Domino. *Tempus hujus Hymni subdiculum διάψαλμα servat adhucdum Ecclesia, cum illum in Laudibus recitandum præscriptum habeamus.*

(41) *Chrysostom. Quod nemo læditur a seipso Cap. X.*

(42) *Concil. Tolet. IV. Can. XIII.* Hymnum quoque trium Puerorum, in quo universa Cæli, terræque Creatura Dominum collaudat, & quem Ecclesia Catholica per totum Orbem diffusa celebrat, quidam Sacerdotes in Missa Dominicorum dierum, & in solemnitatibus Martyrum canere negligunt. Proinde hoc Concilium instituit, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, vel Galliæ in omnium Missarum solemnitates idem in Pulpito decantetur, Communionem amissuri, qui & antiquam hujus Hymni consuetudinem, nostramque definitionem excesserint.

(43) *Mabillon. De Curs. Gallic. p. 407.*

§. IX. *De Symbolo Niceno, & de hymno* Te Deum.

XXIII. Jam *Lib. I. Part. II. Cap. XVIII. §. III.* demonstravimus, Symbolum Nicænum non ante annum millesimum in publico divino ministerio per omnes Christi Ecclesias fuisse cantatum, licet jam inde ab Seculo V. in Ecclesia Antioch., ab Seculo VI. ineunte in Ecclesia Constantinopolitana, & ab Seculo VI. exeunte in Ecclesiis Hispanicis cantatum sit. Igitur de Hymno *Te Deum laudamus* nobis tantummodo quærendum est, quem vulgo Ambrosio, & Augustino junctim adscribunt: atque vulgaris hæc opinio omni prorsus caret fundamento (44). Gavantus *In Ambr. Breviar. Sect. V. Cap. XIX. De Symb. p. 2.* invenisse illum scribit in antiquo quodam Codice S. Abundio adscriptum; in aliis autem inscribi: *Hymnus Sisebuti Monachi*. At Usserius *de Symb. p. 2.* in duobus MSS. S. Nicetio adscribi dicit, sive Trevirensis intelligendus sit Nicetius, sive Lugdunensis; sed probabilius Trevirensis, uti judicat eruditus Stillingfleetus (45). Illud certum est in regulis S. Benedicti, & S. Cæsarii Arel. primum ejus fieri mentionem, ubi cantari jubetur: ante quos nullum vetustum, ac bonæ fidei scriptorem illius meminisse constat.

§. X. *De Hymnis Ambrosii, Hilarii, Claudiani Mamerci &c.*

XXIV. Ambrosius plures in Ecclesiæ usum Hymnos composuisse ex Augustino, Conc. Tolet. IV. (46) aliisque constat; & Dupinius (47) plerosque in Breviario Rom. singulis Hebdomadis diebus adscriptos hymnos Ambrosium habuisse auctorem censet. Hilarium quoque Ecclesiæ Pictavorum Episcopum librum hymnorum composuisse scribit Hieronymus (48), quos in Hispanicis Ecclesiis

(44) *Ejus Fabula puppis, quod aiunt, proraque est Chronicon Dacii Episcopi Mediolanensis, qui floruit anno DXXV. ad obitum Flavii Anicii Justini Senioris, imperante Justiniano, uti constat ex Dial. Greg. Lib. III. Cap. 4., tum ex Epist. Cassiodori ad eum data. Atqui in Chronicon, uti observat Cl. Caveus Hist Lit. Tom. I. p. 284., tres habuit auctores Landulphos Juniorem, ac Seniorem, atque Andulphum. Ergo immerito faciunt, qui illud Dacio adjudicant, præsertim cum pleraque ibi narrentur ad sequiorem ætatem usque ad annum MLXVII. pertinentia. Præstat hic referre, quæ Antonius M. Pustula Mabillonio respondit, qui id rogaverat, ut ex ejus Chronici MS. in Mediolanensi Bibliotheca delitescente ejusdem ætas sibi innotesceret, Chronicon scilicet esse sexcentorum ante annorum, diversaque manu exaratum; Mediolanenses historias enarrari ab VIII. ad XI. usque seculum: Titulum præ se quidem ferre Dacii nomen, sed eum recentioris characteris esse. Quis ergo uni huic Chronico Hymni* Te Deum *antiquitatem credat?*

(45) *Stillingfleet. Orig. Britan. Cap. 4. Hunc vero Nicetium Theodoricus Mediomatricus Rex Trevirensi Cathedræ præfecit anno DXXV. multa doctrina æque, ac sanctitatis fama per ea tempora inclarescentem. Ergo hic Hymnus, siquidem Nicetium Auctorem habet, quinto Ecclesiæ seculo antiquior non est.*

(46) *Augustin. Confess. Lib. IX. Cap. 12.* Dormivi, & evigilavi, & non parva ex parte mitigatum inveni dolorem meum, atque ut eram in lecto meo solus, recordatus sum veridicos versus Ambrosii tui: Tu es enim

Deus Creator omnium,
Polique Rector &c.

Idem Retract. Lib. I. Cap. 21. Alterius Hymni Ambrosiani meminit, Cantatur (*inquit*) ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo Gallinaceo ait:

Hoc ipsa petra Ecclesiæ
Canente, culpam diluit.

Videsis hic etiam Concil. Tolet. IV. Can. 12.

(47) *Dupin Bibliothec. Cent. IV. Ubi de Hymnis passim nomen Ambrosii præseferentibus disputans:* De Hymnis (*inquit*) qui officio singulorum dierum destinati sunt, certius constare mihi videtur, quam de ceteris. His addi possunt Hymni in sex dies creationis: quod ad ceteros attinet, alio stilo, & ab alio Auctore mihi videntur conscripti esse.

(48) *Hieron. De Scriptor. Eccles. Cap. CXI.* Est ejus, & ad Constantium Libellus, & liber Hymnorum.

clesiis notissimis fuisse adhibitos patet ex Concilio Toletano IV. (49), ubi ejus hymni æque, ac Ambrosiani adprobati, & confirmati fuere. At ex hymnis Hilarii nonnisi unus superest, isque matutinis operibus præfixus, quem cum epistola ad Filiam suam Abram misit (50). Claudianum quoque Mamercum hymnos quosdam confecisse auctor est Sidonius Apollinaris (51), quorum unum *Lib. IV. Epist.* 43. summopere laudat, *quod sit commaticus, copiosus, dulcis, elatus, & quoslibet lyricos dithyrambos amœnitate poetica, & historica veritate superemineat.* Savarus hunc hymnum eundem esse dicit, qui hodie Dominica in passione Domini canitur, & incipit: *Pange lingua gloriosi pretium Certaminis &c.* Fuere quidem & alii hymni a viris doctis Nepote, Athenogene, Ephrem Syro &c. in peculiarium Ecclesiarum usum confecti; at de his nonnisi nuda in diversis eorum auctoribus mentio occurrit. Quod tandem ad hymnos attinet Nazianzeni, Paulini, Prudentii &c., quum hi publico usui in Ecclesia antiqua non fuerint destinati, hinc nostri Instituti non est de illis disquirere.

(49) *Concil. Tolet. IV. Can. XII., ubi Toletani Patres Anathemate mulctant eos, qui hymnos Ambrosii, atque Hilarii rejiciebant.*

(50) *Hymnus matutinus, quo de loquitur Hilarius in Epist. ad Abram filiam sic incipit:*

Lucis largitor optime,

Finitque hac Trinitatis Doxologia:

Gloria tibi, Domine,
Gloria Unigenito,
Cum Spiritu Paraclito,
Nunc, & per omne seculum.

(51) *Sidon. Lib. IV. Epist.* 11.

Psalmorum hic modulator, & phonascus,
Ante Altaria, Fratre gratulante,
Instructas docuit sonare classes;
Hic solemnibus annuis paravit,
Quæ, quo tempore lecta convenirent.

CAPUT XI.

De Ratione legendi Scripturas, necnon de concionibus ad easdem explicandas, Ritibusque eo spectantibus in veteri Ecclesia.

§. I. *Lectiones tam de veteri, quam de novo Testamento lectæ sunt.*

I. Jam superiori capite observavimus in veteri Ecclesiæ liturgia plerumque primum Psalmos fuisse cantatos cum brevibus precibus intermixtis: tum lectiones fuisse lectas tot quidem numero, quot cujusvis Ecclesiæ regulis erant præscriptæ. Illud hic proximum observatu est lectiones, quæ semper duæ ad minimum erant, interdum tres, quatuor, pluresque, partim ex novo, partim ex veteri Testamento fuisse decerptas; id ex Cassiano, Auctore Constitutionum, Chrysostomo, Justino M. aliisque (1) perquam manifestum est. Eandem quo-

(1) *Cassian. Lib. II. Cap. 6.* Quibus (*psalmi duodecim*) lectiones geminas, idest unam veteris, & aliam novi Testamenti addiderunt. *Constitut. Lib. II. Cap. 59.* In quo (*die Dominico*) habeatur lectio Prophetarum, Euangelii prædicatio, Sacrificii oblatio, & sacri cibi donum. *Chrysostom. Homil. XXI. in Roman.* Tu, qui frustra huc ingressus es, responde quis hodie Propheta, quis Apostolus nobis, deque quibus rebus lectus sit. *Justin. Mart. Apol.* 11. Solis, qui dicitur, die, omnium, qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit, & commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur.

que Occidentalis Ecclesiæ praxim fuisse constat ex Augustino, Cæsario Arelat. Maximo Taurin. veteri Lectionario Gallicano in lucem edito a Mabillonio &c. (2). Sola Ecclesia Romana ad ætatem usque Cælestini Pontificis nec Psalmos, nec lectiones de veteri Testamento, sed epistola tantum, & Euangelia legere consuevit; id ex Walafrido Strabone, aliisque veteribus rituum Scriptoribus colligere licet (3).

II. Verum illud hic observare juvat certis temporibus, ac solemnitatibus certas lectiones adsignatas, ut aliæ earum loco legi nequiverint. Id perspicue tradit Augustin. *Exposit. in S. Joan. in Præf.* ac speciatim in festivitate Paschali per quatuor continuos dies resurrectionis Dominicæ historiam ex quatuor Euangeliis recitari narrat (4). Ita etiam historia Passionis ex Matthæo die Passionis Domini, & diebus quinquaginta inter Pascha, & Pentecosten librum Actuum Apostol. legi tradit (5). Chrysostomus non modo easdem praxes frequenter memorat, ac in singulis festis quæ in singulis acciderint legi scribit, verum & rationem dat, cur Acta Apost. ante Pentecosten legantur, nimirum ; *Statim post Crucem resurrectionem Christi annuntiamus : porro demonstratio resurrectionis miracula sunt apostolica : atqui nihil aliud est liber iste, quam apostolicorum schola miraculorum* (6). Eandem quoque fuisse Ecclesiarum Ægypti praxim auctor est Cassianus *L. II. Cap. 6.* In Ecclesiis Gallicanis, uti ex vetusto *Lectionario Gallicano* adparet, quinquaginta illis diebus duæ lectiones legi jubentur ex Apocalypsi, & Actis Apostolorum.

III. Tempore Quadragesimæ librum Geneseos fuisse lectum ex pluribus Chrysostomi locis planum est; tum per hebdomadem passionalem libros Job, & Jonæ Prophetæ legi consuevisse constat ex Ambrosio (7). Hanc autem antiquissimam fuisse Ecclesiæ regulam ex Origene colligitur, qui non modo Librum Jobi per Hebdomadem passionalem legi scribit, sed etiam hujus instituti rationem explicat inquiens, *In Job. Lib. I. Passionis, atque Resurrectionis Domini formam, atque exemplum quia Job Passio in multis gerebat, sicut ii, qui diligentius requisierunt, repererunt : merito etiam nunc in diebus Passionis, in diebus Sanctificationis, in diebus Jejunii beati Job passio legitur, meditatur, atque scrutatur*. Verum uti Origenes nonnisi libri Job meminit, ita in *Lectionario Gallicano* nonnisi liber Jonæ pridie Paschatis legendus occurrit. Chrysostomus Homilia *X. in Joann.* suos Auditores monet, ut una dierum in hebdomade, vel saltem Sabbato domi suæ euangelicas legant lectiones, quas sequenti die in Ecclesia lectum, & expositum iri sciant.

IV. Quæ hucusque tradita sunt, Sacras Scripturas in Ecclesia ad certum quendam ordinem lectas fuisse indicant. Hinc

(2) *Lection. Gallican. apud Mabillon. De Liturg. Gallic. Lib. II. p. 127.*

(3) *Strabo De Reb. Eccles. Cap. XX.* Antiphonas ad introitum dicere Cælestinus Papa instituit, sicut legitur in gestis Pontificum Romanorum, cum ad ejus usque tempora ante sacrificia lectio una Apostoli tantum, & Euangelii legeretur.

(4) *Augustin. Serm. CXL.* Hesterno die id est nocte lecta est ex Euangelio resurrectio Salvatoris. Lecta est autem ex Euangelio secundum Matthæum .... recitata est nobis Domini resurrectio, sicut Lucas Euangelista conscribit.

(5) *Idem Sermon. CXLIII. De tempore* : Passio, quia uno die legitur, non solet legi, nisi secundum Matthæum. *Et Tractat. VI. in Joan.* Actus Apostolorum Testes sunt : Ille liber Canonicus omni anno in Ecclesia recitandus. Anniversaria solemnitate post passionem Domini, nostis illum librum recitari.

(6) *Chrysost. Hom. LXIII.* Cur in Pentecoste acta legantur. Tom. V.

(7) *Ambros. Epist. XXXIII. ad Marcellin. Soror. Ibi loquens de sermone per id temporis ad Populum habito, hæc ait* : Audistis Filii, librum legi Job, qui solemni & munere est decursus, & tempore.

Hinc Canonem Paschalem Hippolyti M. Scaliger, & Gothofredus Kalendarium fuisse existimant, in quo designarentur pensa de Scripturis singulis diebus legenda (8). Sidonius Apollinaris simile lectionarium in Ecclesiæ Viennensis usum a Claudiano Mamerco anno 450. paratum esse dicit. Et Musæum aliud pro Ecclesia Massiliensi circa annum 458. confecisse auctor est Gennadius *De Script. Cap. LXXIX.* (*9*), sed utrumque est deperditum, tantummodo superstes est antiquissimum Gallicanum lectionarium, a Mabillonio editum, quod ipse paulo post Gregorii ætatem conscriptum esse scite judicat. Vide *Mabill. de Cursu Gallicano p.* 406. Verum etsi nullum antiquius Kalendarium hodie superfit, attamen quæ ex antiquis Scriptoribus adlegavimus testimonia satis evincunt lectiones Scripturarum temporibus anniversariis generatim fuisse adcommodatas, prout dies festi requisivere. De cetero eo potissimum ordine quo jacent in Bibliis recitatæ sunt, uti ex Regulis Cæsarii, & Aureliani ostendit Mabillonius *Ibid.*, & ex Chrysostomo, Augustino, aliisque colligitur, qui Sermones, & Homilias in plures S. Scripturæ libros ex ordine confecerunt. Episcopi etiam aliquando pro arbitratu suo lectiones præscribebant, uti ex eodem Augustino, & ex Petro Chrysologo manifestum est (10).

§. II. *De Regulis, ac Ritibus in legendis Sacris Scripturis antiquitus in Ecclesia servatis.*

V. Ac 1. illud juvat animadvertere non modo reliquos Sacræ Scripturæ libros, verum & Euangelia in Missa catechumenorum fuisse lecta. Licet enim Card. Bona *Rer. Liturg. Lib. II. Cap.* 7. §. *I.*, & Albaspinæus *Not. in Can. IV. Conc. Carthag. III.* Euangelia solis fidelibus antiquitus lecta fuisse crediderint; at eorum sententia nulli firmo nititur momento; quin potius nihil planius apud antiquos Patres, nihilque exploratius occurrit, quamquod lectio Euangelii semper sermonem antecesserit, & quod sermo coram catechumenis habitus sit: quum præcipue ad horum instructionem spectaret, uti ex Augustino potissimum, & Chrysostomo colligere est, qui semper de Euangelii lectione ante homiliam, deque homilia coram catechumenis habita loquuntur.

VI. 2. Lector lectionem orditurus plerumque dicere solebat *Pax tecum*, quæ communis erat salutatio sub omnium officiorum in Ecclesia primordia; id Cyprianus *Epist. XXXIII. ad Cler. Carth.* videtur innuere, ubi de novo quodam Lectore scribit: *Auspicatus est pacem, dum lectionem dedicat*. Hæc praxis in Afri-

(8) *Romæ ad agrum Veranum, ut alibi diximus, Cathedra Marmorea reperta est adsidente Hippolyto. Ad utrumque ejus laterculum Canon Paschalis, de quo loquimur, descriptus erat græce.* Scaliger de Emend. Temp. Lib. VII. *fuisse putat quendam veluti indicem Lectionum statis quibusque per annum diebus legendarum: uti e. g.* γένεσις Χριστοῦ *ad diem XI. Phamuti, quo Mense natum Christum credebant nonnulli, teste* Clem. Alex. *Eadem descripsit Gothofr. Lib. XV. Cod. Theod. Tit. V. De Spectac. L. 5. Alii contra senserunt. Caveus Hist. Lit. Tom. I. p. 49. Cyclum Paschalem interpretatur ab anno I. Alexandri Imp. finientemque in annum* CCCXXVII. *æræ Christianæ, quo quidem anno vagas, incertasque Christianorum festorum dies rursus convenire, ac veluti in ordinem redigi putabat* Hippolytus. *Ægidius Bucherius eundem Canonem Paschalem latine redditum, notisque exornatum evulgavit*, Cycli Paschalis *ei præfixo Titulo. Hæc diximus, ut huic monumento, quam libuerit cumque auctoritatem tribuant justi rerum æstimatores.*

(*9*) *Gennad. de Scriptor. Eccles. Cap. LXXIX.* Excerpsit de Scripturis lectiones totius anni festivis diebus aptas: Responsoria psalmorum Capitula temporibus, & lectionibus congruentia.

(10) *August. Serm. XXIII. de Verbis Domini. Chrysolog. Serm. LXVI.* Duas hodie e duobus Euangelistis editas ita recitari fecimus lectiones, ut sermoni nostro vester intellectus occurreret, paterent adyta &c. *Idem observet in Sermone CXVIII.*

Africa fortasse obtinuit, usque dum Concilii Carthag. III. *Can. III.* decretum est; *ut Lectores populum non salutent*; atque id procul dubio sancitum est, ut Episcopis, Presbyteris, & Diaconis pacem dare populo reservaretur, ea formula *Pax vobis*; ad quam populus respondebat: *& cum Spiritu tuo*; quemadmodum Chrysostomo multis in locis observatur: ac præsertim homilia III. in Coloss. ubi scribit: *In Ecclesiis pacem in precibus, in supplicationibus, in salutationibus, & semel, & bis, & ter, & sæpe dat eam is, qui præest Ecclesiæ dicens: Pax vobis*. Et alibi *Hom. XVIII. in II. ad Cor. Quum pax danda vicissimque accipienda est*.

VII. 3. Chrysostomus *Hom. XIX. in Acta Apost.* binas alias hac in re Ecclesiæ praxes memorat; primam, qua Diaconus indicto silentio audientium requisierit attentionem; alteram, qua Lector pronunciata quadam lectione diceret: *Hæc dicit Dominus*. *Stat*, inquit, *Diaconus, alta voce clamat Attendamus, & sæpius illam vocem clamat: Post illum incipit lector Prophetiam Isaiæ, deinde auditorio pronuntiat dicens: Hæc dicit Dominus*. Illa silentii indictio Ambrosio, aliisque etiam memoratur (11).

VIII. 4. Observat Mabillonius *De Liturg. Gallic. Lib. II. Cap.* 11. *num.* 10. ad titulum Prophetiæ, vel Epistolæ populum aliquando respondere consuevisse: *Deo gratias*: id potissimum in Liturgia Mozarabica legitur. Ex Augustino *in Psalm. CX.* eadem formula phrasis erat, qua populus variis in occasionibus per modum adclamationis utebatur; scribit enim, quod ubi Eradium suum successorem nominavit, populus trigesies sexies adclamaverit Deo Gratias, Christo laudes (12).

IX. 5. Ad lectionem Euangelii populus adsurgebat: id ex Chrysostomo, *Hom. I. in Matth.* Auctore Constitutionum, *Lib. II. Cap.* 57. aliisque constat; adeo ut Sozomenus tanquam insoleus in Ecclesia Alex. notaverit, quod Episcopus non adsurrexerit, dum legerentur Euangelia (13). In Africa non modo quum legerentur Euangelia, sed ad omnes etiam reliquas Scripturarum lectiones populus stare consuevit; id ex Augustino perquam manifestum est (14); tum & ab Cypriano indicatur. Præterea Bona observante populus respondere solebat *Amen*, vel *Deo gratias*, vel *Laus tibi Christe*. Verum isthæc nonnisi a medii ævi Scriptoribus dicuntur, cum contra apud veteres altum ea de re silentium sit (15).

X. 6. Hieronymus (16) de peculiari quodam Ecclesiæ Orientalis ritu loquitur: nimirum ut lumina ante Euangelium, ubi legendum erat, portarentur ad signum

(11) *Ambros. Præfat. in psalmos*. Quantum laboratur in Ecclesia, ut fiat silentium, cum lectiones leguntur. *Vide etiam Augustinum de Civit. Dei* Lib. XI. Cap. 8.

(12) *Solebant & tandem phrasin usurpare, sicubi Christianus Christiano occurreret. Patet id ex eodem Augustino in Psalm. CXXXII.* Hi etiam insultare nobis audent, quia Fratres, dum homines vident, Deo gratias dicunt.

(13) *Sozom. Lib. VII. Cap.* 19. Est etiam apud Alexandrinos hoc novum, atque insolens; dum enim leguntur Euangelia, non adsurgit Episcopus; quod tamen alibi usquam fieri neque vidi, neque audivi.

(14) *August. Serm. XXVI.* Ante aliquot dies propter eos, qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterna pietate sollicitus consilium dedi, & quodammodo supplicavi, ut quando aut passiones prolixæ, aut certe aliquæ lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter, & cum silentio sedentes attentis auribus audiant. *Sed enim Mabillonius, ac Benedictini Patres hanc Homiliam Cæsario Arelatensi adscribunt. Quod si ita est, hanc praxin Gallicanæ Ecclesiæ fuisse dicas. Quod vero ad Africanam Ecclesiam spectat, vide Epist. XXXIV. Cypriani*.

(15) *Harum phrasium monumentum antiquius ætate S. Benedicti non habemus, uti colligitur ex ipso Bona Rer. Liturgic. Lib. II. Cap. 7. §. 4. Nam in ejus regula Cap. XI. tum in Liturgia Mozarabica eorum vestigia offendere licet*.

(16) *Hieron. contra Vigilant. Cap.* 3. Absque Martyrum Reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.

gnum lætitiæ demonstrandum, & ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Psalterio legimus: *Lucerna pedibus meis* &c. Secutis temporibus in Ecclesia quoque Occidentali hic mos obtinuit. 7. Illud observandum restat, tres quatuorve lectiones ex Euangelio nonnumquam eodem die lectas: id potissimum in Gallicanis Ecclesiis obtinuisse probat Mabillonius *de Liturg. Gallic.* ex veteri Lectionario Gallicano.

§. III. *Quid in Ecclesia sub titulo lectionum præter Sacras litteras legi consueverit.*

XI. Ac primo observare juvat in plerisque Ecclesiis præter Scripturas Canonicas alia quoque Scripta ad modum publicæ lectionis, & instructionis legere licitum fuisse; uti e. g. Acta Martyrum, Homilias Patrum, Epistolas, ac Tractatus piorum hominum &c. Passiones Martyrum aliquando in Ecclesia inter lectiones fuisse recitatas ex Augustino, Concilio *Carthag. III.* Cæsario Arel. aliisque constat; ac præsertim Concilium *Carthag. III. Can.* 47. sic decernit: *Liceat legi passiones Martyrum, quum anniversarii eorum dies celebrantur.* Fortasse Eusebius (17) in hunc finem passiones martyrum collegit, ut in Ecclesia legerentur, &, observante Mabillonio *de Cursu Gallicano* in vetusto Lectionario Gallicano frequenter lectiones ex Augustino, aliisque præscribuntur in diebus festis Petri, & Pauli, Stephani, Innocentii &c.

XII. Præter Passiones Martyrum, & eo spectantes homilias alii quoque religiosi libri, ceu hortationes ad virtutis studia, in diversis Ecclesiis lecti sunt. Hermetis Pastorem publice in Ecclesia lectum fuisse, uti quoque priorem Clementis R. Epistolam auctor est Eusebius (18). Idem de aliis quoque libris, ac nominatim de Relatione Petri, de Doctrina Apostolorum, & de Homiliis S. Ephrem Syri tradunt Sozomenus, Athanasius, ac Hier. (19). Adhæc Gesta Collationis Carthag. in Ecclesiis Africanis per dies quadragesimalis jejunii lecta fuisse scribit Augustinus, qui & illud addit, quod si quis singulare aliquod beneficium a Deo percepisset, in populo recitari solitum sit (20).

XIII. Tandem litteras Imperatoris, necnon & Epistolas *Salutatorias*, sive *Communicatorias*, quas Ecclesiæ aliæ ad alias mittebant, ac tandem Epistolas circulares ad significandum tempus celebrandi Pascha in Ecclesiis legi consuevisse ex Augustino, Chrysostomo, Cassiano, aliisque constat (21).

§. IV.

(17) *Eusеb. Lib. V. Cap.* 4. Hæc quicunque voluerit, cuncta poterit planissime cognoscere ex ipsius Epistolæ lectione, quam quidem nos, ut supra monuimus, in passionibus Martyrum a nobis collectis integram inseruimus.

(18) *Idem Lib. III. Cap.* 16. Unde etiam eum (*librum Hermæ*) publice legi comperimus. *Id ipsum testatur de Clementis Epistola ibidem:* Hanc (*inquit*) Epistolam in plerisque Ecclesiis & nostra, & superiori memoria palam recitari consuevisse comperimus.

(19) *Sozom. Lib. VII. Cap.* 19. Sic revelationem Petri, quæ ut adulterina a veteribus repudiata est, in quibusdam Ecclesiis Palæstinæ semel quotannis legi animadvertimus, die scilicet Parasceves. *Athan. Epist. ad Rufin. præter canonicos libros alios quoque publice in Ecclesiis legi auctor est. Hi vero, ut ab ipso præscribuntur, sunt.* Sapientia Salomonis, & sapientia Sirach, Esther, Judith, Tobias, Doctrina, ut vocant, Apostolorum, & Pastor. *Hier. de Script. Cap. CXV.* Efrem, Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, multa Syro Sermone composuit, & ad tantam venit claritudinem, ut post lectionem Scripturarum publice in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitentur.

(20) *Augustin. Epist. CLVIII.* Gesta, quæ promisit præstantia tua, vehementer exspecto, & in Ecclesia Hipponensi jam jam cupio recitari, ac si fieri potest per omnes Ecclesias, etiam in nostra Diœcesi constitutas. *Idem de Civit. Dei Lib. XXII. Cap.* 8. Libelli eorum, qui beneficia percipiunt, recitantur in populo.

(21) *Chrysostom. Homil. III. In II. ad Thessal.* Si quispiam quidem veniat a Rege, omnes acceditis. A Deo autem venit, & e Cælis loquitur Propheta, & nemo est qui attendat. *Vide etiam Cassianum Collat. X. Cap.* 2.

Africa fortasse obtinuit, usque dum Concilii Carthag. III. *Can. III.* decretum est, *ut Lectores populum non salutent*; atque id procul dubio sancitum est, ut Episcopis, Presbyteris, & Diaconis pacem dare populo reservaretur, ea formula *Pax vobis*; ad quam populus respondebat: *& cum Spiritu tuo*; quemadmodum Chrysostomo multis in locis observatur: ac præsertim homilia III. in Coloss. ubi scribit: *In Ecclesiis pacem in precibus, in supplicationibus, in salutationibus, & semel, & bis, & ter, & sæpe dat eam is, qui præest Ecclesiæ dicens: Pax vobis.* Et alibi *Hom. XVIII. in II. ad Cor. Quum pax danda vicissimque accipienda est.*

VII. 3. Chrysostomus *Hom. XIX. in Acta Apost.* binas alias hac in re Ecclesiæ praxes memorat; primam, qua Diaconus indicto silentio audientium requisierit attentionem; alteram, qua Lector pronunciata quadam lectione diceret: *Hæc dicit Dominus. Stat*, inquit, *Diaconus, alta voce clamat Attendamus, & sæpius illam vocem clamat: Post illum incipit lector Prophetiam Isaiæ, deinde auditorio pronuntiat dicens: Hæc dicit Dominus.* Illa silentii indictio Ambrosio, aliisque etiam memoratur (11).

VIII. 4. Observat Mabillonius *De Liturg. Gallic. Lib. II. Cap.* 11. *num.* 10. ad titulum Prophetiæ, vel Epistolæ populum aliquando respondere consuevisse: *Deo gratias*: id potissimum in Liturgia Mozarabica legitur. Ex Augustino *in Psalm. CX.* eadem formula phrasis erat, qua populus variis in occasionibus per modum adclamationis utebatur; scribit enim, quod ubi Eradium suum successorem nominavit, populus trigesies sexies adclamaverit Deo Gratias, Christo laudes (12).

IX. 5. Ad lectionem Euangelii populus adsurgebat: id ex Chrysostomo, *Hom. I. in Matth.* Auctore Constitutionum, *Lib. II. Cap.* 57. aliisque constat; adeo ut Sozomenus tanquam insolens in Ecclesia Alex. notaverit, quod Episcopus non adsurrexerit, dum legerentur Euangelia (13). In Africa non modo quum legerentur Euangelia, sed ad omnes etiam reliquas Scripturarum lectiones populus stare consuevit; id ex Augustino perquam manifestum est (14); tum & ab Cypriano indicatur. Præterea Bona observante populus respondere solebat *Amen*, vel *Deo gratias*, vel *Laus tibi Christe*. Verum isthæc nonnisi a medii ævi Scriptoribus dicuntur, cum contra apud veteres altum ea de re silentium sit (15).

X. 6. Hieronymus (16) de peculiari quodam Ecclesiæ Orientalis ritu loquitur: nimirum ut lumina ante Euangelium, ubi legendum erat, portarentur ad signum

(11) *Ambros. Præfat. in psalmos.* Quantum laboratur in Ecclesia, ut fiat silentium, cum lectiones leguntur. *Vide etiam Augustinum de Civit. Dei* Lib. XI. Cap. 8.

(12) *Solebant & eandem phrasin usurpare, sicubi Christianus Christiano occurreret. Patet id ex eodem Augustino in Psalm.* CXXXII. Hi etiam insultare nobis audent, quia Fratres, dum homines vident, Deo gratias dicunt.

(13) *Sozom. Lib. VII. Cap.* 19. Est etiam apud Alexandrinos hoc novum, atque insolens; dum enim leguntur Euangelia, non adsurgit Episcopus; quod tamen alibi usquam fieri neque vidi, neque audivi.

(14) *August. Serm. XXVI.* Ante aliquot dies propter eos, qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterna pietate sollicitus consilium dedi, & quodammodo supplicavi, ut quando aut passiones prolixæ, aut certe aliquæ lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter, & cum silentio sedentes attentis auribus audiant. *Sed enim Mabillonius, ac Benedictini Patres hanc Homiliam Cæsario Arelatensi adscribunt. Quod si ita est, hanc praxin Gallicanæ Ecclesiæ fuisse dicas. Quod vero ad Africanam Ecclesiam spectat, vide Epist. XXXIV. Cypriani.*

(15) *Harum phrasium monumentum antiquius ætate S. Benedicti non habemus, uti colligitur ex ipso Bona Rer. Liturgic. Lib. II. Cap. 7. §. 4. Nam in ejus regula Cap. XI. tum in Liturgia Mozarabica eorum vestigia offendere licet.*

(16) *Hieron. contra Vigilant. Cap.* 3. Absque Martyrum Reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Euangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.

gnum lætitiæ demonstrandum, & ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua in Psalterio legimus: *Lucerna pedibus meis* &c. Secutis temporibus in Ecclesia quoque Occidentali hic mos obtinuit. 7. Illud observandum restat, tres quatuorve lectiones ex Euangelio nonnumquam eodem die lectas: id potissimum in Gallicanis Ecclesiis obtinuisse probat Mabillonius *de Liturg. Gallic.* ex veteri Lectionario Gallicano.

§. III. *Quid in Ecclesia sub titulo lectionum præter Sacras litteras legi consueverit.*

XI. Ac primo observare juvat in plerisque Ecclesiis præter Scripturas Canonicas alia quoque Scripta ad modum publicæ lectionis, & instructionis legere licitum fuisse; uti e. g. Acta Martyrum, Homilias Patrum, Epistolas, ac Tractatus piorum hominum &c. Passiones Martyrum aliquando in Ecclesia inter lectiones fuisse recitatas ex Augustino, Concilio *Carthag. III.* Cæsario Arel. aliisque constat; ac præsertim Concilium *Carthag. III. Can.* 47. sic decernit: *Liceat legi passiones Martyrum, quum anniversarii eorum dies celebrantur*. Fortasse Eusebius (17) in hunc finem passiones martyrum collegit, ut in Ecclesia legerentur, &, observante Mabillonio *de Cursu Gallicano* in vetusto Lectionario Gallicano frequenter lectiones ex Augustino, aliisque præscribuntur in diebus festis Petri, & Pauli, Stephani, Innocentii &c.

XII. Præter Passiones Martyrum, & eo spectantes homilias alii quoque religiosi libri, ceu hortationes ad virtutis studia, in diversis Ecclesiis lecti sunt. Hermetis Pastorem publice in Ecclesia lectum fuisse, uti quoque priorem Clementis R. Epistolam auctor est Eusebius (18). Idem de aliis quoque libris, ac nominatim de Relatione Petri, de Doctrina Apostolorum, & de Homiliis. S. Ephrem Syri tradunt Sozomenus, Athanasius, ac Hier. (19). Adhæc Gesta Collationis Carthag. in Ecclesiis Africanis per dies quadragesimalis jejunii lecta fuisse scribit Augustinus, qui & illud addit, quod si quis singulare aliquod beneficium a Deo percepisset, in populo recitari solitum sit (20).

XIII. Tandem litteras Imperatoris, necnon & Epistolas *Salutatorias*, sive *Communicatorias*, quas Ecclesiæ aliæ ad alias mittebant, ac tandem Epistolas circulares ad significandum tempus celebrandi Pascha in Ecclesiis legi consuevisse ex Augustino, Chrysostomo, Cassiano, aliisque constat (21).

§. IV.

(17) *Euseb. Lib. V. Cap.* 4. Hæc quicunque voluerit, cuncta poterit planissime cognoscere ex ipsius Epistolæ lectione, quam quidem nos, ut supra monuimus, in passionibus Martyrum a nobis collectis integram inseruimus.

(18) *Idem Lib. III. Cap.* 16. Unde etiam eum (*librum Hermæ*) publice legi comperimus. *Id ipsum testatur de Clementis Epistola ibidem:* Hanc (*inquit*) Epistolam in plerisque Ecclesiis & nostra, & superiori memoria palam recitari consuevisse comperimus.

(19) *Sozom. Lib. VII. Cap.* 19. Sic revelationem Petri, quæ ut adulterina a veteribus repudiata est, in quibusdam Ecclesiis Palæstinæ semel quotannis legi animadvertimus, die scilicet Parasceves. *Athan. Epist. ad Rufin. præter canonicos libros alios quoque publice in Ecclesiis legi auctor est. Hi vero, ut ab ipso præscribuntur, sunt.* Sapientia Salomonis, & sapientia Sirach, Esther, Judith, Tobias. Doctrina, ut vocant, Apostolorum, & Pastor. *Hier. de Scripe. Cap. CXV.* Efrem, Edessenæ Ecclesiæ Diaconus, multa Syro Sermone composuit, & ad tantam venit claritudinem, ut post lectionem Scripturarum publice in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitentur.

(20) *Augustin. Epist. CLVIII.* Gesta, quæ promisit præstantia tua, vehementer exspecto, & in Ecclesia Hipponensi jam jam cupio recitari, ac si fieri potest per omnes Ecclesias, etiam in nostra Diœcesi constitutas. *Idem de Civit. Dei Lib. XXII. Cap.* 8. Libelli eorum, qui beneficia percipiunt, recitantur in populo.

(21) *Chrysostom. Homil. III. In II. ad Thessal.* Si quispiam quidem veniat a Rege, omnes acceditis. A Deo autem venit, & e Cœlis loquitur Propheta, & nemo est qui attendat. *Vide etiam Cassianum Collat. X. Cap.* 2.

§. IV. *Conciones in Euangelia, aliosve Sacræ Scripturæ Libros antiquitus vocatæ* Homiliæ, Disputationes, Tractatus, Adlocutiones.

XIV. Sermones, qui proxime Psalmodiam, Lectionesque de Sacris Scripturis excipiebant, ac præsentibus catechumenis habebantur vulgo nuncupati 1. *Homiliæ* a Græco vocabulo Ὁμιλία, quod Sermonem quemcumque significat, sive ab ipso concionatore compositum, sive de libro quodam lectum.

2. Inter latinos plerumque dicti *Tractatus*, uti ex plurimis Cypriani, Ambrosii, Augustini, Optati, aliorumque locis constat. Hinc Augustinus (22), & Claudianus Mamertus de Interpretibus Sacræ Scripturæ sub nomine *Tractatorum*, uti de Sacris Scriptoribus sub nomine *Canonicorum*, vel *authenticorum* loquuntur.

3. Ab Augustino, & Hieronymo (23) haud semel *Disputationes* adpellantur.

4. Tertullianus *De Anima Cap. IX.* eos vocat *Adlocutiones*, ubi universum officium in quatuor partes dividit; nimirum scripturarum lectionem, Psalmorum recitationem, *Adlocutionum* prolationem, & petitionum delegationem.

5. In sacris litteris, ac præsertim in Epistolis S. Pauli (24) dicuntur διδασκαλίαι Doctrinæ, & Prædicantes appellantur Διδάσκαλοι Doctores, quod Vincentius Lirinensis *Commonit. Cap. XL.* observat idem esse, ac *Tractatores* posteriorum ætatum.

6. Tandem ipsemet Paulus 1. *ad Corinth. Cap.* 11. *v.* 14. ad idem significandum vocabulo utitur κήρυγμα *Præconium;* quæ vox nonnunquam ab Ecclesiasticis Scriptoribus post ipsum adhibetur. At illud hic omnino notandum, vocabula κῆρυξ, κηρύσσειν, κήρυγμα plerumque a Græcis Scriptoribus usurpari ad significandam illam partem officii Diaconi, quam ille tanquam communis Ecclesiæ præco peragebat, cum dictitabat usitatas precum formulas populo, in quibus se conjungere debebant, & cum illos provocabat tanquam Dux, & Director eorum in reliquis Divini cultus partibus universis: de qua re plura alibi diximus.

§. V. *Concionari ordinariis in casibus nonnisi Episcoporum, & Presbyterorum officium antiquitus fuit.*

XV. Equidem ex Concilii Vasensis decreto (25) Presbytero ægrotante Diaconis permissum est Sanctorum Patrum homilias recitare: verum isthoc, aliisque extraordinariis ejusmodi casibus exceptis, rarius etiam homilias legendi Diaconis indulta venia est: adeo Verbi Divini Prædicatio ad Episcopos, & post hos ad Presbyteros spectare credita est. In Ecclesiis Africanis Presbytero nunquam permissum

(22) *Augustin. De Catechiz. rudibus* Cap. 8. Nec ipse sane inutiliter interrogatur, quibus rebus motus sit, ut velit esse Christianus; Ut si libris ei persuasum esse videris, sive *Canonicis*, sive utilium *tractatorum*, de his aliquid in principio loquaris, collaudans eos pro diversitate meritorum canonicæ auctoritatis, & exponentium solertissimæ diligentiæ &c.

Adde Mamert. de statu Animæ Lib. II. Cap. X. Sed nunc locus, & tempus est, ut sicut a Philosophia ad *tractatores* ad *authenticos* gradum consequar, ita &c. *Idem Lib. I. Cap.* 22. Post authenticorum plurimos *Tractatores* &c.

(23) *August. Tract. LXXXIX. in Joan.* Quomodo id fieri possit, si adjuvante Domino per me demonstrari potest, quia hæc *disputatio* est claudenda jam, nunc non potest. *Hier. Epist. XXII. ad Eustoch. Cap.* 15. Post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonant, scripturæ recitantur ex more, & completis orationibus, cunctisque residentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit *disputare*: quo loquente tantum silentium fit, ut nemo alium respicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus in fletu est audientium.

(24) *Vide Paul. Apost. Epist. I. ad Corinth.*

(25) *Conc. Vasense II. Can.* 2. Si Presbyter aliqua infirmitate prohibente per se ipsum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum Homiliæ a Diaconibus recitentur. Si enim digni sunt Diaconi, quæ Christus in Euangelio loquutus est, legere, quare indigni judicentur Sanctorum Patrum expositiones publice recitare?

missum est concionari coram Episcopo ad Augustini usque ætatem; verum in Ecclesiis Orientalibus Presbyteri interdum, & quidem coram Episcopo concionabantur. At Presbyteri sermonem statim e vestigio sermo Episcopi excipiebat; uti ex praxi Chrysostomi, Flaviani Antiochiæ, aliisque exemplis planum est.

XVI. In minoribus Civitatis, regionisque circumjacentis Ecclesiis hoc officium ad Presbyteros devolvebatur, ceu proprios Episcopi Adjutores, necnon particularium illarum Ecclesiarum ceu Prælatos. Prædicatio namque divini Verbi præcipuum, necessariumque Episcopalis, & Pastoralis officii munus semper habitum est. Hinc Chrysostomus *Hom. X. in I. ad Timoth. Cap. 3.* in illud D. Pauli *Oportet Episcopum esse διδακτικὸν aptum ad docendum* scribit: *Ista* (sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, &c.) *& in subditis plerumque videas* (*oportet enim hos in his aquales esse rectoribus*). *Verum quoniam oportet Episcopum, & quæ sunt rectoris habere: idcirco subjunxit διδακτικὸν. Hoc quippe a subditis nequaquam exigitur, ceterum illi ante omnia adesse debet, qui hujusmodi suscepit officium*: & alibi *Hom. II. in Tit. Qui ignorat rectam, sanamque doctrinam, ut oportuerit, tradere, porro a Sede Episcopali Doctrinæ arceatur.* Hic Chrysostomus Sedem Episcopalem *Sedem Doctrinæ*, sive thronum docendi adpellat, uti quoque munus Episcopi *Officium docendi* ab Ambrosio dicitur, & a Cyrillo Alex. (26) *Dignitas docendi*. Hinc Regula in Canonibus Apostolorum est *Can. LVIII. Episcopus, aut Presbyter clerum, vel populum negligens, & non docens eos pietatem, segregetur; si autem in socordia perseveret, deponatur*. Similia reperies apud Hieronymum, Basilium, Cyprianum, Augustinum (27), aliosque.

XVII. Ecclesiasticæ quoque leges, & Imperiales gravissimis sententiis idem Pastoribus officium inculcant. Ita Concilium Laodicenum *Can. XIX.* Valentinum *Can. I.* ac præcipue Trullanum *Can. XIX.* sic decernit: *Oportet eos, qui præsunt Ecclesiæ in omnibus quidem diebus, sed præcipue in Dominicis, omnem Clerum, & populum docere pietatis, & recta religionis eloquia, ex Divina Scriptura colligentes intelligentias, & judicia veritatis*. Profecto nullum pene est Concilium sive Generale, sive Provinciale, quod Episcopis, aliisque animarum Pastoribus Verbi divini Prædicationem non inculcet, immo & præcipiat; attamen nullum est munus, quod frequentius ab Episcopis neglectum conspiciamus, quam Verbi Divini Prædicatio. Quid mirum si plerumque in cleri, populique morum Reformatione Episcopis tam infeliciter res cedant! Eruditus Habertus *Archieratic. Part. VII. Observ.* 5. rem dicit notatu dignissimam ad excitandum eos, quibus scribit: nimirum *scire se, expertumque esse plus esse momenti in unius Episcopi verbo ad Populum, quam in sexcentis aliorum quantumvis excultis Orationibus, & elaboratis*. Verum ante Habertum idem pene dixerant Concilii Valentini

(26) *Ambros. de Offic. Lib. I. Cap. I.* Episcopi proprium munus, docere populum: *Ac paulo post:* Quum jam effugere non possimus Officium docendi &c. *Cyrill. Epist. ad Monach. in Conc. Ephesino part. I. Cap. XXVIII.* Sin ea facere recusarit, ab Episcoporum cœtu, nec non a Ministerii Dignitate διδασκαλικῷ ἀξιώματος se prorsus alienum, extorremque esse intelligat.

(27) *Hieron. Epist. II. ad Nepot.* Quod Aaron, & Filios ejus, hoc Episcopum, & Presbyteros ejus esse noverimus... Recordemur sæpe, quod Apostolus Petrus præcipiat Sacerdotibus: Pascite eum, qui in vobis est, gregem Domini: *Paulo vehementius, sed verius tamen in ἀλόγους Episcopos stylum stringit Basilius Epist. CCXCIII.* Nonne mysterium illud magnum ludibrio exponitur, dum sine populo, & Clero deambulant Episcopi, nudum tantum nomen circumferentes, nec quidquam omnino facientes, ad promovendum illud pacis, & salutis Evangelium? *Chrysost. de Sacerd. Lib. IV. Cap.* 8. Hic demum doctrinæ terminus consumatissimus, cum Sacerdotes tum factis, tum verbis eos, quos erudiunt, ad beatam vitam a Christo inductam conducunt. Neque enim nuda facta satis sunt ad hoc, ut alios edoceas, nisi & cum his verba accedant; quæ vox non mea est, sed Servatoris nostri Jesu: Quisquis enim, inquit, fecerit simul ac docuerit, hic magnus vocabitur. *Vide eadem Lib. VI. Cap. 1. ubi incuriosos Episcopos, verbique Dei negligentes æternis ignibus addictum iri dicit. Consulas etiam Cyprian. de lapsis, & Augustin. Serm. XXV.*

lentini Patres, *Can. I. Pontificum Praedicatione audita*, inquiunt, *nonnullos ad fidem attractos evidenter scimus*.

XVIII. Sozomenus (28) de Ecclesia Romana scribit, quod ibi nec Episcopus, nec quis alius sermones ad populum habuerit: verum Pagius *in Baron. ad ann. LVII.* & Quesnellius *Dissert. VI. de Jejun. Sabbati* Sozomenum errasse, & quum Graecus fuerit, hanc relationem ex incerto rumore accepisse existimant. Et sane pene Sozomeni aetate (licet Valesii sententia, aliquantò postquam Historiam scripsit) S. Leo Papa non modo sermones ad Populum constanter habuit; verum & consuetudinem Ecclesiae Romanae, ut diebus festis sermo ad populum haberetur, indicat in Sermone III. *de Epiphania*, ubi id praecipuum, immo & necessarium Episcopalis ministerii officium esse aperte statuit scribens: *Ut nostri nihil desit Officii; loqui de eadem*, (sollemnitate) *quod Dominus donaverit audebo*. Adhaec habemus ex Ambrosio *Lib. III. de Velandis Virgin.* Liberium Papam Romae in Ecclesia S. Petri die Natalis Domini sermonem habuisse praesente Bononiensi Episcopo ad Marcellinam Sororem Ambrosii, aliasque virgines tunc in Ecclesia virginitatem profitentes. Praeterea Justinus M. *Apol. II.*, quam Antonino Pio, & Senatui urbis Romae obtulit, disertis verbis dicit, quod post lectionem Apostolorum, & Prophetarum *προεστὼς* Praesidens, sive Episcopus Orationem habeat, qua populum instruat. Igitur Sozomenus ea in narratione deceptus est; nisi credere malimus aetate Sozomeni consuetudinem Romae invaluisse, ut per Diaconum celebrium Scriptorum Homiliae inter alias lectiones, vel statim post illas lectae sint: donec Leo M. vetustam concionandi rationem denuo in Romanam Ecclesiam invexerit (29).

XIX. Illud hic quaeri potest, num Laicis concionandi veniam unquam in Ecclesia concessa fuerit. Et quidem id privatim in Scholis Catecheticis, ceu catechistas Alexandriae, aliisque in locis praestitisse dubium non est. Hieronymus *De Script. Eccles. Cap. XXXVI.* multos celebres viros, plerosque laicos in Alexandrina Schola longa sibi serie successisse scribit, qui ideo Doctores Ecclesiastici adpellati sunt. Aliquando Monachi, qui tantum laici erant, publice in Ecclesia concionari audebant; at id improbabatur, & puniebatur, tanquam functionis ad eos non spectantis usurpatio, uti constat ex binis S. Leonis M. Epistolis LXII. ad Maximum Antiochenum, & LXI. ad Theodoritum Episcopum Cyri. Verum non desunt in veteri Ecclesiastica historia exempla licet perpauca, quibus docemur hominem laicum aliquando ex speciali quadam Episcopi auctoritate publice in Ecclesia concionem habuisse. Ita Origines, ut narrat Eusebius (30) ab Alexandro Hierosolymitano, & Theoctisto Caesareensi Episcopis rogatus fuit, ut publice in Ecclesiis, tametsi nondum ordinatus, divinas Scriptu-

(28) *Sozom. Lib. VII. Cap. 19.* In eadem urbe Romae nec Episcopus, nec alius quisquam populum docet.

(29) *Valesius in Notis ad Sozom. Cap. XIX. Lib. VII. ejus Scriptoris testimonium velis, remisque tueri satagit; neque ad ipsam Ambrosii auctoritatem sibi temperat, quin Liberii Sermonem* extraordinarium *fuisse dicat*, *Sozomenus vero loqui de* ordinaria *consuetudine. Atqui praeter superius producta testimonia alia suppetunt argumenta, quibus de more concionatos fuisse Romanos Pontifices credas. Cyprianus Epist. LVII. Edition. Pamel. ad Cornelium P. datam eundem publice populum, & clerum docuisse testatur. Tertullianus jam muliebribus Montani praestigiis fascinatus Zephyrinum P. incusat, quippe qui de poenitentia peccatoribus indulta publice concionaretur. Lib. de Pudic. Cap. XIII.* Et Tu quidem poenitentiam Moechi inducens ..... in eum hominis exitum quantis potes misericordiae illecebris bonus Pastor, & Benedictus Papa concionaris, & in Parabola ovis capras tuas quaeris. *Xistus III. quem statim in Pontificatu excepit Magnus Leo, publice etiam docuisse dicitur ipsi Leoni Serm. LXXXVIII.* Magnificus structor parietum, sed magnificentior aedificator animarum ... ut in ipso frueretur devota posteritas & habitando, quod condidit, & faciendo, quod docuit. *An non docere, & concionari id est ipsum solemne διδάσκειν, quod tamen Romanis Episcopis negat Sozomenus?*

(30) *Euseb. Lib. VI. Cap. 19.*

pturas exponeret. Et quum Demetrius Alex. de hac re acriter conquereretur, moneretque id numquam antea in Ecclesia factum esse, Alexander datis ad eum Epistolis respondit, in eo ipsum a veritate longissime aberrare. Nam subnectit, quod sicubi reperiantur, qui fratribus prodesse possint, eos sancti Episcopi adhortari consueverint, ut conciones ad populum haberent. Sic. Euelpidem Larandis rogatum esse a Neone, Paulinum Iconii a Celso, Theodorum apud Synada ab Attico.

XX. Jam vero hi, quum speciale Episcopi mandatum habuerint, profecto usurpationis nomine haud poterant accusari. Huc facere videtur Concilii Carthag. IV. *Canon XCVIII.* quo decernitur: *Laicus præsentibus Clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non audeat*. Unde eruditus Hallierus colligi posse credit laicis ex indulgentia concionari licuisse.

XXI. Verum mulieres quantiscunque donis instructæ nunquam in Ecclesia concionandi habuerunt libertatem: *Apost. I. ad Cor. Cap. XIV. v. 34. 35.* diserte ait: *Mulieres in Ecclesia taceant: non enim permittitur illis loqui, sed subditas esse... Turpe enim est mulieri in Ecclesia loqui*. Et hæc Regula semper in Ecclesia perquam exacte servata est; hinc Concilium Carth. IV. Can. XCIX. statuit: *Mulier quamvis docta & sancta viros in conventu docere non præsumat*. Verum privatim feminas docere, & catechumenas ad baptismum præparare ipsis permittunt idem Carthag. Concilium, & Auctor breviorum adnotationum in Epistolas Pauli sub nomine Hieronymi (31). Jam alibi hæreticorum meminimus, qui feminis docere, disputare, exorcismos agere, administrare baptismum, atque adeo præcipua Sacerdotii officia concesserint, contra manifestam Apostoli Regulam, qui ne interrogare quidem publice in Ecclesia eis permisit (32).

§. VI. *In una eademque congregatione duo, ac etiam plures Sermones nonnunquam habiti*.

XXII. Haud raro accidebat, ut in uno eodemque fidelium conventu primum presbyteri concionarentur, ac deinde etiam Episcopus, qui Presbyterorum sermones paterna adhortatione confirmabat. In hanc rem Auctor Constitutionum sic præscribit *Lib. II. Cap. LVII. Quum recitabitur Evangelium omnes Presbyteri, ac Diaconi universusque populus magno cum silentio stent: Post hæc Presbyteri exhortentur populum, singuli nimirum non autem omnes, & cunctorum postremus Episcopus, qui similis est rectori navis*. Atque id in plerisque Orientalibus Ecclesiis obtinuisse evidenter colligitur tum ex pluribus Chrysostomi adhuc presbyteri Sermonibus, in quibus perspicue de Flaviano Episcopo tanquam post se concionaturo loquitur: tum etiam ex Basilio, Gregorio Nysseno, Theodoreto, Augustino, Hier., aliisque (33), quorum testimonia hic pro-

O 2 ducere

(31) *Conc. Carth. IV. Can. XII.* statuit, ut Diaconissæ *tam instructæ sint ad officium, ut possint apto & sano sermone docere imperitas & rusticas mulieres. Pseudo-Hieron.* Comment. in Rom. XVI. vers. 1. sicut etiam nunc in Orientalibus Diaconissæ mulieres in sexu ministrare videntur in Baptismo, sive in Ministerio verbi, quia privatim docuisse feminas invenimus.

(32) *Erant hi Montanistæ, apud quos feminis non solum officium docendi impertiebatur, sed hæ Episcopi creabantur. Sat nota sunt inter Pepuzianos Montani propaginem Quintillæ, & Priscillæ Episcopatu insignes, quod docet Epiph. Hæres. XLIX. & Augustin. Hæres. XXVII. His accensendi sunt Collyridiani, ut est apud Epiph. num.* [illegible] *qui* [illegible]*, sive tortam panis B. M. Virginis offerebant, ejusdemque nomine consecrabant. Firmilianus Epist. LXXV. ad Cyprian. Cataphrygis etiam mulieris meminit, quæ* sanctificare se panem, & Eucharistiam facere simularet, & sacrificium Domino, non sine Sacramento solitæ prædicationis offerret: baptizaret quoque multa, & legitima verba interrogationis usurpans.

(33) *Basil. Homil. XVIII. in Barlaam:* Exurgite nunc, o præclari athleticorum gestorum pictores, mutilem ducis imaginem vestro illustrate artificio & obscurius a me depictum coronatum athletam vestræ industriæ coloribus conspicuum reddite. *Loquitur enim de iis, qui post ipsum Martyrem laudaturi erant. Gregor. Nissen. in suis Ordinat.* Ne igitur longius vobis fratres, sermonis

ducere nimis longum omnino esset. Quin immo Hier. contrarium Ecclesiarum Ægypti, & Africæ morem sic reprehendit *Ep. II. ad Nepot. Pessimæ consuetudinis est in quibusdam Ecclesiis tacere Presbyteros, & præsentibus Episcopis non loqui, quasi aut invideant, aut non dignentur audire: quum tamen regula apostolica habeat: Si quid alii fuerit revelatum sedenti, prior taceat: potestis enim per singula prophetare, ut omnes discant, & omnes solatio confirmentur.* Præterea si duo pluresve Episcopi in eadem præsentes essent congregatione, nonnulli eorum alius post alium concionari solebant, uti de Epiphanio, & Joanne Episcopo Hierosolymitano scribit Hieronymus, quod eodem tempore alter post alterum in eadem Constantinopolitana Ecclesia concionatus sit (34). Id quod Constantinopoli persæpe accidebat, ubi plures plerumque Episcopi ad procurandum aliquod in aula negotium, vel agitanda cum Patriarcha de rebus Ecclesiæ consilia eodem simul tempore præsentes erant.

XXIII. Duo hic juvat subnectere; Primum: quibusdam in locis sermones singulis habitos esse diebus, id quod de monachis Ægypti observat Hier. (35); & de Origene refert Pamphilus, quod ferme quotidie sermones ex tempore habuerit ad populum. In Gallia etiam Cæsarius celebris Ecclesiæ Arelatensis Episcopus fere quotidie ad matutinas, & lucernales preces Homilias recitasse scribit Auctor vitæ illius (36). Adhæc Augustinus in suis homiliis frequenter remittit ad Sermones habitos heri, & hesterna die (37). At vero potissimum jejunii quadragesimalis tempore quotidie; necnon &, in festis martyrum diebus haud raro bis terve in eadem Hebdomada occurrentibus sermones, orationesque Panegyricas haberi consuevisse ex Chrysostomo, Augustino, aliisque perquam manifestum est (38).

XXIV. Alterum: duos in una die multis in locis Sermones fuisse recitatos; vel utrumque mane, priorem quidem in missa Cathecumenorum, in quo vel tantummodo de moralibus, vel de divinis quidem mysteriis, sed nonnisi obscure disserebant; alterum semotis catechumenis, in quo aperte de divinis mysteriis, ac de ipsa Sacramentorum ratione disputabant: id ex Ambrosio, Theodoreto, Augustino, aliisque constat (39). Vel alterum mane, alterum vero vesperi; id ex pluribus

nis exordium protrahamus, cum mirificis eorum, qui ante nos dixerunt, orationibus operam dederitis &c. *Theodoret. in 1. ad Cor. XIV. v. 31.* Hic ordo mansit in Ecclesiis in præsens usque tempus, & ex Doctoribus alii quidem in hac Concione, alii vero in alia ad Populum verba faciunt. *Vide etiam Augustin. Serm. in Psalm. XCV. atque alibi.*

(34) *Hieron. in Epist. LXI. ad Pammach.* Recordare quæso illius diei, quando ad horam septimam invitatus populus spe sola, quasi postea auditurus Epiphanium esset, detinebatur, quid tunc concionatus sis . . . postquam lassus ore arido, resupinaque cervice, ac trementibus labiis conticuisti; & tandem totius populi vota completa sunt, quid tibi fecit delirus, & fatuus senex? Surrexit, ut se indicaret pauca dicturum esse, salutataque, & voce, & manu Ecclesia, cuncta, inquit, quæ loquutus est collegio Frater, ætate Filius &c.

(35) *Hieron. Epist. XXII. ad Eustoch. Cap. 15.* Post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonant, scripturæ recitantur ex more, & completis orationibus, cunctisque residentibus, medius, quem patrem vocant, incipit disputare.

(36) *Cyprian. Tolonensis Vit. Cæsarii Cap. IV. ap. Mabillon. De Cursu Gallicano*: Frequenter etiam ad matutinos, & lucernarium propter advenientes recitabat Homilias, ut nullus esset, qui se de ignorantia excusaret.

(37) *Augustin. Serm. 11. in Psalm. LVIII.* Hesternus sermo protractus debitorem me in hodiernum reliquit. *Serm. in Psalm. LXIII.* Hesterno die multa audivit caritas vestra, nec hodie tamen huic festivitati negare potuimus nostram servitutem. *Id vero pene sententis in locis apud Augustinum observare est.*

(38) *Chrysostom. Tom. I. Serm. XXXI. De Philogonio, Serm. XL. de Juventino, & in sequentibus de Pelagia, Ignatio, Romano, Mesio, Juliano, aliisque. Adde August. Serm. in Psalm. LXXXI. alibique.*

(39) *Ambros. de iis, qui mysteriis initiantur Cap. 1. De Moralibus* quotidianum sermonem habuimus . . . ut hinc informati, atque instituti adsuesceretis majorum ingredi vias, eorumque iter

car-

tibus Chrysostomi Homiliis colligitur, in quibus vel se tunc sermonem recitare vespertinum dicit, vel de sermone vespere habendo loquitur. Verum id de civitatibus, & majoribus Ecclesiis maxime intelligendum est. Nam in parœciis ruralibus sermones non adeo frequentes fuere. *Qui urbes incolunt*, inquit Chrysostomus *Hom. LXV. de Martyr.*, *assidua doctrina fruuntur: at qui degunt in agris non tanta satietate patiuntur. Itaque Doctorum penuriam martyrum abundantia solatus est Deus*, *& ita disposuit*, *ut plures apud illos martyres sepelirentur*. Jam vero in anniversariis martyrum diebus universa civitas prodibat ad memoriam eorum recolendam in Ecclesiis, ubi jacebant sepulti, qua occasione ibidem concio ab Præside sive Episcopo habebatur: aliis autem temporibus qui parva oppida incolebant in Ecclesias Civitatis ad audiendas conciones confluebant. Non nisi ineunte Seculo VI. consuetudo concionandi per Ecclesias rurales in Ecclesia Gallicana generatim obtinuit, uti ex decreto Concilii Vasensis anni 529. licet colligere (40)

§. VII. *De diversis concionandi methodis in veteri Ecclesia.*

XXV. Jam alibi descripsimus quodnam discrimen intercesserit inter Sermones ad Catechumenos, & Sermones ad fideles habitos: hic tantummodo in methodum concionandi inquiremus: juxta quem in quatuor genera distinguebantur. Erant enim 1. Expositiones Scripturæ. 2. Sermones Panegyrici in Martyres, & Sanctos. 3. Sermones in specialiora tempora, occasiones, & festivitates. 4. Sermones de præcipuis doctrinis, & argumentis moralibus ad illustrandam veritatem contra hæresim, & commendandum virtutis exercitium. Horum generum omnium exempla in plerisque antiquis doctoribus occurrunt; ac præcipue in Origene, Chrysostomo, Cypriano, Augustino, Nazianzeno, Basilio, Ephrem Syro peritissimis priorum seculorum concionatoribus.

XXVI. In hanc rem illud juvat observare veterum sermones aliquando præmeditatos fuisse, litterisque ante consignatos; aliquando vero ex tempore sine ulla prævia compositione fuisse habitos; quos notarii (41) veloci manu scriben-

carpere, ac divinis obedire mandatis, quo renovati per Baptismum ejus vitæ usum teneretis, quæ ablutos deceret. Nunc de *Mysteriis* dicere admonet, atque ipsam Sacramentorum rationem edere. *Theodoret. quæst. XXV. in Num.* Obscure propter non initiatos disserimus de divinis mysteriis: his vero semotis initiatos aperte docemus. *Augustin. Serm. 1. ad Neophyt. in Append. Tom. X.* Dimissis jam Catechumenis, vos tantum ad audiendum retinuimus. *Vide etiam Gaudentium* tractat. IV. & V. *Chrysostomum*, *aliosque*.

(40) *Concil. Vasens. II. Anno DXXIX. Can.* 2. Hoc etiam pro ædificatione omnium Ecclesiarum, pro utilitate totius Populi nobis placuit, ut non solum in Civitatibus, sed etiam in omnibus Parochiis verbum faciendi daremus Presbyteris potestatem. Si Presbyter, aliqua infirmitate prohibente, per se ipsum non potuerit prædicare, Sanctorum Patrum Homiliæ a diaconibus recitentur.

(41) *Notarii*, *Græce* Ὑπογραφεῖς, *notissimum munus vetustis etiam Ecclesiæ temporibus. Sævientibus enim in nostros Romanis, quæque Ecclesia suos habebat Notarios, quorum id munus erat, ut acta publicæ Ecclesiæ, Martyrumque agones in adversariis exscriberent. Notariorum mentio occurrit disertissima in Actis SS. Martyrum Marciani, & Martyrii apud Surium die XXV. Octobris.* Apud divinum ergo Paulum commorantes cum Scribæ essent eorum, quæ fierent, & Populo Divinas Scripturas legerent &c. *Nicephorus etiam* Lib. IX. Cap. 30. *eorumdem Martyrum Marciani, & Martyrii meminit, quos itidem Pauli Constantinopolitani Episcopi domesticos fuisse dicit, atque Notarios.* Οἱ σύνοικοι, καὶ ὑπογραμματεῖς χρηματίζοντες Παύλῳ. *Adhæc & per Africam, disputantibus Catholicis cum Donatistis, eorum controversiæ ab publicis utrorumque Notariis exscriptæ fuerunt.* Excipientibus quoque Januario, & Vitale Notariis Ecclesiæ Catholicæ, Victore, & Cresconio Notariis Ecclesiæ Donatistarum: *Ut est in Gestis Collationum inter Catholicos, & Donatistas. Jam vero desitis jam in Christianos persequutionibus, quisque etiam Episcopus suos habuit Notarios, qui & Acta Ecclesiastica, & Sermones Episcoporum scripto exciperent. Sic teste Sozom. Lib. II. Athanasius Notarius fuit Alexandri, Proculus Attici, teste Socrat. Lib. VII.*

Horum quandoque peculiaris erat ordo in Ecclesia, quandoque iidem, ac Lectores. Sane Martyrium,

bendi artem callentes exceperint; plures ejusmodi sermones habuit Origenes. Verum ex Eusebio *Lib. VI. Cap. XXXVI.* Origenes hanc concionandi methodum jam sexagenario major adgressus est, quum ex diuturna exercitatione maximum dicendi usum sibi comparasset. Chrysostomum quoque ejusmodi concionandi ratione aliquando usum fuisse tradit Sozomenus (42): adhæc ex multis ejus homiliis colligitur quod sæpius in medio sermone ex occasione quadam fortuito interjecta orationem suam ab argumento, quod præ manibus habebat, ad aliud converterit (43). Idem de Augustino scribit Possidius in ejus vita *Cap. XV.* Rufinus *Hist. Lib. II. Cap. IX.* in laudem Nazianzeni, & Basilii loquens extare dicit utriusque ingenii monimenta magnifica tractatuum, quos ex tempore in Ecclesia declamarint. Tandem de Attico scribit Socrates, *Lib. VII. Cap. II.* quod adhuc presbyter Sermones antea studiose elaboratos memoriter didicerit, & sic in Ecclesia recitarit; postea vero ex laboris adsiduitate fiduciam nactus sit ex tempore loquendi. Quisnam hic nimiam quorundam nostræ ætatis concionatorum confidentiam non deploret, qui de Christianæ Religionis mysteriis gravissimis dicturi nihil minus curant, quam ut ne imparati ad Verbi divini prædicationem accedant?

§. VIII. *De Ritibus, & Cæremoniis in ipso concionandi actu servatis.*

XXVII. Ac 1. ille antiquitus mos in Ecclesia viguit, qui & modo etiam viget, ut concionaturi sermonem cum brevi auxilii divini petitione auspicarentur; ac idcirco populi etiam precibus se commendarent. Hinc frequentes apud Augustinum formulæ illæ, *Det nobis Dominus aperire mysteria* ad Psalm. XCI. Et in Ps. CXXXIX. *Donet mihi aliquid dignum de se dicere: Adjuvet Deus orationibus vestris, ut ea dicam, quæ oportet me dicere, & vos audire*; & Chrysostomus *Hom. XXVIII. Sermoni oratio debet anteire.... Sic Paulus facit, quum in exordiis suarum Epistolarum orat.* Præterea etiam petitione Sermones finire consueverunt; id ex Augustino perquam manifestum est, cujus plures Homiliæ clauduntur nota quadam precationis formula, quam vide inferne (44).

XXVIII. 2. Multis in locis salutatio *Pax vobis* in Sermonis initio adhibita est, ad quam Populus respondebat: *Et cum spiritu tuo.* Auctor Constitutionum hanc

rium, & Martianum Lectores fuisse, patet ex eorundem Actis, licet ab iis discrepare video Sozomenum Lib. IV. Cap. 3. ubi Martyrium Subdiaconum, Marcianum Lectorem fuisse dicit. Plerumque vero prorsus diversus erat ordo, dispar officium. In Decreto Gelasii Cap. II. varii gradus Ecclesiastici recensentur, Lectores, Notarii, & Defensores. *Adde vitam Cæsarii Arelat. Cap. II.* Lector, aut Notarius non cessabat coram illo clamare. *Immo & Altari etiam inservisse colligas ex Sacram. Gregoriano.* Et tunc illuminantur duo Cerei, quos tenent duo Notarii. *Vide Dufresnium, & Valesium ad Lib. V. Socratis Cap. 22. quem tamen mireris non penitus ab Lectoribus Notarios discriminasse.*

(42) *Sozom. Lib. VIII. Cap. 29.* Coactus itaque ex tempore quoque habuit orationem σχέδιόν τινα διεξῆλθε λόγον.

(43) *Ut ecce in Homil. IV. in Gen. cujus cum argumentum Populo explanaret, accidit forte, ut Clerico sacra luminaria accendente continuo Populus, ut assolet, ab eo in lucernas ipsas, clericumque oculorum aciem converteret. Jam vero Chrysostomus abrupto sermone reliquam Homiliæ partem contra Populum acuit, increpuitque graviter, quod ab se, qui lumen eis Scripturarum effunderet, aversos oculos in ceratas lucernas intenderent.*

(44) *Augustin. Serm. XXX. De Verbis Dom. Tom. X.* Conversi ad Dominum Deum Patrem Omnipotentem puro corde, & quantum potest parvitas nostra, maximas, atque uberes gratias agamus, precantes toto corde singularem mansuetudinem ejus, ut preces nostras in beneplacito suo exaudire dignetur, inimicum quoque a nostris actibus, & cogitationibus sua virtute expellat, nobis multiplicet fidem, mentem gubernet, spirituales cogitationes concedat, & ad beatitudinem suam perducat per Jesum Christum Filium suum. *Hanc eandem clausulam sæpe etiam aliis Augustini homiliis præfixam videre est.*

hanc vocat πρόσρησιν (45). Et Chrysostomus *Hom. III. ad Coloss. Qui præest Ecclesiæ*, inquit, *quando sermonem facit, & concionatur, dicit: Pax vobis*. Ibidem scribit, quod populus salutationem pacis reddere consueverit: *Et cum Spiritu tuo;* cujus moris originem ab ipsis deducit Apostolorum temporibus, quando Ecclesiæ doctores ipse Sanctus Spiritus monebat, & adflabat: quod extraordinarium inspirationis donum licet desiisset, omnes tamen concionatores adhuc a Spiritu S. duci, & adjuvari, licet gradu quodam minore, docet ipsemet Chrysostomus (46). Optatus eandem populum salutandi consuetudinem tam initio, quam in fine sermonis in Africa quoque viguisse scribit. *Lib. IV. Episcopalis tractatus probatur salutatione geminata; non enim aliquid Episcopus ad populum dicere, nisi primo in nomine Dei populum salutaverit. Similes sunt exitus initiis*.

XXIX. 3. Nonnunquam Sermoni brevis quædam benedictio præmissa est: id ex pluribus Chrysostomi Homiliis constat. Verum id publicarum calamitatum, ac faustæ ab illis liberationis temporibus peculiare fuisse eædem indicant Chrysostomi Homiliæ (47).

XXX. 4. Sermones aliquando sine ullo textu habiti sunt, quum id plerumque veteres Episcopi tractare curaverint, quod ad plebis ædificationem magis facere crediderint. At nonnunquam in plures textus Homilias recitarunt; uti Augustinus *de Verbis Ap. Serm. X.* de materia laudis, ac gratiarum actionis ex Epistola, Psalmo, & Euangelio in eadem Homilia verba faciebat, quia in singulis aliquid erat, quod ad hanc materiam spectabat.

XXXI. 5. Sacræ Conciones Sanctissimæ Trinitatis laudatione conclusæ semper, & terminatæ: id non modo Augustinus, Chrysostomus, Basilius, Leo M. aliique præstitere, qui post Arianam hæresim claruerunt; verum & Origenem, Dionysium Alex. aliosque antiquiores præstitisse auctor est Basilius (48).

XXXII. 6. Conciones ut plurimum a sedentibus habitæ sunt: hanc Africanarum Ecclesiarum praxim fuisse Optatus, & Augustinus (49) testantur. Eandem consuetudinem in Orientalibus quoque Ecclesiis viguisse probant perspicua Chrysostomi, Nysseni, aliorumque testimonia (50). Adhæc Justinus M., Origenes, Athanasius, & Chrysostomus, dum se in fine sermonis *cathedra exsurgere ad preces* adse-

(45) *Constit. Apost. Lib. VIII. Cap. V. hanc Episcopo recens ordinato praxin præscribunt*: Post lectionem legis, & Prophetarum ac Epistolarum, & Actorum, atque Euangeliorum, ordinatus Ecclesiam salutat, dicens: Gratia Domini nostri Jesu Christi, Caritas Dei, ac Patris, & Communicatio Spiritus S. cum omnibus vobis. Ac universi respondeant: Et cum spiritu tuo. Et post salutationem (μετὰ τὴν πρόσρησιν) Populum adloquatur verbis exhortationis.

(46) *Chrysostom. Homil. XXXVI. de Pentecoste*. Nisi esset Spiritus S. in hoc communi Patre, ac Doctore (*Episcopum intellige*) cum sacrum tribunal ascendit, ac vobis omnibus pacem dedit, eique simul omnes acclamastis: & cum spiritu tuo. *Id vero moris ex Apostolorum ætate repetit Homilia XXXVI. in 1. ad Cor.* Quando, *inquit*, inceperimus dicere, Populus respondet: Et cum spiritu tuo, ostendens, quod olim sic dicebant non sua moti sapientia, sed Spiritu.

(47) *Utriusque generis exempla passim visas in Chrysostomi Homiliis Antiochiæ habitis, cum verebantur, ne jussu Imperatoris ea deleretur Civitas. IV. enim Sermonem sic orditur*: Benedictus Deus, qui dolentes animas vestras consolatus est. *Idem initium præseferunt Homiliæ XI. XII. XIII. XX. Revocatus autem ab exilio sic Populum affatur Homil. post reditum*. Quid dicam? Quid loquar? Benedictus Deus, hunc egrediens dixi sermonem: Hunc iteravi recurrens. *Id vero aiebant, illud Jobi imitantes*: Sit nomen Domini benedictum.

(48 *Basil. De Spir. Sancto Cap. XXIX. Tom. II.*

(49) *Optat. Lib. IV.* Dum peccatorem arguit, & sedentem increpat Deus, specialiter ad vos dictum esse constat non ad populum, qui in Ecclesia sedendi non habet licentiam. *Increpat his verbis Donatistas Optatus ex illo Psalmistæ commate*: Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversum filium matris tuæ ponebas scandalum. *Augustinus Homil. XXVIII. de se concionante sic loquitur, ut sedisse indicet*. Quid volo? Quid desidero? Quid cupio? Quare loquor? Quare hic sedeo? Quare vivo, nisi hac intentione, ut cum Christo simul vivamus?

(50) *Justinus Mart. Apol.* Præsidens Orationem, qua Populum instruit, & ad imitationem tam pulcrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc consurgimus communiter omnes, & precationes profundimus. *Adde etiam Orig. Homil. XX. in Numer. Nyssen. Homil. V. De Orat. Dom., & Chrysost. Homil. contra Hæretic. Videsis Ferrarium Lib. II. Cap. 9.*

ferunt, profecto quod fedentes fint concionati manifefto indicant. Athanafii *Hom. de Semente* tantummodo locum hic proferre liceat: *Ceterum*, inquit, *quia & fermo nofter fatis proceffit*, *furgentes & nos ipfi extendamus manus*. Auctor commentarii (51) in Ep. S. Pauli fub nomine Ambrofii obfervat hactenus explicatam praxim ex Synagoga fuiffe adfcitam. Et fane Scribas, & Doctores Judæorum communiori ritu legem in Synagogis fedentes explicaffe plura demonftrant Evangelii loca. Verum non negaverim veteres aliquando ftantes fuiffe concionatos, uti aliquot Chryfoftomi, & Auguftini (52) loca indicant: at hæ generalis regulæ exceptiones funt.

XXXIII. 7. Auditores quod fpectat in Ecclefiis Africanis generali regula ftantes fermones audire debuiffe Optatus, & Auguftinus clare produnt (53). Eandem Ecclefiæ Gallicanæ praxim fuiffe ex Sidonio Apoll. conftat: ac etiam ex Cæfario Arelat. colligitur (54), qui nonnifi infirmioribus fedendi libertatem indulget, reliquis autem fœminis non minus quam viris, hoc privilegium denegat. Verum in Italicis, ac plerifque Orientalibus Ecclefiis contrariam viguiffe confuetudinem, nimirum, ut populus fedens concionem audiret, haud obfcure indicat Auguftinus, Juftinus M., Origenes, Athanafius, & Auctor Conftitutionum (55). Ita quoque in Ecclefia Hierof. & in cunctis per Ægyptum monafteriis obtinuiffe expreffe fignificat Cyrillus Hier., Hieronymus, & Caffianus (56); tantummodo de Conftantino refert Eufebius, *de vit. Conftant. Lib. IV.* 33. quod, cum aliquando coram ipfo in regio illius palatio differuiffet cum maxima audientium multitudine, ftans ipfe orationem audierit, nec unquam adduci potuerit, ut federet, pium ac religiofum effe dicens, ut ftantes de rebus divinis audiant.

XXXIV. 8. Tandem ex Auguftino

(57)

(51) *Pfeudo-Ambrof. Commentar. in Ep. 1. ad Cor. Cap. XIV. v. 29.* Hæc traditio Synagogæ eft, quam nos vult fectari .... ut fedentes difputent feniores dignitate in Cathedris.

(52) *Chryfoft. Homil. XVI. ad Popul. Antiochen.* Nifi multam a Patribus neceffitatem fuftinuiffem, neque furrexiffem, neque loquutus fuiffem dolore obtenebratus ex pufillanimitate veftra. *Auguftin. Serm. CXXII. de diverfis.* Quanquam propter commoditatem depromendæ vocis altiore loco ftare videamur, tamen in ipfo altiore loco vos judicatis, & nos judicamur. *Adde etiam Sermon. II. in Pfalm. XXXII., & in Tractatu XIX. alibique.*

(53) *Populum Africanum minime fediffe, quæ teftantur Optati, & Auguftini loca fupra retulimus Nota* 49.

(54) *Sidon. Apollin. Carm. XVI. ad Fauftum Rejenfem:*

Seu te confpicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs fedula circumfiftit.

Idem innuit Homilia quædam Auguftino perperam adfcripta, fub nomine Serm. XXVI., fed ab Mabillonio, & Patribus Maurinis Cæfario Arelatenfi vindicata. Ante aliquot dies (*inquit*) propter eos, qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterna pietate follicitus confilium dedi, & quodammodo fupplicavi, ut quando, aut Paffiones prolixæ, aut certe aliquæ lectiones longiores leguntur, qui ftare non poffunt, humiliter, & cum filentio fedentes, attentis auribus audiant, quæ leguntur.

(55) *Ad Italiam quod attinet, clarus eft Juftini martyris locus ex Apol. II. quam Romæ fcripfiffe certum eft.* Ubi is, qui legit defiftit, is qui præeft admonet, & hortatur, ut ea, quæ lecta funt bona imitemur. Tunc furgimus omnes, & comprecamur. *Sedentes igitur audiverant. Auguftinus idem de Catechiz. rudib. Cap. XIII. hunc quarundam tranfmarinarum Ecclefiarum morem effe dicit, ut tum Epifcopus, tum Populus, cum fermo effet, federent. Tranfmarinæ autem Ecclefiæ hic funt Italicæ, ficuti eas ante Auguftinum fæpe adpellavit Cyprianus. Ad Orientales vero quod fpectat, docent id præter Orig. Homil. III. in Efaiam, Athanf. Homil. de Sement. & Cyrill. Catech. XVI. num. 11., Conftitutiones Ap. Lib. II. Cap.* 58. Quod fi, cum fedetur, Vir quifquam fupetveniat honeftus, & in feculo clarus, five alterius, five ejufdem regionis .... Fratres eum per Diaconos recipiant, atque, fi locus defit, Diaconus omnium juniorem, prudenter, non autem præfracte, loco movens, honoratum illum federe faciat.

(56) *Hieron. Epift. XXII. ad Euftoch. Cap.* 15. Completis Orationibus cunctis refidentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit difputare. *Adde Caffian. Lib. II. Cap. 11. & Cyrill. Catech. XVI. num. XI.*

(57) peculiaris Ecclesiæ Africanæ consuetudo videtur fuisse, ut concionator in medio sermone ex improviso notabile quoddam Scripturæ dictum recitaret, ut quum populus in repetenda ejus clausula cum ipso se conjungeret, simul ad concionem ea, qua par erat, attentione excipiendam, & auscultandam excitaretur.

§. IX. *Quid potissimum Veteres præstiterint, quidve vitaverint, ut Conciones Auditoribus prodessent.*

XXXV. Ac primo id præstitere, ut haud quidem ludicris, ineptisque narrationibus, minusque aptis Sacrarum litterarum interpretationibus, at vero nonnisi gravibus idoneisque argumentis, necnon & veris, propriisque Scripturæ explicationibus suos auditores instituerent. Hinc Justinus M. in Apologia II. *Post lectionem*, inquit, *Præsidens, sive Episcopus Orationem habeat, qua populum instruat, & ad imitationem tam pulchrarum rerum, quas legi audivisset, cohortetur*, & Chrysostomus præcipua exponit capita, de quibus concionari solebat (58). Et Augustino *de Doct. Christ. Lib. IV. Cap.* 4. observante, Christiani oratoris *σκοπὸς* est, *rectam fidem defendere, errorem debellare, bona docere, & mala dedocere*.

XXXVI. Id quoque sollicite curarunt, ut quæ recta viderentur, utilissimo, ac suavissimo dicendi genere proponerent. Hinc ex Augustino *ibid. Cap. XI.* Oratori Christiano *uti nonnisi justa & sancta, & bona dicenda sunt, ita quoque in eo laborandum est, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur*; atqui intelligenter audietur, si omnia perspicue, & ad hominum captum adcommodate dixerit. Summa eloquentia ipsi utendum non est, nisi ut intelligatur, nec ulli veritati eloquentia sua se satis fecisse credat, nisi eam cum sufficienti evidentia hominibus mediocri intelligendi facultate præditis tradiderit; qua de re, ut perspicuitati studeat, non dubitet aliquando verba cultiora negligere, tum nec curare quid bene sonet, sed quid bene indicet, declaretque audientibus, quod ostendendum est. Augustinus ab grammatica puritate, latinæque linguæ proprietate interdum deflectere maluit, quam ab Auditoribus suis non intelligi, quam ob caussam sine dubio Africanis idiotismis ejus homiliæ scatent.

XXXVII. Præterea ex Augustino oratori Christiano id præstandum est, ut *libenter audiatur*. Quamvis enim veri amatoribus simplex, ac plana veritatis expositio satis foret; at quum hi pauci sint, ipsa veritas lepore quodam condienda est, ut ad plurimorum utilitatem redundet; qua de caussa antiqui cujusdam effatum laudat Augustinus: *Ibid. Cap. XIII. ita dicere debere eloquentem ut doceat, ut delectet, ut flectat*. Et Chrysostomo observante *de Sacerdotio Lib. V. Cap. I.* licet concionatori popularis aura simul, & censura contemnenda sit, tamen ea auditorum suorum ratio habenda est, ut ipsum libenter ad sui ædificationem audiant. Non autem in quolibet concionatore Isocratis tersus nitor, Demosthenis ampla sublimitas, Thucydidis verenda majestas, Platonis excellens dignitas est requirenda, ut idem Chrysostomus loquitur *Ibid. Lib. IV. Cap. 6.* Atque adeo qui minus eloquenter dixerit, eum tamen delectaturum auditores suos adfirmat Augustinus, dum-

(57) *Augustin. Serm. XXXV. ex Editis Sirmondo*: Finis præcepti est. Jam vos dicite mecum, (a Populo acclamatum est) Caritas de corde puro. Omnes dixistis, quod non infructuose semper audistis.

(58) *Chrysostom. Hom. XXIV. de Baptismo Christi*: Quid quæso ex iis, quæ necessaria sunt, te poterimus docere, cum semel aut iterum annis singulis ad nos ventites, de anima nimirum, de corpore, de immortalitate, de Regno Cælorum, de Pœnis, de Gehenna, de Dei longanimitate, de Indulgentia, de Pœnitentia, de Baptismo, de Remissione Peccatorum, de istis Mundi cum superioris, tum inferioris Creaturis, de Hominum natura, de Angelis, de Improbitate Dæmonum, de Diaboli fraudibus, de recta fide, de corruptis hæresibus? Siquidem ista, & multo plura nosse Christianum oportet.

modo nihil dicat obtuse, deformiter, frigide, sed omnia acute, ornate, vehementer dicat (59).

XXXVIII. Jam vero qui in sacris Scripturis studium atque operam suam collocabunt, hi virili quadam, & mascula eloquentia, rectaque sapienter dicendi arte nullatenus destituentur; namque in illis non modo dictio est eloquens, atque ornata, verum & stylus, oratio dignitati, gravitati, & majestati rerum, ipsorumque auctorum valde accommodata.

XXXIX. Postremo ex Augustino Orator Christianus operam dare debet, ut *audiatur obedienter*, nimirum ut idoneis, solidisque rationibus audientium animos convincat, persuadeatque. Istud si quidem consequetur orator, summum culmen pertinget: at contra quod populus fidelis doceatur, ac delectetur, nihil prodest, nisi simul adsentiatur: & ipse Augustinus auditorum animos commovere, non ut quid agendum sit, sciant, sed ut agant, quod agendum esse jam sciont, hoc *grandem eloquentiam*, *&* *gravem* appellat, *ibid. Cap. XIII.* eique sermonis generi opponit, quod *spumeum verborum ambitum* vocat.

XL. Restant tamen adhuc tria observatu digna. Primo enim cautum ab veteribus maxime fuit, ut in concionibus sive docerent, sive moverent, ab profanis monimentis, exemplisque temperarent sibi, nec iis uterentur, nisi perraro, ac tum maxime, quem inde Gentiles ipsos impeterent. Unus late patens Christianis Oratoribus locus erat Sanctus Scripturarum Codex. Inde argumenta ad fidem stabiliendam, inde exempla ad mores instituendos, inde verba ad movendos animos hauriebant. Negabit hoc qui numquam nec Augustini, nec Chrysostomi, nec cujusvis alius Homilias vidit. Tum vix dici potest, quanta iidem religione studuerint, ut non ab apocryphis, privatisque & mendacibus narratiunculis argumenta arcesserent, neque aniles fabellas, fœminarumque somnia verbi divini prædicationi præverterent. Atqui fuit aliquando tempus, quum falsum hoc scribendi, dicendique cacoethes mirum in modum homines vacui capitis incesserit, quod queruntur graviter Ludovicus Vives, & Cl. Melchior Canus (60).

XLI. 2. Nullum apud omnes Patres vestigium occurrit, consuevisse eos immodicis gesticulationibus, externisque rerum imaginibus divina Mysteria, de quibus concionabantur, exprimere, ut ita vehementius auditorum animos inflammarent. Eorum gravis erat cum dictione gestus, sermoque lenis quidem, sed virium, nervorumque plenus; neque dignum ducebant externo aliquo signo per breve tempus lacrymas ab invitis extundere potius, quam firmissimis Scripturarum argumentis mentem illustrare, voluntatem inlicere, animosque gravissimis verbis quasi vinculis devinctos, quo vellent, pertrahere. Fuit hæc sapientia quondam. Ceterum postremis temporibus externorum signorum, præsertim cum de Passione Domini agerent, usus invaluit. Fuere qui probarunt, fuere qui secus. Id modo certum est aliud fuisse veterum judicium. Sit aliis optio, antiquamne, an recentem sequi malint consuetudinem.

XLII.

(59) *Augustin. de Doctrin. Christ. Lib. IV. Cap. V.* Cum alii faciant obtuse, deformiter, frigide: alii acute, ornate, vehementer: illum ad hoc opus jam oportet accedere, qui potest disputare, vel dicere sapienter, etiam si non potest eloquenter....... Sapienter autem dicit homo tanto magis, vel minus, quanto in Scripturis Sanctis magis minusve profecit.

(60) *Lud. Vives de tradendis disciplinis Lib. II.* Indigna est Divis, & hominibus Christianis illa Sanctorum historia, quæ *Legenda aurea* nominatur, quam nescio cur auream appellant, cum scripta sit ab homine ferrei oris, plumbei cordis. Quid fœdius est libro? O quam pudendum est nobis Christianis, non esse præstantissimos nostrorum divorum actus verius & accuratius memoriæ mandatos, sive ad cognitionem, sive ad imitationem tantæ virtutis, quam de suis Ducibus, de Philosophis, & sapientibus hominibus tanta cura Græci, & Romani præscripserint? *Gravius vero, sed verius Melchior Can. de Locis Theolog. Lib. II. Cap. VI.* Dolenter hoc dico potius, quam contumeliose, multo a Laertio severius vitas Philosophorum scriptas, quam a Christianis vitas Sanctorum, longeque incorruptius, & integrius Suetonium res Cæsarum exposuisse, quam exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum, & Confessorum,

XLII. 3. Tandem in habendis Concionibus brevitatem potissimum commendabant, ut ne auditoribus longitudine delassatis, verbum Dei imbecillioribus petra scandali fore. Ferrarius quidem putat *Lib. I. de Rit. Conc. Cap. 33.* concionantes unius horæ spatium non prætergressos. At alii contra statuunt intra horam ipsam sermocinatos fuisse. Sunt enimvero pleræque Augustini, Chrysostomi, Cyrilli, Basilii, aliorumque Homiliæ, quas etiamsi contentiosissimus recites, horæ semissem non occupabunt. Ceterum antiquos Concionatores brevitatem præcipue sequutos fuisse, duo hæc suadent. 1. Quia ubique fere ab stantibus audirentur, ut diximus. 2. Quod sæpe in eodem conventu semel atque iterum concionarentur. Atqui Matutinum ministerium duas horas non excessisse testis est Chrysostomus (61); ut absurdum plane sit quamque concionem horam unam absolvisse.

§. X. *Quid Auditores antiquitus præstiterint, cum conciones audirent.*

XLIII. Et sane Christiano populo antiquitus nihil usitatius fuit, quam, cum Concionatoris eloquentiam admirarentur, id plausibus, & adclamationibus in Ecclesia testari. Id Græcis κρότος communiter dictum est; quod vocabulum utramque adprobationis rationem indicat, tum quæ manuum plausibus, tum quæ faustis vocibus, & adclamationibus declaratur. Primus ejus usus, uti Suicerus ex Casaubono observat, in theatris tantum fuit; unde in Senatum devenit; & postea in Actus Conciliorum, & ordinarios conventus Ecclesiasticos. De postremis hujusmodi significationibus hic advertendum, adclamationes illas verbis aliquando fuisse factas, uti in Homilia quadam Pauli Emiseni præsente Cyrillo Alex. dicta, accidisse legimus; populus enim dicentis cursum interrumpens acclamavit in hunc modum: *Ecce fides eadem est donum Dei, Cyrille Orthodoxe, hoc audire cupiebamus; qui non ita loquitur, anathema sit* (62). Interdum vero manuum plausu, similibusque gestibus adprobationum suam populum testificatum fuisse comperimus: hujusce consuetudinis frequentia occurrunt monumenta apud Hier., Naz., Chrysostomum, Augustinum &c. (63) quæ longum esset hic proferre.

XLIV. Convenientior vero, ac utilior illa adclamandi ratio antiquis Patribus semper habita est, quæ auditorum lacrymis, gemitibus, contritione, obsequio declararetur, id enim multo pluris æstimabant, quam quosvis populares applausus, quos unquam excipere poterant. Hinc Hier. *Epist. II.* ad Nepotian. *docente te in Ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur: lacrymæ auditorum laudes tuæ sint*; & alibi: *Epist. XXII. ad Eustoch. dicentis laus in fletu est audientium.* Et Augustinus: *Tu laudas tractantem, ego quæro facientem ..... laudes istæ folia sunt arborum, fructus quæritur.* Chrysostomus quoque haud semel auditoribus suis adfirmat non se ipsorum delectari plausibus, sed fructibus, quos in animo eorum suus producat sermo. Ad hæc consuetudinem illam verbis, gestisve adclamandi penitus abrogatam ex Ecclesia cupiisset Sanctus Doctor, quippe quod non deessent, qui illa abuterentur; vani enim, & ambitiosi ingenii homines nihil aliud

(61) *Chrysostom. Cum alibi sæpe, tum præsertim Homil. XLVIII.* Non impero, ut septem decemve diebus ab operibus abstineas, sed duas mihi diei horas ut commodes, reliquas ipse tibi habeas...

(62) *Extat hæc Homilia in Actis Concil. Ephesin. Part. III. Cap. 31.*

(63) *Hieron. Epist. LXXV. contra Vigilantium:* Recordare quæso illius diei, quando, me de resurrectione, & veritate corporis prædicante, ex latere subsultabas, & plaudebas manu, & applodebas pede, & Orthodoxum conclamabas: *Chrysostom. Homil. I. in Genesin:* Neque enim temere, & frustra huc convenimus, ut unus quidem loquatur, alius vero, quæ dicuntur, plausibus excipiat: *Augustin. Serm. V. de Verbis Domi.* Audistis, laudastis, Deo Gratias. Semen accepistis, verba reddidistis. Laudes istæ vestræ gravant nos potius, & in periculum mittunt. Toleramus illas, & tremimus inter illas: Tamen, Fratres mei, istæ laudes vestræ folia sunt arborum, fructus quæritur. *Vide etiam Greg. Naz. Somn. de Templo Anastasiæ.*

aliud spectantes, nisi ut multitudinis applausum obtinerent, aliquando etiam subornabant, qui sibi in Ecclesia plauderent, uti de Paulo Samosateno Patres Concilii Antiocheni (64) conqueruntur: tum nonnumquam de rebus abstrusioribus ita loqui adfectabant, ut nec populus, nec ipsimet intelligerent, tantummodo ut imperitæ multitudinis admirationem sibi conciliarent, quæ Hieronymo observante (65) id maxime solet admirari, quod nescit. Qua de re pii concionatores id tantummodo præ oculis semper habuere, ut ad captum, & intelligentiam auditorum suorum adcommodate dicerent, omnique eloquentiæ vi, congruisque persuadendi artibus adhibitis ad obedientiam, rerumque cælestium desiderium illos flecterent.

XLV. Præterea nonnulli ex auditoribus artem celerius scribendi callentes illustriorum concionatorum sermones ad verbum scripto excipiebant. Hac ratione plures veterum sermones extemporales ad posteritatem transmissi sunt, qui alias una cum oratore fuissent extincti: uti de quibusdam Origenis concionibus, quas senex ad populum habuit, observat Eusebius Lib. VI. cap. 36. Idem de Chrysostomi Homiliis refert Socrates (66), de Attici concionibus Sozomenus (67), ac de suis in Psalmos sermonibus Augustinus *In Psalm. LI.* S. Gregorius Naz. in *Orat. Valedictoria* inter alia sic ad cœtum suum loquitur: *Valete sermonum meorum amatores, & cursus, & concursionem, & calami tam perspicui, quam occulti.* Igitur ex iis, qui sermones calamo excipiebant, alii erant publici notarii; & ab his, quæ exscribebantur, concionatores ipsi recognoscebant, & quæ a festinantibus Scribis, vel omissa, vel perperam scripta, vel a se ipsis non satis accurate pronunciata essent, supplebant, & emendabant; & sic dein publicam in lucem edebantur: id ex Gregorio M. evidentius colligitur (68); alii vero exscribebant, scriptaque publicabant auctore nec sciente, nec consentiente. Quam veluti clandestinam agendi rationem nonnunquam improbant: unde Gaudentius sermones a notariis primum clam exceptos,

(64) *Apud Eusèb. Lib. VII. Cap.* 30. Eos qui non laudarent, nec, ut in theatris fieri solet, oraria concuterent, neque una cum fautoribus suis viris, ac mulierculis, indecore auscultantibus exclamarent, atque exsilirent: Sed cum gravitate ac modestia, sicut in domo Dei decet, audirent, increpabat, & contumeliis afficiebat.... illi qui in ejus honorem psalmos canunt, & coram Populo eum deprædicant: Ipsum, quem impietatis Doctorem habuerunt, Angelum esse dicunt e Cælo delapsum. Atque hæc ille omnium hominum superbissimus non prohibet, sed interest ipse, cum dicuntur.

(65) *Hieronym. Epist. II. ad Nepotian.* Verba volvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Attrita frons interpretatur sæpe, quod nescit, & cum aliis persuaserit, sibi quoque usurpat scientiam.

(66) *Socrat. Lib. VI. Cap.* 4. Quales fuerint ejus (*Chrysostomi*) conciones, seu quæ ab ipso editæ, seu quæ ex ore dicentis a Scribis celeri, & exercitata manu exceptæ sunt, quam illustres, & ad alliciendos animos accommodatæ, nihil attinet nunc dicere.

(67) *Sozomenum ubi consului Cap. XXVII. Lib. VIII. quo capite de Attici Concionibus loquitur, nihil tale eum scribere reperi.* Μέτριος δὲ πρὸς τοὺς ἐπ' Ἐκκλησίαις λόγους ὢν μήτε γραφῆς ἀξίους νομίζεσθαι τοῖς ἀκροαταῖς, μήτε παιδείας παντελῶς ἀμοίρους. In Concionibus vero Ecclesiasticis mediocris fuit, adeo ut sermones illius, nec digni qui exscriberentur, nec prorsus eruditionis expertes auditoribus viderentur. *Quæ si vera sunt, nullus omnino Attici dicentis sermones notis excepit, memoriæque mandavit. Binghamus quidem Orig. Eccles. Lib. XIV. Cap. IV. §. XI. contrarium de Attico putare ait Socratem Lib. VII. Cap.* 2. *Atqui Socratis locus pene gemellus est Sozomeni. Quamvis enim dicat Atticum operam plurimam philosophiæ navasse, veterumque libris nocturnam advigilasse eloquentiæ acquirendæ studio, negat tamen ejus orationes* vel plausu exceptas, vel scripto mandatas a quoquam fuisse. *Quidquid tamen horum sit, quæ veritatis ergo notavimus, id modo ambigendum non est, fuisse hanc in Ecclesia praxim, ut auditores, si a re sibi videretur, Episcoporum orationes exciperent scripto.*

(68) *Greg. M. Præf. in Ezechiel.* Homilias, quæ in Beatum Ezechielem Prophetam, ut coram populo loquebar, exceptæ sunt, multis curis irruentibus in abolitione reliqueram. Sed post annos octo, petentibus fratribus, Notariorum schedulas requirere studui, easque favente Domino transcurrens, in quantum ab angustiis tribulationum licuit, emendavi.

prio, deinde ab aliis imperfecte editos pro suis se non agnoscere contestatur. *Praef. ad Benevolum*.

XLVI. Illud postremo hic juvat animadvertere, veteres Christianos Oratores haud raro in fideles quosdam animadvertisse, quippe qui nimis negligentes fuerint, vel profani sacrarum concionum auditores. Hinc Chrysostomus tum de iis conqueritur, qui tempore concionis inter se disputarent, negligerent, negotia secularia tractarent, vel Ecclesiam in theatrum converterent nonnisi ad delectationem audirent, tum vel maxime de aliis, qui sermones plausibus exciperent, vita autem sua, & factis nimium quantum deprimerent. Egregium in hanc rem Chrysostomi locum vide inferne (69). Hinc Origenes *Hom. XIII. in Exod.* profanos hosce, ac negligentes verbi Dei auditores ea ratione redarguit, quod non minoris piaculi sit verbum Dei negligere, quam corpus ejus.

XLVII. Adhuc non deerant, qui de sermonibus conquererentur, quod justo essent longiores, conventum ante, quam sermo finiretur, deserere parati. Nonnulli quidem canones ejusmodi auditores excommunicari jubent (70); Caesarius Arel., uti refert ejus Βιόγραφος, saepissime ostia lectis Euangeliis occludi jussit, donec propitio Deo ipsi gratularentur, ea coercitione se profecisse, qui solebant esse fugitivi. At Chrysostomus *Hom. LX. Daemones non gubernare mundum*; controversiam de longis, & brevibus sermonibus sic decidit, ut inter firmos, & infirmos distinguens, illis, nonnisi absoluta concione, ab conventu haud recedendum doceat, hos vero, quod sermonis prolixitatem adsequi minime possint, si citius discedant, minime reprehendendos censeat, dummodo sacro Oratori sermonem ante tempus finiendi necessitatem non imponant.

(69) *Chrysostom. Homil. II. ad Populum Antiochen.* Non est theatrum Ecclesia, ut ad delectationem audiamus. Adjutos hic recedere oportet, lucratos quiddam amplius, & magnum, sic recedere expedit... Quae mihi horum plausuum utilitas &c.

(70) *Concil. Carthag. IV. Can.* 24. Sacerdote verbum faciente in Ecclesia, qui egressus de Auditorio fuerit excommunicetur. *Similes huic sanctiones in plerisque aliis Conciliis insequentis aevi legisse me memini*.

CAPUT XII.

De Precibus pro Catechumenis, Energumenis et Poenitentibus.

§. I. *Preces antiquitus nonnisi post sermonem, Infidelibus, & mere audientibus exire jussis, fieri solitae*.

I. Quod diversis hominum ordinibus sermoni quidem adesse, at cum fidelibus in precibus se conjungere haud liceret, idcirco publicae preces maximam partem post concionem factae sunt. Id Justinus M., Chrysostomus (1), aliique veteres expressis verbis testantur. Quare ubi Chrysostomus, aliique de precibus sermoni praemissis loquuntur, haud quidem de communibus Ecclesiae precibus intelligendi sunt; at vero vel de brevi illa salutatione *Pax vobiscum*; vel de brevi quadam concionatoris precatione, vel tandem de privatis populi precibus psalmodiae intermixtis; de quibus omnibus alibi egimus.

II.

(1) *Chrysost. Hom. III. de Incomprehensibili Dei natura*: Post exhortationem statim preces fiunt. *Et Hom. XI. in I. ad Thessal.* Post admonitionem preces quoque subjungit (*Paulus Apost.*) non solum sermone, sed etiam in litteris. Opus est enim & consilio, & precibus. Propterea nos quoque, prius consulentes (*concionibus scilicet*) postea pro vobis preces fundimus; & hoc faciunt, qui sunt sacris initiati mysteriis.

II. Jam vero publicæ illæ Ecclesiæ preces, vel solis fidelibus peculiares erant; vel pro catechumenis, pœnitentibus, energumenis fiebant, quibus non modo præsentes adesse poterant, verum & pro se ipsis orabant. At ab his ipsis precibus Judæos, infideles, & ex Catechumenis Audientes discedere oportebat; unde completo sermone Diaconus de eminentiore loco in Ecclesia proclamare solebat: *Ne quis Audientium, Ne quis infidelium*; quemadmodum in Apostolicis Constitutionibus videre est (2).

§. II. *De Precibus pro Catechumenis.*

III. Hæc locutus Diaconus facto silentio, iterum exclamabat: *Orate, catechumeni.* Et: *Omnes fideles pro illis cum attentione orent, dicentes: Kyrie eleison.* Tum Diaconus populo precationem veluti suggerebat, in qua ipsum præeuntem populus subsequebatur; unde in Constitutionibus *Orationis indictio* pro Catechumenis dicitur: ejus formulam vide inferne (3). Dein Diaconus ipse Catechumenos sic adloquebatur: *Surgite catechumeni: Pacem Dei per Christum ejus petite: diem quietum, & sine peccato, ibidem omne tempus vitæ vestræ, mortem Christianam, propitium, ac benevolum Deum, veniam delictorum; Vos ipsos soli Ingenito per Christum ejus commendate.* Ad quamlibet hujus orationis petitionem populus, & ante cunctos pueri respondere jubebantur, *Domine miserere.* Tandem capita eos inclinare jubebat, & recipere Episcopi benedictionem, quæ simul divini pro ipsis auxilii invocatio erat: quam vide inferne etiam (4).

IV. Eundem pene precationis pro catechumenis ritum reperies apud Chrysostomum, *Hom. II. in II. ad Cor.* qui insuper

(2) *Constitut. Apost: Lib. VIII: Cap. 5.* Quum Doctrinæ sermonem finierit, universis consurgentibus, Diaconus in excelsum locum ascendens proclamet: Ne quis Audientium, ne quis infidelium, *μή τις τῶν ἀκουομένων, μή τις τῶν ἀπίστων.*

(3) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. 6.* Pro Catechumenis omnes Deum invocemus, ut qui bonus, & hominum amans est, benignus exaudiat eorum obsecrationes, ac preces, & suscepta eorum supplicatione, opem illis ferat, detque petitiones cordis ipsorum, prout eis expedit. Revelet eisdem Evangelium suum: illuminet eos, atque erudiat, instituat cognitione, ac Religione divina; doceat mandata sua, atque justificationes: inserat justum, & salutarem timorem suum, aperiat aures cordis eorum, ut in ejus lege die, ac nocte meditentur: & confirmet eos in pietate. Adjuvet, atque adnumeret eos sancto suo gregi, donatis iis lavacro regenerationis, indumento immortalitatis, vera vita. Liberet vero illos ab omni impietate, & non det locum adversario contra illos, mundet autem ipsos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, inhabitetque in eis, atque inambulet per Christum suum. Benedicat introitus, ac exitus, atque proposita moderetur iis ad commodum. Ad hæc intente pro illis supplicemus, ut remissionem peccatorum consequuti per Baptismi initiationem, digni fiant sanctis mysteriis, & permansione cum Sanctis. *Longiorem hanc precum formulam. Προσφώνησιν ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων* Orationis Indictionem pro Catechumenis *adpellant Constitutiones, quippe quæ forma esset, & hortatio precationis super Catechumenos faciendæ.*

(4) *Ibid.* Deus Omnipotens Ingenitus, & Inaccessus, solus verus Deus, Deus & Pater Christi tui Filii tui, Deus Paracleti, ac omnium Dominus. Qui per Christum Discipulos in Doctores constituisti ad pietatis disciplinam: Ipse & nunc respice super servos tuos, catechizatos in Christi tui Evangelio; & da eis spiritum novum, & cor rectum innova in visceribus eorum, ut cognoscant, & faciant voluntatem tuam in corde pleno, & anima volente. Dignare illos Initiatione sancta, & adjuva illos ad Sanctam Ecclesiam tuam, & fac participes divinorum mysteriorum. Per Christum, spem nostram, qui pro ipsis mortuus est, per quem tibi gloria, & adoratio in Spiritu in sæcula. Amen. *Vides & hic rursus Deum Patrem dici τὸν Θεὸν τοῦ Παρακλήτου Deum Paracleti ab Auctore Constitutionum, sicuti & antea observavimus eundem dixisse τὸν τοῦ Πνεύματος Κύριον* Spiritus Dominum. *Quæ quidem loquutiones durjusculæ omnino sunt, ac tales, quæ vix, aut ne vix quidem hunc auctorem ab Macedonianæ hæreseos labe excusare queant. Est quidem similis Justini Martyris locus in Dialogo cum Tryphone, ubi Pater dicitur Κυρίου Κύριος* Domini Dominus, *ὡς πατὴρ καὶ Θεὸς* tamquam Pater & Deus. *At Justinus antiquior, proindeque minus cautior, nondum obortis hæresibus, quod de Auctore nostro dici nequit. Quod si id non placet, illud saltem dicat, hanc phrasin τοῦ Παρακλήτου Θεὸν* Paracleti Deum *significare, Patrem fontem esse, Principium, atque ingenitum Deitatis, atque existentiæ Spiritus Sancti, cum uterque ab illo existant; non autem, se esse Patrem Paracleti Deum, ut est creaturarum rerum; cum hæ in tempore, extra Deum, finitisque perfectionibus, exstiterint.*

super tria addit 1. Diaconum illo præconio, *Pro catechumenis intente oremus*, fideles ad preces pro ipsis obeundas excitasse; ne eos Christus, quippe qui ejus corpori adhuc insiti non sint, ceu alienos abdicet, ac rejiciat. 2. Diaconum capita inclinare jussisse; quo argumento preces exauditas esse indicaretur, unde & Episcopus, sive potius ipse Deus per Episcopum ipsis benedictionem impartiebatur. 3. Episcopo Invocatoriam benedictionem complente omnes inclamasse, *Amen* (5).

V. Jam vero nonnisi duplex inter formulam Chrysostomi, & illam Constitutionum discrimen invenitur; 1. in Chrysostomi formula Catechumeni Angelum pacis postulare jubentur; quod in formula Constitutionum non legimus. Verum ipse auctor Constitutionum, ubi de ordinario matutino, & vespertino officio præcepta tradit Angelum paci præpositum a Domino postulandum præscribit. 2. In Liturgia Constitutionum pueri cum reliquo populo pro catechumenis orare jubentur, id quod in Chrysostomi formula non præscribitur: atque adeo ipse Chrysostomus alibi *Hom. LXXI. in Matth.* pueros ab eo precandi officio arcere videtur. Igitur duæ illæ Liturgiæ ad eandem Ecclesiam non spectabant; ac fortasse Chrysostomus formulam Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Auctor vero Constitutionum Ecclesiæ Antiochenæ, vel alterius præcipuæ cujusdam Ecclesiæ formulam nobis tradidere.

VI. Tandem preces pro catechumenis in veteri Ecclesia fuisse usitatas, alia quoque antiqua Ecclesiastica monumenta indicant; ac præ ceteris Concilii Nicæni Can. XIV. & Concilii Neocæs. Can. V. (6).

§. III. *De Precibus pro Energumenis.*

VII. Quamvis Energumeni peculiari exorcistarum curæ suberant, qui privatim super ipsos orationes fundebant, attamen quod eorum status nimis crederetur miser, publice etiam in Ecclesia preces pro ipsis fiebant. Hinc Diaconus catechumenis dimissis illis verbis: *Exite catechumeni in pace*, statim dicebat: *Orate energumeni, & vexati a Spiritibus immundis;* tum verba præcinebat, quibus populus oraret. Tandem capita eos inclinare jubebat, ac accipere Episcopi benedictionem, qua Christo commendabantur; ita Auctor Const. (7) Chrysostomus quoque precum pro Energumenis meminit, verum integras formulas non refert. *Vide Hom. ejus XVIII. in II. ad Cor., & Hom. III. de incomprehensibili natura Dei.*

§. IV. *De Precibus pro Competentibus.*

VIII. Sequebatur Oratio pro Competentibus, sive pro iis, qui proxima Paschatis, Epiphaniæ, vel alterius solemnitatis festivitate baptismum recepturi erant. Unde Diaconus dimissis energumenis statim inclamabat: *Orate Illuminandi.* Tum populum stata formula de precibus pro ipsis fundendis monebat, dein ipsos Competentes inclinare se jubebat, & Episcopi benedictionem recipere; ita Au-

(5) *Extat hæc* Προσφώνησις Precationis indictio *apud Chrysostomum Hom. II. in II. ad Cor. quam, quoniam cum superiori e Constitutionibus decerpta apprime quadrat, omittemus. Id unum observo: post illam orationem hæc subnectere Chrysostomum: Diaconum nempe statim dixisse:* Angelum pacis petite; o Catechumeni, pacifica vobis omnia, quæ proponuntur. *Quæ Sanctorum Angelorum Invocationem stabiliunt penitus.*

(6) *Conc. Nicæn. Can. XIV. quo statuitur:* De Catechumenis, qui lapsi sunt, ut tribus annis inter audientes sint tantummodo; post hæc vero orent cum Catechumenis. *Vide etiam Conc. Neocæs. Can. V.*

(7) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. 7.* Qui fortem ligasti, & cuncta vasa ejus diripuisti: qui dedisti nobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici; qui homicidam serpentem vinctum tradidisti nobis, sicut passerem pueris; quem omnia horrent,

II. Jam vero publicæ illæ Ecclesiæ preces, vel solis fidelibus peculiares erant; vel pro catechumenis, pœnitentibus, energumenis fiebant, quibus non modo præsentes adesse poterant, verum & pro se ipsis orabant. At ab his ipsis precibus Judæos, infideles, & ex Catechumenis Audientes discedere oportebat; unde completo sermone Diaconus de eminentiore loco in Ecclesia proclamare solebat: *Ne quis Audientium, Ne quis infidelium*; quemadmodum in Apostolicis Constitutionibus videre est (2).

§. II. *De Precibus pro Catechumenis.*

III. Hæc locutus Diaconus facto silentio, iterum exclamabat: *Orate, catechumeni*. Et: *Omnes fideles pro illis cum attentione orent, dicentes: Kyrie eleison*. Tum Diaconus populo precationem veluti suggerebat, in qua ipsum præeuntem populus subsequebatur; unde in Constitutionibus *Orationis indictio* pro Catechumenis dicitur: ejus formulam vide inferne (3). Dein Diaconus ipse Catechumenos sic adloquebatur: *Surgite catechumeni: Pacem Dei per Christum ejus petite: diem quietum, & sine peccato, ibidem omne tempus vitæ vestræ, mortem Christianam, propitium, ac benevolum Deum, veniam delictorum; Vos ipsos soli Ingenito per Christum ejus commendate*. Ad quamlibet hujus orationis petitionem populus, & ante cunctos pueri respondere jubebantur, *Domine miserere*. Tandem capita eos inclinare jubebat, & recipere Episcopi benedictionem, quæ simul divini pro ipsis auxilii invocatio erat; quam vide inferne etiam (4).

IV. Eundem pene precationis pro catechumenis ritum reperies apud Chrysostomum, *Hom. II. in II. ad Cor.* qui insuper

(2) *Constitut. Apost: Lib. VIII: Cap. 5.* Quum Doctrinæ sermonem finierit, universis consurgentibus, Diaconus in excelsum locum ascendens proclamet: Ne quis Audientium, ne quis infidelium, *μή τις τῶν ἀκροωμένων, μή τις τῶν ἀπίστων*.

(3) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. 6.* Pro Catechumenis omnes Deum invocemus, ut qui bonus, & hominum amans est, benignus exaudiat eorum obsecrationes, ac preces, & suscepta eorum supplicatione, opem illis ferat, detque petitiones cordis ipsorum, prout eis expedit. Revelet eisdem Euangelium suum: illuminet eos, atque erudiat, instituat cognitione, ac Religione divina; doceat mandata sua, atque justificationes: inserat justum, & salutarem timorem suum, aperiat aures cordis eorum, ut in ejus lege die, ac nocte meditentur: & confirmet eos in pietate. Adjuvet, atque adnumeret eos sancto suo gregi, donatis iis lavacro regenerationis, indumento immortalitatis, vera vita. Liberet vero illos ab omni impietate, & non det locum adversario contra illos, mundet autem ipsos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, inhabitetque in eis, atque inambulet per Christum suum. Benedicat introitus, ac exitus, atque proposita moderetur iis ad commodum. Ad hæc intente pro illis supplicemus, ut remissionem peccatorum consequuti per Baptismi initiationem, digni fiant sanctis mysteriis, & permansione cum Sanctis. *Longiorem hanc precum formulam* Προσφώνησιν ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων Orationis Indictionem pro Catechumenis *adpellant Constitutiones, quippe quæ forma esset, & hortatio precationis super Catechumenos faciendæ*.

(4) *Ibid.* Deus Omnipotens Ingenitus, & Inaccessus, solus verus Deus, Deus, & Pater Christi tui Filii tui, Deus Paracleti, ac omnium Dominus. Qui per Christum Discipulos in Doctores constituisti ad pietatis disciplinam: Ipse & nunc respice super servos tuos, catechizatos in Christi tui Evangelio; & da eis spiritum novum, & cor rectum innova in visceribus eorum, ut cognoscant, & faciant voluntatem tuam in corde pleno, & anima volente. Dignare illos initiatione sancta, & adjuva illos ad Sanctam Ecclesiam tuam, & fac participes divinorum mysteriorum: Per Christum, spem nostram, qui pro ipsis mortuus est, per quem tibi gloria, & adoratio in Spiritu in sæcula. Amen. *Vides & hic rursus Deum Patrem dici* τὸν Θεὸν τῦ Παρακλήτυ *Deum Paracleti ab Auctore Constitutionum, sicuti & antea observavimus eundem dixisse* τὸν τῦ Παρακλήτυ Κύριον Spiritus Dominum. *Quæ quidem loquutiones durjusculæ omnino sunt, ac tales, quæ vix, aut ne vix quidem hunc auctorem ab Macedonianæ hæreseos labe excusare queant. Est quidem similis Justini Martyris locus in Dialogo cum Tryphone, ubi Pater dicitur* Κυρίυ Κύριος Domini Dominus, ὡς πατὴρ καὶ Θεὸς tamquam Pater & Deus. *At Justinus antiquior, proindeque minus cautior, nondum obortis hæresibus; quod de Auctore nostro dici nequit. Quod si id non placet, illud saltem dicat, hanc phrasin* τῦ Παρακλήτυ Θεὸν Paracleti Deum *significare, Patrem fontem esse, Principium, atque originem Deitatis, atque existentiæ Spiritus Sancti, cum uterque ab illo existant; non autem se esse Patrem Paracleti Deum, ut est creatorum rerum; cum hæ in tempore, extra Deum, finitisque perfectionibus, extiterint.*

super tria addit 1. Diaconum illo præconio, *Pro catechumenis intente oremus*, fideles ad preces pro ipsis obeundas excitasse; ne eos Christus, quippe qui ejus corpori adhuc insiti non sunt, ceu alienos abdicet, ac rejiciat. 2. Diaconum capita inclinare jussisse; quo argumento preces exauditas esse indicaretur, unde & Episcopus, sive potius ipse Deus per Episcopum ipsis benedictionem impartiebatur. 3. Episcopo Invocatoriam benedictionem complente omnes inclamasse, *Amen* (5).

V. Jam vero nonnisi duplex inter formulam Chrysostomi, & illam Constitutionum discrimen invenitur; 1. in Chrysostomi formula Catechumeni Angelum pacis postulare jubentur; quod in formula Constitutionum non legimus. Verum ipse auctor Constitutionum, ubi de ordinario matutino, & vespertino officio præcepta tradit Angelum paci præpositum a Domino postulandum præscribit. 2. In Liturgia Constitutionum pueri cum reliquo populo pro catechumenis orare jubentur, id quod in Chrysostomi formula non præscribitur: atque adeo ipse Chrysostomus alibi *Hom. LXXI. in Matth.* pueros ab eo precandi officio arcere videtur. Igitur duæ illæ Liturgiæ ad eandem Ecclesiam non spectabant; ac fortasse Chrysostomus formulam Ecclesiæ Constantinopolitanæ, Auctor vero Constitutionum Ecclesiæ Antiochenæ, vel alterius præcipuæ cujusdam Ecclesiæ formulam nobis tradidere.

VI. Tandem preces pro catechumenis in veteri Ecclesia fuisse usitatas, alia quoque antiqua Ecclesiastica monumenta indicant; ac præ ceteris Concilii Nicæni Can. XIV. & Concilii Neocæs. Can. V. (6).

§. III. *De Precibus pro Energumenis*.

VII. Quamvis Energumeni peculiari exorcistarum curæ suberant, qui privatim super ipsos orationes fundebant, attamen quod eorum status nimis crederetur miser, publice etiam in Ecclesia preces pro ipsis fiebant. Hinc Diaconus catechumenis dimissis illis verbis: *Exite catechumeni in pace*, statim dicebat: *Orate energumeni, & vexati a Spiritibus immundis;* tum verba præcinebat, quibus populus oraret. Tandem capita eos inclinare jubebat, ac accipere Episcopi benedictionem, qua Christo commendabantur; ita Auctor Const. (7) Chrysostomus quoque precum pro Energumenis meminit, verum integras formulas non refert. *Vide Hom. ejus XVIII. in II. ad Cor.*, & *Hom. III. de incomprehensibili natura Dei*.

§. IV. *De Precibus pro Competentibus*.

VIII. Sequebatur Oratio pro Competentibus, sive pro iis, qui proxima Paschatis, Epiphaniæ, vel alterius solemnitatis festivitate baptismum recepturi erant. Unde Diaconus dimissis energumenis statim inclamabat: *Orate Illuminandi*. Tum populum stata formula de precibus pro ipsis fundendis monebat, dein ipsos Competentes inclinare se jubebat, & Episcopi benedictionem recipere; ita Au-

(5) *Extat hæc* Προσφώνησις Precationis indictio *apud Chrysostomum Hom. II. in II. ad Cor. quam, quoniam cum superiori e Constitutionibus decerpta apprime quadrat, omittemus. Id unum observo: post illam orationem hæc subnectere Chrysostomum: Diaconum nempe statim dixisse:* Angelum pacis petite, o Catechumeni, pacifica vobis omnia, quæ proponuntur. *Quæ Sanctorum Angelorum Invocationem stabiliunt penitus.*

(6) *Conc. Nicæn. Can. XIV. quo statuitur:* De Catechumenis, qui lapsi sunt, ut tribus annis inter audientes sint tantummodo: post hæc vero orent cum Catechumenis. *Vide etiam Conc. Neocæs. Can. V.*

(7) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. 7.* Qui fortem ligasti, & cuncta vasa ejus diripuisti: qui dedisti nobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici; qui homicidam serpentem vinctum tradidisti nobis, sicut passerem pueris; quem omnia horrent,

Auctor Constitutionum (8). Chrysostomus quidem de hujusmodi precibus non meminit, neque alius quisquam antiquus Scriptor; tum Concilium Laodicenum nonnisi preces pro catechumenis, & pro pœnitentibus memorat *Can. XIX.* Verum cur veteres precum pro Competentibus non meminerint, fortasse id in caussa fuit, quod non singulis per annum conventibus fieri consueverint, sed duntaxat medio inter mediam quadragesimam, & pascha tempore, aliisve peculiaribus anni temporibus fieri consueverint; quando ex catechumenis, qui proxime baptizandi erant, studiosius ad tantum recipiendum mysterium sese præparabant.

§. V. *De Precibus pro Pœnitentibus.*

IX. Ex Pœnitentibus, qui tantummodo Audientes erant, cum catechumenis dimittebantur; at genuflectentes dicti, sive substrati in Ecclesia perdurabant, ut Ecclesiæ preces, & Episcopi benedictionem reciperent. Unde Competentibus dimissis Diaconus statim inclamabat: *Orate Pœnitentes*. Dein populo statuta formula preces pro hujusmodi hominum genere ad Deum dirigendas suggerebat, post eos surgere jubebat, & inclinare caput ad accipiendam benedictionem, quæ etiam *Impositio manuum*, & *Oratio pro pœnitentibus* vocabatur (9).

X. Chrysostomus licet integras hasce preces nunquam tradat; attamen haud vice simplici earundem meminit, præsertim ubi scribit *Hom. XVIII. in II. ad Cor. Pro iis, qui in pœnitentia sunt, communia, & a Sacerdote, & a populo vota fiunt.* Easdem quoque indicant Concilia Laodicenum, Nicænum, Ancyranum &c. ubi eos pœnitentes memorant, quibus statuto tempore substerni, ac supplices esse impositum erat (10).

XI. Illud hic quæri potest, quanam in parte Ecclesiæ hactenus explicatæ preces

horrent, ac tremunt a facie potestatis tuæ; qui eundem e cælo ad terram sicut fulgur decidere fecisti, non casu locali, sed ab honore in ignominiam propter voluntariam ipsius malitiam: cujus adspectus exsiccat abyssos, & minæ liquefaciunt montes, & veritas manet in æternum; quem laudant infantes, & benedicunt lactentes, quem celebrant, atque adorant Angeli, qui respicis super terram, & facis eam tremere, qui tangis montes, & fumant, qui increpas mare, & exsiccas illud, & omnia flumina ipsa deserta reddis; cujus nubes pulvis pedum; qui ambulas super mare, tanquam super pavimentum: Unigenite Deus, Magni Patris Fili, increpa malos Spiritus, & libera opera manuum tuarum ab alieni spiritus vexatione: quia Tibi gloria, honos, & veneratio, & per Te Patri tuo in Spiritu Sancto. Amen.

(8) *Constit. Lib. VIII. Cap.* 8. Qui per Sanctos Prophetas tuos prædixisti iis, qui initiantur, ac baptizantur: Lavamini, mundi estote: & per Christum sanxisti spiritualem regenerationem. Ipse nunc etiam respice in hos baptizandos, & benedic eis, & sanctifica, & præpara, ut digni fiant spirituali dono tuo, ac vera adoratione, tuisque spiritualibus mysteriis, atque adgregatione cum iis, qui solvuntur per Christum, Salvatorem nostrum, per quem tibi gloria, honos, & reverentia, in Spiritu, in secula. Amen.

(9) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap.* 9. Omnipotens Deus æterne, Domine Universorum Creator, & rector cunctorum, qui hominem mundi mundum, sive ornamentum effecisti per Christum, & legem ei dedisti innatam, & scriptam, ut legitime viveret, tanquam ratione præditus, quippe ei, postquam peccavit, tribuisti bonitatem tuam, incitamentum ad pœnitentiam, respice in eos, qui cervicem animæ, & corporis inclinaverunt tibi, quia non vis mortem peccatoris, sed pœnitentiam, ut avertat se a vita sua mala, & vivat. Qui Ninivitarum pœnitentiam recepisti, qui vis omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui paternis visceribus suscepisti filium illum bonorum suorum decoctorem, prodigum, ac luxuriosum, quod eum pœnitere facti: Ipse nunc quoque accipe supplicem tuorum pœnitentiam, quia non est, qui non peccet Tibi: Si enim iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? Quoniam apud Te propitiatio est. Et restitue illos Sanctæ Ecclesiæ tuæ, in priorem dignitatem, & honorem per Christum Deum, ac Salvatorem nostrum, per quem Tibi Gloria, & Adoratio, in S. Spiritu, in secula. Amen.

(10) *Conc. Nicæn. Can. XI.* Quicumque germane, & pure pœnitentia ducuntur, tres annos inter Audientes exigent, ut Fideles, & septem annis prosternentur supplices. *Conc. Ancyran. Can. IV.* De iis, qui vi sacrificarant .... visum est anno audire, tribus autem annis substerni, ac supplices esse.

ces factæ fuerint: qua in re illud primum ceu indubium libere statuimus, diversos illos hominum ordines, pro quibus preces illæ etiam cum manuum super ipsis impositione fiebant, peculiarem distincta in Ecclesiæ parte stationem habuisse, uti ex Canone quodam Concilii Carthag. III. manifesto colligitur (11). Quod vero ad fideles communicantes attinet, a quibus preces illæ Diacono indicente fundebantur, licet non desint viri docti, qui eodem in loco in Missa Catechumenorum, ac tempore oblationis eos constitisse credant, attamen verosimilius ante oblationem longius ab altari substitere; 1. quia verosimile haud videtur populum fidelem remotius ab Catechumenis, Pœnitentibus &c. distasse, pro quibus orandum erat, & super quibus ab Episcopo manus imponebantur. Atqui his, uti modo ex Conc. Carthag. III. observavimus, proximum altari locum occupare haud permittebatur.

2. Quia Missa Catechumenorum, & Missa fidelium duo erant omnino distincta ministeria.

3. Quia expresse in eadem Carthag. Synodo (12) decernitur, ut quum ad altare adsistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio; at preces pro Energumenis ad Filium directæ erant.

XII. Postremo num eædem illæ pro Energumenis, Pœnitentibus &c. preces æque in Ecclesia Occidentali, ac in Orientali in usu fuerint, res obscurior est, quam quæ definiri possit; præsertim quum Ambrosius, & Augustinus (13) indicare videantur, simul atque sermo esset finitus, Catechumenos fuisse dimissos, fideliumque preces inchoatas. Verum præter quam quod isthæc Ambrosii, & Augustini testimonia id clare non demonstrant, modo relatus Synodi Carthag. Canon XXXII. expresse memorat precationem pro reconciliatione publici, ac magni cujusdam peccatoris coram Apsidem ante Missam fidelium fuisse peractam. Unde efficere possumus eandem græcæ, ac latinæ Ecclesiæ praxim fuisse, qua pro Catechumenis, Energumenis, Pœnitentibus separatim preces fierent, & quidem ab iis distinctæ, quæ postea ipsis absentibus ad altare ab fidelibus factæ fuerint.

§. VI. *De Manus Impositione super Catechumenos, & Pœnitentes inter Orationem fieri solita.*

XIII. Gentiles profanum Idolorum cultum ejurantes, Christianæque Religioni nomen dare aventes mox per Manus Impositionem in Catechumenorum numerum adscitos fuisse, nullus omnino dubitabit. Tradit id diserte cum primis Augustinus, Auctor Constitutionum Apost. Pseudo-Dionysius, aliique (14). Præsertim vero Severus Sulpitius *Cap. II. de Vita S. Martini*, ubi ait quamplurimos Gentilium ejus Sancti miraculis illectos, cum credere vellent, ab S. Martino per

(11) *Conc. Carthag. III. Can.* 32. Cujuscunque pœnitentis publicum, & vulgatissimum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit, ante Apsidem manus ei imponatur.

(12) *Conc. Carthag. III. Can.* 23. Et nemo in precibus Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet. Et quum ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio.

(13) *Augustinus Hom. CCXXXVII. de Tempore*: Ecce post Sermonem fit Missa Catechumenis. Manebunt Fideles, venietur ad locum orationis. *Locus autem, quem indicat Augustinus, est Altare, quo accedentes orationem Dominicam recitabant uni fideles. Adde etiam Ambrosium ad Marcellinam Epist. XXXIII.*

(14) *Augustin. Lib. II. de Peccatorum meritis, & Remissione Cap.* 26. Non uniusmodi est Sanctificatio. Nam & Catechumenos secundum quemdam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositionis puto sanctificari. *Auctor Constitut. Apost. Lib. VII. Cap.* 40. *ubi præcipua quædam capita enarrasset, quibus erudiendi erant, qui Catechumeni mox consignabantur*: Hæc, *inquit*, & alia consequentia discat in Catechesi, qui accedit; qui vero manus imponit Catechumeno, gratias agat omnipotenti rerum Domino *&c. At his clarius Pseudo-Dionysius Lib. I. de Hierarchia Ecclesiast. de Baptismo:* Explanata eidem Divina vita, &, ut ita dicam, conversatione, ex eo præterea quærit, num ita constituat vivere. Quum promisit, manus capiti admovet, eoque signo Crucis signato, Sacerdotibus imperat, ut Viri, atque Sponsoris nomina præscribat,

Manus Impositionem Catechumenos factos fuisse.

XIV. Ceterum doctissimus Morinus *Exercit. Ecclesiast. Dissert. De Catechumenorum Expiat. Cap.* 9. putat eandem Manus Impositionem sæpius repetitam publice in Ecclesia fuisse. Sane id sancitum invenimus in *Conc. Matisconensi II. anno DLXXXV.* (15). Præterea Antiquus *Ordo Romanus* agens de frequenti Catechumenorum institutione, itidem frequentis Manus Impositionis meminit super Catechumenos faciendæ. Ac forte id ipsum non obscure innuunt Constitutiones Apostolicæ *Lib. VIII. Cap.* 7. cum in Missa Catechumenorum jubent per Diaconum Catechumenos, Energumenos, & Pœnitentes *caput inclinare*, & *genuflectere*: proculdubio ad accipiendam Manus Impositionem una cum benedictione. Hinc Chrysostomus *Hom. II. in I. ad Cor. Demum eos*, inquit, *caput inclinare jubemus*, εἶτα κλίνατε τὰς κεφαλὰς κελεύομεν. De Catechumenis enim ibi loquitur Chrysostomus.

XV. Porro in eadem Catechumenorum Missa sicuti Catechumenis, sic etiam Pœnitentibus manus impositas fuisse, edocemur ex *Can. XIX. Conc. Laodiceni*. *Quod oportet seorsum primum post Homilias Episcoporum Catechumenorum Orationes peragi, & postquam exierint Catechumeni Pœnitentium orationem peragi. His etiam accedentibus sub Manu Episcopi, & recedentibus sic Fidelium tres Orationes peragi*. Est enim id proprium ejus loquutionis ὑπὸ χεῖρα *sub Manu* ut χειροτονίαν ipsam, seu Manus Impositionem significet, quod ex similibus huic sexcentis pene locis probari potest. Illud etiam ex hoc Canone conjicias, quod superius dixi, Catechumenis, non secus ac Pœnitentibus Manus Impositionem ab Episcopo impertitam fuisse. Verba enim hæc: *His etiam accedentibus sub Manu Episcopi, & recedentibus* clare innuunt paulo ante & Catechumenos ad manus Episcopi accessisse (16).

§. VII. *De Sacramento* Salis *item Catechumenis in Ecclesia dari solito, ac de specialibus eorundem Catechesibus*.

XVI. Inter alias cæremonias, quibus quis ad Catechumenatum veluti initiabatur, Salis benedicti degustatio fuit. Gregorius Magnus *Lib. VII. Regist. indict.* 1. *Epistola* 24. 1. Exsufflationis in faciem, 2. signi crucis, 3. Manus impositionis, 4. tandem Salis benedicti meminit, quod ubi degustarant, tum demum inter Catechumenos censebantur. *Inde vero*, inquit, *postquam gustaverit medicinam Salis, & ipse se signaverit, benedices eum his verbis: Domine Sancte Pater &c.* Atque idem profecto Sal respexit Augustinus *Lib. II. de Peccatorum Meritis, & Remissione Cap. XXVI.* ubi de Catechumenis loquens: *Quod accipiunt*, inquit, *quamvis non sit Corpus Christi*,

(15) *Conc. Matisconense II. anno DLXXXVIII. sub Pelagio II. Can.* 3. Præsentibus admonitionibus a suis erroribus, vel ignorantia revocati, omnes omnino a die quadragesima cum infantibus suis ad Ecclesiam observare præcipimus, ut Impositionem manuum certis diebus adepti, & sacri olei liquore peruncti legitimi diei festivitate fruantur, & sacro baptismate regenerentur, quo possint & honoribus (si vita comes fuerit) Sacerdotalibus fungi, & singularis celebrationis sollemnitate frui.

(16) *Non pigeat hic veluti per saturam advertere triplicem omnino fuisse Pœnitentium Manus Impositionem. Altera initio ipsis impertita, cum Pœnitentiæ durissimum stadium ingrediebantur, de qua loquitur Canon XXVII. Conc. Agathensis*: Pœnitentes tempore, quo pœnitentiam petunt, Impositionem manuum, & cilicium super caput a Sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. *Hanc vero excipiebant frequentissime, ac pene dixerim, quotidianæ manus Impositiones, quę toties pœnitentibus prętendebantur, quoties publice conveniebant. Huc facit, quem supra retuli, Canon Laodicenus XIX. Tandem pœnitentię curriculo perfuncti ad ultimam manus Impositionem accedebant, quam etiam peculiari nomenclatura* Reconciliatoriam *dicebant. De hac* χειροθεσίᾳ *accipiendus est* Canon 3. Conc. Arausic. I. *ubi de iis, qui accepta pœnitentia, mox ob mortis periculum Communionem receperant, hæc statuuntur:* Quod si supervixerint, stent in ordine Pœnitentium, & ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus, legitimam Communionem cum Reconciliatoria Manus impositione percipiant. *At de his fusius alibi*.

sti, *sanctum est tamen*, *& sanctius quam cibi*, *quibus utimur*, *quoniam Sacramentum est*. Neque enim Sacramentum, de quo loquitur Augustinus, esse possunt panes oblati, & benedicti, qui Catechumenis erant interdicti, uti constat ex Canone quodam Theophili Alexandrini (17). Vide etiam doctissimum Albaspinæum *Lib. I. de Administ. Eucharistiæ Cap. 6.*

XVII. Jam vero Sal hoc benedictum sæpius Catechumenis porrigebatur tempore Catechumenatus. *Conc. Carthag. III. Can.* 5. *Placuit ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur*, *nisi solitum sal*: *Quia si Fideles per illos dies Sacramentum non mutant*, *nec Catechumenos oportet mutare*. Ex quo Canone duo certo eruuntur; Alterum, sal Catechumenorum Sacramentum fuisse, sicuti Fidelium Panem consecratum, licet is ab illo longe diversus esset. Alterum, sal sæpissime etiam præter solemnissimos dies Catechumenis dari solitum fuisse. Nam si Canon hic vetat Sacramentum Catechumenorum etiam per sollemnes Paschæ dies immutari, profecto aliis etiam diebus de eo participabant Catechumeni, atque eodem prorsus modo, quo Fideles de Pane consecrato. Id vero Sal, quin in Catechumenorum Missa degustarint, ambigendum non est.

XVIII. Verumtamen, quod de Sale Catechumenorum hactenus observavimus, non ita accipias, juxta ac si ad omnes æque Ecclesias pertinuerit ea praxis. Sane universum pene Occidentem sal adhibuisse Catechumenorum, inficiandum non est; nam Hispanos sal Catechumenis porrexisse evidenter colligitur ex *Epist. Deusdedit Papæ*, uti Gallos *ex Capitularibus Caroli Magni*, Afros vero *ex Ca. VI. Concil. Carthag. III.* atque *ex Augustino* (18). Ceterum, ut id verum est de Ecclesia Occidentali, in Ecclesia Orientali certe nusquam obtinuit. Sane in *Euchologio Græcorum*, quamvis ceteri ritus describantur creandis Catechumenis necessarii, nulla tamen occurrit salis mentio; sed tantum manus impositionis, atque exufflationis, quod etiam observare est in Constitutionibus Apostolicis. Ergo quidquid supra diximus, totum id ad Occidentales referas.

XIX. Erat præterea & alia quædam Liturgiæ pars, quæ ad Catechumenos initiandos pertinebat: ut speciales quædam Catecheses, quæ diversæ erant pro diverso Catechumenorum gradu. Nam ut Catechumeni erant alii sic dicti ἁπλῶς Catechumeni, qui recens Christo nomen dederant, alii Competentes, græce etiam φωτιζόμενοι, qui jam jam Baptismum suscepturi erant: sic speciales utrisque conciones habitæ. Illis prima principia Christianæ religionis, his symbolum, & oratio Dominica, ceteraque mysteria trade-

Q 2 ban-

(17) *Theophilus Alex. Can. VII.* Quæ in Sacrificii rationem offeruntur, post ea, quæ in sanctorum usum consumantur, clerici dividant: At nec Catechumenus ex his bibat, vel comedat, sed solum Clerici, & qui cum eis sunt fideles Fratres. *Scio tamen quod censuerit Doctissimus Albaspineus Lib. I. de Institut. Eucharistiæ Cap. VII. de Sacramento Catechumenorum, quod eo loci Augustinus memorat: nempe, licet non fuerint oblati panes, fuisse tamen panes benedictos. At id sine teste, & tabulis: Nec uspiam Christianorum Antiquitatum leges aliud sacramentum, præter solitum sal, ut loquitur Conc. Carthaginiense III. Catechumenis datum fuisse. Vide Samuelem Basnagium ad annum XLIX. num. VII. de Rebus Sacris, & Ecclesiasticis.*

(18) *Deusdedit Romanus Pontifex Epist. ad Gordianum Hispalensem Episcopum*: Scitis, *inquit*, quia quomodo sunt septem dona Sp. Sancti, ita sunt dona Baptismi a primo pabulo sacrati Salis, & ingressus Sanctæ Ecclesiæ usque ad Confirmationem Spiritus Sancti per Chrisma. *De Gallis vero est ejusdem praxis monumentum in Lib. VII. Capitularium Caroli M. Cap.* 190. *ubi Canon V. Conc. Carthag. III. adducitur, & veluti explicatur*: Per sollemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nec eis, qui a luminibus Ecclesiæ exclusi sunt, neque eis ante Canonicam Reconciliationem, qui publicam gerunt pœnitentiam, sed tantum benedictum sal a Sacerdotibus pro communione tribuatur: Et quia Fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec Catechumenos, vel publice pœnitentes oportet mutare. *Ex hoc autem Canone videtur Sal benedictum etiam Pœnitentibus datum fuisse. At id quoniam indictum ceteris Patribus, neque clare omnino innuunt Canonis verba, numquam crediderim. Ad Afros vero quod attinet, videndus Augustinus Lib. I. Confess. Cap. xi. & Canon V. Conc. Carthag. III., quem supra attuli.*

bantur: quod ex Augustino clare eruitur (19), qui aperte ait paulo ante Baptisma Symbolum, & Orationem Dominicam edoctos fuisse Catechumenos, quippe qui jam non ἁπλῶς Catechumeni, sed φωτιζόμενοι erant, i. e. jam jam baptizandi. Atque hinc colligas omnes Cyrilli Hierosolymitani Catecheses, tum quatuor Augustini Sermones de Symbolo ad Catechumenos, ad Competentes τὰς φωτιζομένους pertinuisse.

XX. Illud tamen hic quæret quispiam in Missa ne Catechumenorum, an alias eæ habitæ sint conciones. At ego distinguendas existimo Catecheses, quæ Catechumenis, ab iis, quæ Competentibus fiebant. Illæ enim domi semper habitæ; de quo nullus dubitat: hæ vero non raro in Ecclesiis, plerumque vero extra Ecclesiam in Baptisteriis habebantur. Certe Augustinus cum alibi, tum in *Lib. de Catechiz. Rudibus Cap. XIII.* id perspicue testatur, quo in loco ait, si Catechumeni forte in Ecclesia audiendo delassentur, æquum esse, ut eis sedere liceret, non secus ac in transmarinis Ecclesiis fiebat. Adde Socratem (20), qui Origenem feria quarta, sextaque Catecheses suas in Ecclesia habuisse memoriæ prodidit. Quod de Origene docet etiam Rufinus (21). Contra vero alicubi extra Ecclesiam in baptisteriis, aut quolibet alio loco habitas fuisse constat. Certe Ambrosius in Baptisterio Competentes edocuit, ut est in ejus *Epistola XXXIII. ad Marcellin. Post lectiones*, inquit, *atque Tractatum, dimissis Catechumenis Symbolum aliquibus Competentibus in Baptisteriis tradebam Basilicæ*. Idem innuit quoque Joannes Hierosolymitanus *Epist. ad Theophilum Alexandrinum apud Hieronymum* (22).

XXI. Quæ cum ita sint, hinc facile statuas, has Competentium Catecheses ad Missam Catechumenorum non pertinuisse. Nam 1. alicubi extra Ecclesiam habebantur. 2. Quis credat Liturgicum ministerium ultra duarum horarum spatium non progressum, præter Psalmodiam, Scripturarum Lectionem, Episcopi Concionem, Orationes tam Catechumenorum, quam Fidelium, Oblationem, Eucharistiæ Communionem, aliasque cæremonias, Catecheses etiam Competentium complecti potuisse? 3. Quod de his in synaxi fieri

(19) *August. de diversis Serm. XLVIII.* Quia vero dixit, quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Ideo non accepistis prius Orationem (*Dominicam scilicet*) & postea Symbolum, sed prius Symbolum, ubi sciretis, quid crederetis, & postea orationem, ubi nossetis, quid invocaretis.

(20) *Socrates Lib. V. Hist. Eccles. Cap.* 22. Præterea Alexandriæ quarta Feria, & ea, quæ dicitur Parasceve, leguntur Sacræ Scripturæ, easque Doctores interpretantur.... Atque hic mos Alexandrinæ Ecclesiæ vetustissimus est. Constat enim Origenem his ut plurimum diebus in Ecclesia docuisse.

(21) *Rufinus Cap. 3. Lib. VI. Hist. Eccles.* Videns Demetrius Episcopus (*Alexandrinus*,) quod ad ipsum præcipue doctrinæ gratia, & prædicationis verbi Dei multitudines plurimæ convolarent, catechizandi ei, i. e. docendi magisterium in Ecclesia tribuit. *Non me tamen fugit eruditissimi Valesii animadversio*, *qui* Lib. VI. Euseb. Cap. 19. *falso crimine Rufinum culpat, cumque emendatum iri ait ex Epistola Demetrii Alexandrini ad Alexandrum Hierosolymæ, & Theoctistum Cæsareæ Episcopum, ubi eos, quod Origenem laicum hominem publice in Ecclesia*, præsentibus Episcopis, *concionari sciverint, graviter arguit: quod nunquam fecisset, si & ipse hanc ille veniam Alexandriæ dedisset. Atqui idem, quod hic Rufinus, dictum postea etiam Socrati fuit* Lib. V. Hist. Eccles Cap. 22. *cujus loci tum forte non meminerat Valesius. An utrosque hos Auctores acceptos credemus? Ego vero facile Demetrii Epistolam cum Socratis, Rufinique testimonio componi posse puto, si dixeris Origenem Catecheses suas in Ecclesia quidem, sed extra Synaxin, aut certe in attiguis Ecclesiæ Scholis habuisse. Nam & hunc fuisse apud antiquos morem, ut extra synaxin Catechumeni erudirentur, sat abunde superne demonstravimus. Atqui quod Episcopos Cæsareensem, & Hierosolymitanum arguit Demetrius, illud erat, quod passi fuerint Origenem, præsentibus Episcopis concionari. En illorum Epistolæ verba apud Euseb. loc. cit.* Quod vero adjecisti in litteris tuis nunquam antea visum, ut præsentibus Episcopis laici concionarentur; in eo nescio &c. *Id ergo volebat Demetrius, non dandam esse veniam Laicis concionandi in Synaxi coram Episcopis, quod nec dicit Rufinus, nec Socrates de Origene.*

(22) *Theophil. Alex. apud Hieron.* De Fide, & omnibus dogmatis loquuti sumus, quæ & semper gratia Dei indesinenter in Ecclesia docemus, & in Catechesibus.

ferri solitis taceant Constitutiones Apostolicæ, taceat Chrysostomus, taceant Patres reliqui. Ergo eas omnino extra synaxin conjicias oportet.

XXII. Postremo illud animadvertas, has cæremonias ritusque ita quidem peractos fuisse, ut inferior quisque Pœnitentium, aut Catechumenorum gradus nunquam ritibus iis interesse potuerit, qui ad superiorem pertinebant. Ergo is ferme erat ordo discedendi ab Ecclesia. Primo Audientibus, qui vel Catechumeni erant, vel Pœnitentes, abire jussis, succedebant Energumeni, hisque rursus, accepta Episcopi Benedictione, pulsis, clamabat Diaconus; *Εὔχεσθε φωτιζόμενοι*, *Orate Baptizandi*. Hi vero, ubi accepta Benedictione, manuumque impositione, & quandoque etiam Sacramento Salis, discessissent, res ad Pœnitentes veniebat, quibus pari modo sub Episcopi manum missis, Missa Fidelium inchoabatur, de qua in altera hujus Libri parte agendum erit; postquam paucula quædam delibaverimus de ea Liturgiæ parte, quæ in Christianis Funeribus prisco more servabatur.

APPENDIX.

De Liturgia Funebri, seu de Ritibus veteris Ecclesiæ in sepeliendis defunctorum fidelium Corporibus.

§. I. *Per tria priora Secula Defunctorum Fidelium corpora haud quidem in Oppidis, vel in Ecclesiis, at vero in Cryptis, & Catacumbis extra civitatem sepulta sunt.*

I. Quamvis Fideles per tria priora Ecclesiæ Secula diristyrannorum persecutionibus exagitati quemcumque locum ab hominum frequentia remotum in cultus divini usum convertere potuissent, ut scite disserit Dionysius Alex. *Lib. VII. Cap. XXII.* apud Eusebium: *Tempore persecutionis quivis locus, ager, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi est ad sacros conventus peragendos;* attamen plerumque ad Martyrum suorum sepulcra, & monumenta cultum divinum peracturi conveniebant. Isthæc tum *κοιμητήρια* *Cæmeteria* vocabantur, quod illic deposita corpora duntaxat caussa dormiendi jacere existimabant, donec, Christo adveniente, resurgerent; tum etiam *Areæ sepulturarum*, & *Cryptæ* vocabantur, quæ sæpe fornices erant subterranei ad religiosos conventus tutius agendos; hinc sæpe Gentiles eas Christianis interdictas esse volebant, ut est apud Tertullianum (1): *Areæ non sint*. Hinc etiam Æmilianus Præfectus Romanus Dionysium Alexandrinum Episcopum alloquens apud Eusebium *Lib. VII. Cap. II. Nullatenus licebit vobis.... ea, quæ vocantur, Cæmeteria adire.*

II. Jam vero loca isthæc sepulturis destinata haud quidem in Civitatibus, vel in oppidis; at vero extra mœnia in viis publicis posita erant: id constat tum ex Romanis Cœmeteriis, quorum circiter quadraginta tria recenset Baronius ad annum Christi *CCXXVI.* cuncta in Romæ suburbanis ex æquo constituta; tum ex Neapolitanis, quæ Romanis nobiliora esse, ac spatiosiora, & ipsa quidem extra mœnia, neminem latet (2); tum vel maxime ex eo, quod Romanæ leges per omne

(1) *Tertull. ad Scapul. Cap. III.* Sicut & sub Hilarione Præside, cum de Areis sepulturarum nostrarum adclamassent: Areæ non sint; Areæ ipsorum non fuerunt. Messes enim suas non egerunt. *Idem nomen sæpe etiam in scriptoribus Africanis occurrit. Gesta Purgationis Caciliani ad calcem Optati*: Cives in Area Martyrum fuerunt inclusi. *Item Passio Cypriani*: Ejus corpus positum est in Areis Macrobii Candidi.

(2) *Neapolitanarum Cryptarum, quas Catacumbas dicimus, magnitudo, structuraque mirabilis inde colligi potest, quod ea in longum ad duo milliaria excurrant; ab Ecclesia scilicet S. Januarii extra mœnia* ad

omne illud tempus mortuos in civitatibus sepelire omnibus hominibus cujuscumque ordinis, ac conditionis interdicebant.

III. Romani siquidem id cavendo, verandoque religiosissimi omnium fuere, ea ducti ratione, quam Paulus Jurisconsultus affert *Sentent. lib. I. Cap. ult. Ne funestentur*, scilicet, *Sacra Civitatis*, & *qui contra ea fecerit, extra ordinem puniatur*. Hinc vetustissima lex decemviralis: *In urbe ne sepelito, neque urito*. Ac quamvis decursu temporis privatorum ambitio Sepulcra urbica ambire visa est, coercuerunt tamen Romani Patres, quod docet *Servius in Virg*. (3) Duellio Consule. Atque, ut propius ad Christianorum tempora descendamus, certum est Hadrianum, & post hunc Antoninum Pium Imp. id ipsum vetuisse mulcta pecuniaria transgressoribus indicta (4). Hinc Augustus, & Tiberius prope viam Appiam sepulti sunt, uti ad viam Latinam Domitianus, quod edocemur ex Seneca, & Suetonio (5). Hinc Juvenalis Poeta de Viis Flaminia, atque Latina veluti communi sepulcro loquitur (6).

IV. Jam vero Romanis hisce legibus per se *ἀδιαφόροις* fideles obtemperasse nihil est cur dubitemus; præsertim quum veteres Christiani scriptores tam de mortuis generatim, quam de sepulcris, & monumentis martyrum, tanquam extra civitatem constitutis, concorditer loquantur. Id de sepulcris Sanctorum Petri, & Pauli, Xysti, & sex Diaconorum ejus, Cypriani, Laurentii, &c. Hieronymus, Passio Cypriani, Pontificale Romanum, aliaque antiqua Ecclesiastica monumenta perspicue testantur (7). Qua de re sequutis temporibus fideles ad monumenta martyrum conventus religiosos acturi ex urbibus in agros egredi deprehenduntur. Id Chry-

ad usque S. Euphebii Veteris sic dicti Ædem Patrum Cappuccinorum. Hæc triplici ordine sibi invicem imposito constant; opus constructum affabre, & concameratum undique ingentibus fornicibus, protensis hinc inde lateribus quasi brachiis, Cappellarum instar, iisque tam amplis, ut pene alteras Catacumbas credas. Plures inibi Imagines vetustate partim erasas, detritas partim visere est; ad hæc Altaria, ac Episcopalem sedem in ipso aditu. Hæc omnia accepta merito referimus summæ, ac pene incredibili diligentiæ, desiderioque res patrias illustrandi, quo flagravit semper Carolus Celanus hujus Metropolis Canonicus, uti videre est in ejus Libro Notit. Urbis Neapol. Die VII. *qui eas ne dimidias quidem quatuor horarum itinere lustrare potuit anno* MDCXLIX. *Cujus hoc est ibidem judicium, ceteras Romanae Catacumbas, quas omnes idem sedulus invisit postea, minime posse cum Neapolitanis nostris nec magnitudine, neque artificio conferri. Neque vero hic solum Neapoli, sed & in cetero quoque Regno Catacumbas fuisse in comperto est. Certe Barii Orientem versus adhuc duæ Cryptæ visuntur amplissimæ, eæque non una, bino, ternoque etiam ordine sibi imminentes antiquis imaginibus, Columnis, Altaribus, Thronisque Episcopalibus ornatæ.*

(3) *Servius Lib. XI. Ad hæc Virg.*

.... Urbique remittunt.

Meminit, *inquit*, antiquæ consuetudinis: nam etiam ante homines in Civitate sepeliebantur, quod postea Duellio Consule Senatus prohibuit, & legavit, ne quis in urbe sepeliretur. *Atque inde mos increbuit in suburbiis denata corpora sepeliendi, ut est apud Ovidium*:

Inque suburbano membra sepulta solo.

(4) *De Hadriano testatur id Ulpianus in Digest. Lib. XLVII. Tit. XII. De Sepulcro violato leg. III. §. 5.* D. Hadrianus rescripto pœnam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in Civitate sepeliunt: quam Fisco inferri jussit, & in magistratus, eadem, qui passi sunt, & locum publicari jussit, & corpus transferri. Quid tamen si lex municipalis permittat in civitate sepeliri? Post rescripta principalia, an ab hoc discessum sit, videbimus: Quia generalia sunt rescripta, & oportet imperialia statuta suam vim obtinere, & in omni loco valere. *De Antonino Pio Auctor est Capitolinus in ejus vita*: Intra urbes, *inquit*, sepeliri mortuos vetuit.

(5) *Senec. Apocolocynth. Claud.* Appiæ viæ Curator est, qua scis & Divum Augustum, & Tiberium Cæsarem ad Deos isse. *Sueton. Vita Domitian. Cap. XVII.* Cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum Phyllis nutrix in suburbano suo Latina via funeravit.

(6) *Juvenal. Satyra 2. sub finem*:

Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

(7) *Hieron. de Scriptor. Eccles. Cap. I.* Sepultus Romæ in Vaticano juxta viam Triumphalem, totius Urbis veneratione celebratur. *Passio Cypriani*: Ejus Corpus propter Gentilium curiositatem in proximo positum est cum Cereis, & scolacibus in Areis Macrobii Candidi Procuratoris, quæ sunt in via Mappaliensi juxta piscinas cum voto, & triumpho magno. *Pontific. Vita Xysti*: Qui sepultus est juxta corpus B. Petri in Vaticano.

Chryſoſtomus haud ſemel indicat (8). Conſtat igitur Chriſtianos per tria priora Secula mortuos in oppidis, vel Eccleſiis oppidanis non ſepeliiſſe.

V. Atneque in Eccleſiis extra oppida; quod enim in cœmeteriis, cryptis, vel catacumbis fideles plerumque divinum cultum peregerint, id argumento non eſt, loca iſthæc proprie loquendo Eccleſias fuiſſe; namque tantummodo gravi quadam extraordinaria neceſſitate urgente, nimirum, ut ab moleſtis perſecutorum infeſtationibus tuti ſacris functionibus vacare poſſent illic, ubi martyres ſepulti erant, conventus ſuos inſtituebant. Igitur haud quidem in cœmeteriis ſepeliebantur martyres, quod iſthæc revera Eccleſiæ eſſent; at potius in cœmeteriis conveniebant fideles, quod & martyrum λειψάνοις ſacra eſſent, & ab hominum frequentia remota, præſertim quum, perſecutionis tempore, uti modo ex Dionyſio Alex. animadvertimus, etiam *ager*, *ſtabulum*, *navis*, *carcer*, ac quivis alius locus ſacro conventui opportunus eſſe potuiſſet.

§. II. *Neque per ſubſecuta aliquot Secula fidelium corpora intra civitates & Eccleſias ſepulta ſunt.*

VI. Et ſane Theodoſius Imp. quadam lege (9) non modo integra corpora

(8) *Chryſoſtom. Homil. LXVII. in Droſidem.* Licet intus in Civitate ſpiritualibus cibis referta propoſita nobis eſſet menſa, tamen hæc ad Sanctos iſtos egreſſio, neſcio quo nos recreat ſolatio, & utilitatem nihilo recreatione minorem parit.

(9) *Cod. Theodoſ. Lib. IX. Tit. XVII. De Sepulcris violatis lep. 6.* Omnia, quæ ſupra terra urnis clauſa, vel Sarcophagis corpora detinentur, extra urbem delata ponantur, ut & humanitatis inſtar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio ſanctitatem. Quiſquis hujus præcepti negligens fuerit, atque aliquid tale ab hujus interminatione præcepti auſus fuerit moliri, tertia in futurum patrimonii parte multetur. Officium quoque, quod ſibi paret, quinquaginta librarum auri adfectum deſpoliatione merebitur, ac ne alicujus fallax, & arguta ſollertia ab hujus præcepti intentione ſubducat, atque Apoſtolorum, vel Martyrum Sedem humandis Corporibus æſtimet eſſe conceſſam ab his quoque, ita ut a reliquo Civitatis, noverint ſe, atque intelligantur eſſe ſubmotos. *Hic tamen adverte ſis σκοπὸν finem ipſum, qui huic legi rogandæ anſam præbuit Theodoſio. Neque enim ſuperſtitioſum, quod volunt Heterodoxi, creditum umquam ab Majoribus noſtris fuit, mortuos in Eccleſiis condere, ſic ut id ſevere Imperatoriis etiam legibus interdictum plane fuerit. Qua in re Gentiles ab Chriſtianis Imperatoribus diſtinguendi ſunt. Alia quippe illos, hos alia impulit ratio. Illi enim urbica ſepulcra eo vetabant, quod cadaverum tumulis crederent Sacra Civitatis funeſtari, Magiſtratus, ac Sacerdotes pollui. Donatus in Andriam. Terentii :* Noctu efferebantur, *inquit*, propter Sacrorum celebrationem diurnam. *Clarius vere Servius in illud Virg. Lib. XI. Æneid. v. 143.*

Funereas rapuere faces: lucet via longo
Ordine flammarum ......

Quia, *inquit*, in Religioſa Civitate cavebant, ne aut Magiſtratibus occurrerent, aut Sacerdotibus, quorum oculos nolebant alieno funere violari. *Adde etiam Senecam* Conſol. ad Mort. Cap. XV. *&* *Tacitum* I. Annalium. *Ac quamvis Pontifices funus exequerentur, quod docet* Gellius Lib. X. Cap. 15. *id tamen noctu fiebat; nam interdiu omnino nefas. Hanc ipſam rationem innuunt paſſim paganæ Sanctiones, ac Paulus* Juriſc. I. Sent. Tit. De Sepulcris, & Lugendis. *At Theodoſius Chriſtianus Imperator hanc hac lege præcepti cauſſam profert:* Ut & humanitatis inſtar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio Sanctitatem. *Muratorius* in Diſſert. ad Juſtum Fontaninum *legi vellet pro* Sanctitatem, Sanitatem. *At id nunc non opus. Nam ideo, ut ne in urbibus mortuos ſepelirent, vetuere Chriſtiani Imperatores, quod nollent omnia pene Urbis loca ſanctitati addici, ſed libera Civium domicilio relinqui. Enimvero tam Paganorum, quam Chriſtianorum more cum buſta, tum vicina buſtis loca, ædes, horti, atque atria ſancta erant, ac Religioſa, quod fuſius docent Spondanus* de Cœmet. Lib. I. Part. I. *Kirchmannus, Gutherius, aliique. Igitur ſecus vias in ſuburbiis ſepeliri vult Theodoſius*, ut & humanitatis inſtar exhibeant, *i. e. ut prætereuntes humanæ ſortis commoneant*, & relinquant incolarum domicilio ſanctitatem, *i. e. & civibus ſuorum templorum ſanctitatem relinquant, neque tumulis urbicis ſancta loca multiplicent. Gothofredus quidem hic eandem Theodoſio fuiſſe dicit ſententiam, quæ Paulo Juriconſulto, ne ſcilicet Sacra Civitatis funeſtentur: At quis id de pientiſſimo Imperatore credat?*

Ceterum Patribus alia fuiſſe ratio videtur Eccleſiaſtica Sepulcra vetandi, metus quidam, ac vera-

pora sarcophagis detenta, verum & cineres urnis clausos in Ecclesiis æque, ac in civitatibus sepeliri interdixit: quinimmo pœnas non obtemperantibus denuntiat. Hujus Theodosii legis meminit Chrysostomus haud semel, præsertim *Hom. XXXVII.* ubi sic loquitur: *Cogita, quia nullum in civitate sepulcrum struitur:* ad quam etiam respexisse videtur Auctor (10) sub nomine ejusdem Chrysostomi, quando ait: *Omnis civitas, omne castellum ante ingressum sepulcra habet*. Atque adeo Sidonius Apollinaris, qui floruit fere exeunte Seculo V. aperte indicat fuisse tum adhuc morem in Gallia, ut mortui extra mœnia civitatis in aperto campo sepelirentur (11). Eundem morem etiam in Africa obtinuisse ex Concilio *Carthag. V.* (12) perspicuum est.

VII. Tum Concilium Bracarense habitum anno DLXIII. ex eo, quod in Galliis ad illam usque ætatem nullo modo intra ambitum murorum civitatum cujuslibet defuncti corpus erat humatum, inde occasionem arripit præcipiendi, corpora defunctorum nullo modo intra Sanctorum Basilicas esse sepelienda etiam per Hispanias. Et Justinianus Imp. ubi Theodosii legem instauravit, priorem partem adversus humationem in civitatibus quamvis resecaverit, posteriorem tamen adversus humationem in Ecclesiis retinuit (13): atque isthæc prohibitio ad ætatem usque Caroli M. vim habuit, licet cum quibusdam exceptionibus, uti mox videbimus.

§. III. *Secutis temporibus sensim veluti quibusdam grad.bus humatio in Ecclesiis, & intra civitates inducta est.*

VIII. Seculo IV. ille primum honor Martyribus tributus est, ut eorum Reliquiæ in civitatem translatæ in Ecclesiis deponerentur: id quod ex *Can. XIV. Concil. Carthag. V.* manifestum est, in quo sic decernitur: *Omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ sint.*

IX. Tum Imperatores, & Reges, ceu peculiare præ reliquis mortalibus privilegium ambiverunt in atrio, sive porticu, vel in aliis exterioribus Ecclesiæ ædificiis

verentia erga Martyrum λείψανα, sanctamque Christi Eucharistiam. Quamvis enim Concilia Brac. I. Can. XXXIII. Nannet. Can. VI. Arel. III. Can. XXII. *in Basilicis Martyrum deponi mortuos prohibeant, locum tamen eis aut circa muros, aut in atriis concedent, certe ob honorem quemdam, ac reverentiam in Martyres. At contra secus Patrum sapientiares senserunt, qui sepulcra aut secus Altare, aut prope Martyrum reliquias commendarunt, quod crederent se Martyrum precibus, Christique meritis adjutum iri. Docet id magnus Augustinus* Lib. II. Retract. Cap. LXIV. *cujus locum mox dabo* Not. 18. *Præclara est etiam illa Ambrosii sententia in Orat. de Sanctis Gervasio, & Protasio*: Dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit. *Quæ cum ita sint, quis æquo animo ferat, nos veluti superstitiosos, aut etiam irreligiosos traduci, qui in Basilicis tumulamus certo sperantes meta deposito, fore, ut fidelium tam viventium, quam triumphantium precibus Christique gratia adjuti æternam requietem consequamur, præsertim quum desierint jam rationes illæ, quæ secus Patres quosdam atque Imperatores suaserunt?*

(10) *Hanc Homiliam inter Chrysostom. XVII. de Fide, esse volunt Severiani Cabbalitarum Episcopi*: Omnis, *inquit*, Civitas, omne Castellum ante ingressum sepulcra habet.

(11) *Sidon. Lib. III. Epist.* 2. Avi mei tumulum hesterno (proh dolor!) die pene manus profana temeraverat. Sed Deus adfuit, ne nefas tantum perpetraretur. Campus autem ipse dudum refertus tam bustualibus favillis, quam cadaveribus, nullam jamdiu scrobem recipiebat &c.

(12) *Concil. Carth. V. Can. XIV. Atque eo clarior est Optati locus Lib. III.* In loco Octavensi occisi sunt plurimi, detruncati sunt multi: Quorum corpora usque in hodiernum per dealbatas aras, aut mensas poterunt numerari. E quorum numero cum aliqui in Basilicis sepeliri coepissent, Clarius Presbyter in loco Subulensi ab Episcopo suo coactus est, ut insepultam faceret sepulturam. Unde proditum est, mandatum fuisse fieri, quod factum est, quando nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est.

(13) *Codex Justin. Lib. I. Tit. II. de Eccles. leg.* 2. Nemo Apostolorum, vel Martyrum sedem humandis corporibus existimet esse concessam.

ciis ſepeliri. Id de Conſtantino narrant Euſebius, & Chryſoſtomus (14); & de Theodoſio ſeniore, Arcadio, & Theodoſio juniore indicat idem Chryſoſtomus, & aperte teſtatur Nicephorus (15).

X. Ad idem privilegium Seculo VI. etiam populus videtur admiſſus; adhuc tamen per leges in Eccleſiis ſepeliri vetabantur: uti manifeſto adparet, tum ex modo productis Juſtiniani lege, & Bracarenſis Concilii Canone; tum etiam ex Canonibus Conciliorum Nannetenſis, Arelatenſis, Moguntini, Triburicenſis, aliorumque (16). Regulam quoque in eandem ſententiam Carolus M. fecit in ſuis Capitularibus *Lib. I. Cap. CLIX.* quæ ſic habet: *Nullus deinceps in Eccleſia mortuum ſepeliat.* Et Leo Sapiens in Oriente circa annum DCCC. libertatem omnibus relinquens ſepeliendi intra, vel extra cujuſcumque civitatis muros, nihil de Eccleſiis ſtatuit (17).

XI. Igitur ad nonum uſque Seculum nulla in orbis parte generalis aliqua per leges invenitur indulta facultas mortuos in Eccleſiis ſepeliendi; tantummodo in hoc intervallo primariis quibuſdam hominibus, uti Regibus, Epiſcopis, Eccleſiarum conditoribus, Presbyteris, ac laicis illis, qui vitæ ſanctimonia maxime floruerint, ſepultura in Eccleſiis aliquando conceſſa eſt (18). Hinc Socrates Proclum corpus Jo: Chryſoſtomi Conſtanti-

(14) *Euſeb. Vit. Conſtant. Lib. IV. Cap. 71.* Quod maxime ambierat locum juxta Apoſtolorum Memoriam ei conceſſit (Deus). *Chryſoſtomus quoque Homil. XXVI. in II. ad Cor.* Conſtantinum Magnum filius ita demum ingenti honore ſe adfecturum exiſtimavit, ſi eum in Piſcatoris veſtibulo conderet. Quodque Imperatoribus ſunt in Aulis Janitores, hoc in ſepulcro Piſcatoribus ſunt Imperatores. Atque illi quidem, velut domini, interiores loci partes obtinent, hi autem velut accolæ, ac vicini præclare ſecum agi putarunt, ſi veſtibuli janua ipſis adſignetur.

(15) *Idem Lib. quod Chriſtus ſit Deus.* Cap. VIII. Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, non ſi prope Apoſtolos, ſed ſi vel extra eorum veſtibula, corpora ſua ſepeliantur, ſiantque Piſcatorum oſtiarii Reges. *Adde Nicephorum Lib. XIV. Cap. 58.* Theodoſius poſtea mox in paterno monumento lapidis Romani repoſitus eſt, in dextra ſublimi Sanctorum Apoſtolorum Templi porticu: In qua porticu, eodemque lapide pater quoque Arcadius, & Mater Eudoxia, nec non Avus Theodoſius ſiti ſunt.

(16) *Concil. Bracar. I. Can. XXXVI.* Corpora defunctorum nullo modo juxta Baſilicam ſanctorum ſepeliantur: Sed ſi neceſſe eſt, deforis circa murum Baſilicæ, uſque adeo non abhorret. *Conc. Nannet. Can. VI.* Prohibendum eſt, etiam ſecundum majorum inſtituta, ut in Eccleſia nullatenus ſepeliantur, ſed in atrio, aut in porticu, aut in Exedris Eccleſiæ. Intra Eccleſiam vero, & prope altare, ubi Corpus, & Sanguis Domini conficitur, nullatenus ſepeliantur. *Concil. Arelat. III. Can. 21.* De ſepeliendis mortuis in Baſilicis illa conſtitutio ſervetur, quæ ab antiquis Patribus conſtituta eſt. *Concil. Mogunt. Can. LII.* Nullus mortuus intra Eccleſiam ſepeliatur. *Adde etiam Concil. Triburicenſ. Can. XVII.* Præcipimus, ut deinceps nullus Laicus in Eccleſia ſepeliatur.

(17) *Leo Novell. LIII.* Ne igitur ullo modo inter civiles leges hæc lex recenſeatur ſancimus: Quin potius, ut a conſuetudine recte contemnitur, ſic etiam decreto noſtro prorſus reprobatur. Quicunque autem ſive extra muros, ſive intra Civitatem ſepelire mortuos volet, perficiendæ voluntatis facultatem habeat.

(18) *Hic enimvero mirari ſubit audax, acutumque ingenium Kepperi hominis Heterodoxi* Polit. Eccleſ. Lib. I. Cap. XV. *ubi ab quæſtuoſis demum Monachis, nobiſque ſacrificulis ſub Greg. Magni ætatem invectam dicit ſuperſtitionem intra Eccleſias cadavera componendi. Ergo juvabit hic paucis oſtendere praxin eam, quam ille ſuperſtitionem vocat, non inſolentem priſcis etiam temporibus fuiſſe, nec minus generalem, quam quæ urbana in Eccleſiis ſepulcra vetabat. Quod eo lubentius a me fiet, quod quæ ſuperne protulimus exempla, exceptiones videntur eſſe ab generali regula. Atqui ultra rem producendam eſſe cenſeo. Prima enim fuiſſe hanc in priſcis Chriſtianis pietatem, ut volupe ſibi æque, ac propitium ducerent, ſi in Eccleſiis humarentur, docemur ex ipſis legibus Imperatoriis. Qui enim urbanas Sepulturas inbibuiſſent illi, ſi non contrarius increbuiſſet uſus? Deinde certum eſt Chriſti Seculo IV. & V. univerſam pene Occidentalem Eccleſiam in Eccleſiis juxta Martyrum tumulos ſepeliviſſe. Nolæ Paulinus ejus Urbis Epiſcopus hæc ſcripſit carmina:*

Cellula de multis, quæ per latera undique magnis
Appoſitæ tectis præbent ſecura ſepultis
Hoſpitia ....

nopolin deportasse, & in Ecclesia Apostolorum deposuisse perhibet (19). Et ante memorata Moguntina Synodus sic decernit *Can. LII. Nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni presbyteri, aut fideles laici*. Euagrius de more sepeliendi Imperatores, & Clericos in Ecclesia Apostolorum a Justiniano Constantinopoli ædificata, tanquam de usitata consuetudine loquitur (20). Ac tandem Sozomenus de quadam muliere narrat, quod in Ecclesia circa Ambonem sepulta sit, eo quod maritus illius eam ædificarit (21).

XII. Postremo secutis temporibus, nimirum jam inde ab nono Seculo Episcoporum, & Presbyterorum arbitrio relictum est decernere quosnam in Ecclesiis sepeliri oporteret; & quum non deessent, qui hæreditarias in Ecclesiis sibi adsererent sepulturas Concilium Meldense anno DCCCXLV. habitum sic sanxit: *Nemo quemlibet mortuum in Ecclesia quasi hæreditario jure; nisi quem Episcopus, & Presbyter pro qualitate conversationis, & vitæ dignum duxerit, sepelire presumat.*

§. IV.

Eas vero Cellulas intra Basilicam ponas oportet; nam ibi noctu fur occlusus mane primo reseratis Aulæ i. e. Basilicæ ostiis, aufugit statim, quod mox canit idem Paulinus:

....Harum una fur abditur; atque ubi mane
Claustra patere videt, reserata prosilis Aula.

Idem etiam colligas ex ejusdem Epist. XII. ad Severum, ubi Cubicula Ecclesiæ, seu Cappellas Sepulturis destinatas dicit. Ambrosius Mediolani subtus altari tumulum sibi paraverat, at eo inlatis Gervasii, atque Protasii Reliquiis: Hunc, *inquit*, mihi locum prædestinaveram. Dignum est enim, ut ibi requiescat Sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo Sacris victimis (*Gervasio, & Protasio*) dexteram portionem. *S. Satyrus Ambrosii Frater laicus licet secus tumulum S. Victoris in Ambrosiana Basilica sepultus est, uti patet ex ipsius loculi inscriptione:*

Uranio Satyro supremum Frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambrosius.

Eandem fuisse Taurinatis Ecclesiæ consuetudinem colligas ex Orat. LV. *S. Maximi ejus Urbis Episcopi, qui floruit seculo Christi V.* Ideo hoc, *inquit*, a majoribus provisum est, ut Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus.....Cum Sanctis ergo Martyribus quiescentes evadimus inferni tenebras. *In Galliis etiam minime insueta fuisse urbana sepulcra, patet ex vita S. Remigii apud Surium, ubi ejus vitæ auctor Ecclesiæ Rhemensis meminit*: in qua, ejusque circumjacentibus atriis ex antiquo erat Cœmeterium. *Ad Africam vero, quod spectat, extat egregium Augustini testimonium Lib. II. Retract. Cap. LXIV.* Quod vero quisque apud Memorias Martyrum sepelitur; hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto, ut commendans eum etiam Martyrum patrocinio, effectus pro illo supplicationis augeatur. *Unusquisque ergo per Africam juxta Martyres Sepulcra ambiebat, quod nec reprehendit Augustinus.*

Neque vero secus Ecclesia Orientalis alicubi mortuos intra Ecclesias composuit. Greg. Nazian. Carm. XVII. Anecdot. Murat. *Templum fuisse dicis, quod inferne sepulcretum, superne Martyrum monimenta habebat.*

Εἷς δόμος· ἀλλ' ὑπένερθε τάφος, καθύπερθε δὲ σηκός·
Τύμβος δεμομένοις, σηκὸς ἀεθλοφόροις.

Una Ædes: infra tumuli, Templumque superne;
Structores tumulum, Templaque Martys habet.

Cæsarium Gregorii Fratrem in Ecclesia tumulatum patet etiam ex ejusdem Orat. X. *Macrina Basilii, ac Nysseni soror, non secus ac ejus Majores, intra Martyrum Basilicam composita est, teste eodem Nysseno* Orat. XIX. *Hierosolymis itidem Ecclesia locum sepulturis præbuere, quod factum in funere S. Paulæ docet Hieron. Epist. XXVII.* Psalmi in ordine personabant non solum triduo, donec subter Ecclesiam, & juxta specum Domini conderetur. *Quibus omnibus, ut jam de ceteris taceam, si ea, quæ supra prolata jam sunt, exempla adjiciat, jam profecto securus statuet nihil superstitiosum, nihil non religiosum Urbana in Ecclesiis sepulcra per omnium fere Patrum judicium constituisse.*

(19) *Socrat. Lib. VII. Cap.* 45. Joannis corpus, quod Romanis sepultum erat, annuente Imperatore. Constantinopolin deportavit, anno post ejus abdicationem quinto ac trigesimo. Idque sollemni pompa per urbem traductum ingenti cum honore in Ecclesia Apostolorum deposuit.

(20) *Evagr. Lib. IV. Cap.* 31. Extructum est ab eodem Justiniano templum Sanctorum Apostolorum, quod nulli alteri templo facile concedat; in quo Imperatores, ac Sacerdotes sepeliri mos est.

(21) *Sozom. Lib. IX. Cap.* 2. Memini adfuisse me, cum Uxor Cæsarii sepeliretur, & ex adjacente via publica judicans, conjicio illam jacere circa Ambonem, quod est pulpitum Lectorum.

§. IV. *Observationes quædam de loco, ratione, & tempore sepeliendi.*

XIII. Ac primo Christianorum cœmeteria sacerdotali benedictione consecrari consueverunt; cujus rei quum nullus occurrat vetustior testis Gregorio Turonensi (22), qui vixit circa annum 570. profecto veteres Christianos aliunde, quam ex formali consecratione sepulcrorum sanctitatem hausisse credendum est. Verum in eo Christianos ab Romanis gentilibus distinguere oportet, quod hi 1. monumenta sua sæpenumero pretiosis columnis, marmoribus, statuis, atque imaginibus circumpositis ornarent; uti non modo ex diversis legibus ad cohibendos sepulcrorum spoliatores factis, verum & ex multis Romanis Scriptoribus patet (23); qua de re Antonini Imperatores immensam hac in re Romanorum vanitatem, ac profusionem asperioribus legibus cohibuerunt (24).

XIV. At vero Christianos magnifica monumenta nunquam adfectasse legimus, adeo quidem ut ipsa Apostolorum, ac Martyrum sepulcra non adeo magnifica fuerint; de quibus nonnisi illud tuto statuere possumus; nimirum quod lapides sepulcrales habuerint inscriptionem nomina eorum, merita, tempus, & genus mortis declarantem (25). Interdum multi Martyres in uno communi sepulcro humabantur. Prudentius tumulum se observasse dicit, in quo sexaginta martyres una sepulti jacuerint (26). Et sane Christiani potius, dum viverent, monumenta sibi ipsis extruere per liberalitatem in pauperes studebant, quam splen-

R 2 dida

(22) *Gregor. Turon. de Gloria Confessor. Cap. CVI.* Quid faciemus, si Episcopus Urbis non advenerit? quia locus ille quo sepeliri debet non est Sacerdotali benedictione consecratus. Tunc Cives, & reliqui viri honorati, qui ad exequias Beatæ Reginæ convenerant, imperant parvitati meæ, dicentes: Præsume de caritate Fratris tui, & benedic altare illud. Confidimus enim de benevolentia ejus, quod molestum non ferat si feceris, sed magis gratiam referat. Præsume, precamur, ut caro sancta sepulturæ reddatur. Et sic ab illis injunctus; altare in Cellula ipsa sacratur.

(23) *Extant duæ Gentilium Imperatorum Leges Sepulcra violandi, diripiendique licentiam cohibentes. Altera est Gordiani in Cod. Justinian. Lib. IX. tit. XIX. De Sepulcro violato, leg. I.* Res religioni destinatas, quin immo jam religiosas effectas, scientes, qui contigerint, & emere, & distrahere non dubitaverint: tametsi jure venditio non subsistat, læsæ tamen Religionis inciderunt in crimen. *Altera Juliani in Cod. Theod. Lib. IX. tit. XVII. De Sepulcris violatis leg. V.* Pergit audacia ad busta diem functorum, & aggeres consecratos: Cum, & lapidem hinc movere, terram sollicitare, & cespitem vellere proximum sacrilegio majores semper habuerunt: Sed ornamenta quidam tricliniis, aut porticibus auferunt de sepulcris. Quibus primis consulentes ne in piaculum incidant, contaminata Religione bustorum, hoc fieri prohibemus poena manium vindice cohibentes. *Hanc legem confirmavit etiam Justinianus, ut est in ejus Cod. lib. IX. tit. XIX. De Sepulcro violato leg. V. Adde his distichon veteris Poetæ:*

Res ea sacra, miser, noli mea tangere fata:
Sacrilegæ bustis abstinuere manus.

(24) *Capitolin. Vit. Marc. Antonini:* Tunc Antonini leges sepeliendi, sepulcrorumque asperrimas sanxerunt. Quandoquidem caverunt, ne uti quis vellet, fabricaret sepulcrum: Quod hodieque servatur.

(25) *Visuntur adhucdum in Romanis Cœmeteriis pleraque harum Inscriptiones, uti passim observare est in iis Scriptoribus, qui eas ingentibus voluminibus illustrarunt. Neque vero iisdem caruere nostræ Cryptæ Neapolitanæ. Carolus quidem Celanus plures ibi græcas Inscriptiones vidisse se testatur; quas ipse exscripsisset, ni Patris imperio præpeditus fuisset, timentis ne quid inopinum filio Catacumbas perlustranti obvenisset. Unam modo Latinam, quantum festinanti licuit, exscripsit, his notis:* PIRROTUS C. N. i. e. *ut ipse conjicit, Civis Neap. Hanc, quam posterioris ævi judicarim, plumbeæ laminæ inscriptam cadaver præ se ostentabat.*

(26) *Prudentius Peristephan. Hymn. XI. de Hippolyto:*

Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
Martyris, aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt & muta tamen tacitas claudentia turbas
Marmora, quæ solum significant numerum.
Quanta virum jaceant congestis corpora acervis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic defossas mole sub una
Relliquias memini me didicisse hominum.

dida ædificare monumenta a furibus, ac latronibus diripienda. Isthoc de Paula Rom. Hieronymus, de Ephrem Syro Nyssenus, de aliis alii testantur (27): Ad quod divites præsertim, ac locupletes generatim adhortatur Basilius (28).

XV. 2. In eo quoque Christiani ab Ethnicis differebant; quod hi plerumque corpora in rogum imposita cremarent, & tum cineres, & ossa in urnas collecta sepelirent; at contra Christiani universum corpus terra humabant; uti ex Tertulliano, Minucio Felice, aliisque veteribus perquam manifestum est (29). Ad summam condiebant, præsertim ubi in catacumbis ponenda erant; ne quid offensionis haberent, dum ad isthæc loca conventus religiosos acturi convenirent: quinimmo Christiani ab combustione, tanquam ab inhumano, crudelique incendio abhorrebant: unde dum martyrum corpora jussu tyrannorum in contemtum doctrinæ de carnis resurrectione cremabantur, & in cineres redigebantur, id non fine gravi fidelium dolore fiebat (30): atque adeo apud ipsos gentiles jam inde ab III. Seculo consuetudo cremandi cœpit exolescere; donec tandem sub Christianis Imperatoribus prorsus desuevit, ac mos sepeliendi per humationem æque Ethnicis, ac Christianis communis evasit (31).

XVI. 3. Nec minus erat discrimen Ethnicos inter, & Christianos, quod illi cremabant, hi vero functos vita fratres condiebant aromatibus: quod tum maxime contigebat, cum furentibus Gentilibus jus publice Christianos sepeliendi non erat. Hinc Maximus Præses apud Baronium (32) Tharaco Martyri

(27) *De Paula testatur id Hieron. Epist. XXVII. Cap. 7. Nyssenus vero de Ephrem Syro in ejusdem vita.*

(28) *Basil. Homilia in Divites:* Quid opus monumento sumptuoso, aut quæ utilitas inanis sumptus? Bonum sepulcrum est pietas. Omnibus tuis ornatibus hinc discede, fac ornent te tuæ divitiæ. Habe illas penes te.

(29) *Tertull. De Resurr. Cap. 1.* Ego magis ridebo vulgus, tunc quoque cum ipsos defunctos attrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus, & promerens, & offendens. O pietatem de crudelitate ludentem! *Minucius Felix Cap. XI. num. II. Ubi Ethnico objicienti sibi, quod corpora non cremarent, quia crederent ea sic permansura ad resurrectionem usque, respondet:* Corpus omne, sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis: sed Deo elementorum custodi reservatur. Nec, ut creditis, ullum damnum sepulturæ timemus, sed veterem, & meliorem consuetudinem humandi frequentamus.

(30) *Insigne monumentum prisci Christianorum erga Martyres cultus ac religionis illud est, quod veteres, uti maxime eas Christi Testium corpora sepulcum iri curabant, ita contra eadem cremari, flammisque absumi ægre ferebant. Heterodoxi quidem, quod gentiles voluerint Martyres igni addici, inde ortum putant, ut spem omnem resurgendi nostris præciderent, quasi vero non item subtus aggestæ telluris tumulos in cinerem abirent cadavera. At alia illis mens, alia ratio: ut scilicet hoc etiam nostris inviderent solatium Martyres colendi, venerandique. Hinc illæ expostulationes ad Proconsulem Lib. IV. Euseb. Cæsar. Cap. XV. ut igni Polycarpum addiceret:* ne forte, relicto Crucifixo hunc deinceps Christiani colere inciperent. *Smyrnenses quidem in Epistola, quam ad Ecclesiam Ponti dederunt, eam calumniam refellunt; at se cultum aliquem religiosum detulisse Martyribus non negant:* Stulti, *inquiunt*, qui ignorarent nos nec Christum unquam posse relinquere..... Martyres vero.... merito amore prosequimur ob eximiam ipsorum benevolentiam, quam erga Regem, ac Magistrum suum declararunt. *Hinc ergo cura illa ac sollicitudo Martyrum λείψανα colligendi, hinc dolor, mœrorque, sicubi reliquias vento, aut undis dispergi viderent. Sed de his dicam alibi.*

(31) *Tempus, quo prorsus Ustrina, seu cadaverum Combustio inter Ethnicos desierit, plerorumque sententia, est annus fere CCCCXX. Quo anno Macrobius floruit, qui usum ustulandi cadavera sua ætate penitus obsolevisse plane indicat Saturn. VII. Cap. 7.* Licet urendi corpora defunctorum usus nostro seculo nullus sit, lectio tamen docet eo tempore, quo igni dari honor mortuis habebatur, si quando usu venisset, ut plura corpora simul incenderentur, solitos fuisse funerum ministros denis virorum corporibus adjicere singula muliebria &c. *Initium vero ejus desuetudinis recte ad L. Aurelii Commodi Imperatoris ætatem conjicitur, qui fato functus est anno CXCII. ipso VII. & Pertinace II. Coss. Nam cum ipsum, cum plerosque ejus necessarios non ustos, sed tumulatos fuisse ex Xiphilino colligit Burnetus lic. IV.*

(32) *Acta Tharaci apud Baron. anno CCXC. num. XXI.* Præses dixit: Nonne sic te perdam, sicut

tyri interminabatur se corpus ejus igne ustulurum, cineresque in auras dispersurum, ne unguentis conditum, ac sepultum iri speraret. Tum Gentilis apud Minucium Felicem sic nostros increpabat: *Non corpus odoribus honestatis, reservatis unguenta funeribus*. Ac Tertullianus prorsus universalem eam consuetudinem fuisse indicat cum *Apolog. Cap. XLVII.* tum *lib. de Idololat. Cap. XI.* ubi de Aromatibus: *Etiam*, inquit, *nominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ usui sunt*. Hoc autem condimentum erga Martyres præstabant præcipue, m ti ad id cultu quodam, ac pietate. Hinc Acta Euplii Martyris aperte testantur, ejus corpus sublatum statim a Christianis, atque unguentis delibutum sepultum fuisse (33). Hinc effrænes illæ, obstinatæque Gentilium, ac Judæorum expostulationes ad Urbium, provinciarumque Præsides, ut statim a martyrio corpora Christianorum cremarentur, ne vel unum hoc reliquum solatium eis facerent condiendi, asservandique religiose eorundem busta, uti sæpe observare est in Actis Martyrum, atque apud Eusebium (34).

XVII. 4. Illud tandem discrimen Ethnicos inter, & Christianos agnoscendum est; quod Ethnici noctu sepelire consueverint; Christiani vero interdiu. Praxis Ethnicorum triplicem dat rationem Julianus Apostata; 1. Quod diurna funeris prosecutio homines ita polluat, ut ad cultum deorum inepti reddantur. 2. Quod dolor in exequiis secretum amet. 3. Quod diem functis nihil intersit, utrum per noctes, an per dies efferantur (35). At contra Christiani, si tuto illis liceret, semper eligebant diem; unde quamvis tempore persecutionis aliquando coacti fuerint officia funebria de nocte celebrare; attamen ubi judices sepulturæ beneficium ipsis indulgebant, noctis perfugium quærere nunquam consuevere, sed luce palam sepeliebant. Ita quum Polycarpi corpus crematum esset, discipulis postea tuto licuit ossa ejus, & cineres colligere, atque arbitratu suo humare, uti patet ex *Euseb. Lib. IV. Cap. II.* & Asturius vir ex Romæ urbis Senatoribus, celeberrimum nomen consecutus dicitur Eusebio, quod Marini martyris cadaver humeris suis impositum bajularit, & decenti sepulturæ tradiderit (36).

XVIII.

sicut antea prædixi, & reliquias tuas? Ne mulierculæ linteamine corpus tuum involvant, & unguentis, & odoribus adornent. Sed, scelestе, jubebo te comburi, & cineres tuos in ventum dispergam.

(33) *Acta Euplii apud Baron. anno CCCIII. num. CXLIX.* Sublatum est postea corpus ejus a Christianis, & conditum aromatibus sepultum est.

(34) *In his vero Cadaverum condimentis præcipuus erat usus thuris, myrrhæque. Grotius in Matth. II. v. II. ex Plinio observat, Myrrhæ id unum proprium fuisse ut corpus condiret.* Myrrhæ vix alius usus est, quam, ut corpora incorrupta conservet. *Herodotus Lib. II. Cap. LXXXVI. condimentum ipsum describit:* Tum alvum (*mortui*) complentes contusa myrrha puta, & casia, & aliis, excepto thure, odoribus, iterum consuunt. *Ubi vides additam casiam ab Orientalibus fuisse, thusque exceptum. Ceterum Christianos, & thus adhibuisse, & myrrham ambigendum non est. Tertull. Apolog. Cap. LII.* Thura plane non emimus. Si Arabiæ queruntur, sciant Sabæi, pluris, & carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis. *At expressius Prudentius Cathemerin. Hymn. de Exequiis:*

Aspersaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.

Hunc vero ritum ab Ægyptiis inter Judæos Joseph ex Gen. I. *invexit. Ab Judæis vero Christianos accepisse ambigendum non est, præsertim cum id Christi etiam corpori Josephum Arimathaensem præstare voluisse, constet ex Joann.* XIX. v. 39.

(35) *Cod. Theod. Lib. IX. tit. XVII. de Violandis Sepulcris leg. 5.* Efferri cognovimus cadavera mortuorum per confertam populi frequentiam, & per maximam insistentium densitatem: quod quidem oculos hominum infaustis infestat adspectibus. Qui enim dies est bene auspicatus a funere? aut quomodo ad Deos, & templa venietur? Ideoque quoniam & dolor in exequiis secretum amat, & diem functis nihil interest, utrum per noctes, an per dies efferantur, liberari convenit Populi totius aspectus, ut dolor esse in funeribus, non pompa exequiarum, nec ostentatio videatur.

(36) *Euseb. Lib. VII. Cap. 16.* Tunc, & Asturius ob religiosam fiduciam, ac libertatem celeberrimum nomen est consecutus: Vir ex Romanæ Urbis Senatoribus, Imperatoribus unice carus,

& cum

XVIII. Et sane Christiani fidelium corpora tam mortua, quam viva Christi membra credentes nullam agnoscebant pollutionem ex funerum prosecutione oriundam, cum funebris pompa nihil in se haberet ostentationis; nam præterquam quod pompæ exsequiarum potissimum psalmi erant, & hymni, eo solum illa spectabat, ut vivi ad sanctitatem, & virtutis studium excitarentur, ut mortis memores essent, ad eamque digne se præpararent: ad quæ omnia dies accommodatior erat nocte, quum exsequiis ipsorum propositum esset videri ab omni populo.

XIX. Illud hic observare juvat, Christianos, etiamsi interdiu sepelirent, faces tamen in deductione funeris gestare consuevisse ad lætitiam potius suam demonstrandam, quam tristitiam; quod proprium erat Ethnicorum: uti etiam ad honorem mortuo exhibendum, tamquam triumphanti victori, qui hunc mundum inferiorem devicerit, & jam profectus sit in melioris mundi, qui supra est, possessionem: hujusce moris luculentissima occurrunt testimonia apud Hieronymum, utrumque Gregorium Nyssenum, & Nazianzenum, Theodoretum &c. (37) hinc novella quadam Justiniani acoluthis interdicitur quidpiam exigere pro facibus suis (38), nam Constantinopoli faces funeribus dabantur ex publico ærario, quod ibi ad sepeliendos mortuos constitutum erat.

§. V. *De Cura Veterum Christianorum sepeliendi mortuos.*

XX. Ac primo illud omnino juvat animadvertere nullum caritatis actum majoribus laudibus efferri a veteribus, quam hunc sepeliendi mortuos; hinc etiam persecutionis, & pestilentiæ temporibus non sine gravi vitæ suæ periculo illum in defunctos exercebant, qua de re Eutichianus presbyter Romanus in Martyrologio, & in Pontificali in *Vit. Eutich. Conc. Tom. I.* laudatur, quod per loca diversa 342. martyres manibus suis sepelierit. Et Ecclesiarum Lugdunensis, & Viennensis fideles gravissimum animi sui dolorem declarant, quod sibi per inimicos nullo modo licuerit martyres suos humare. Tempore pestilentiæ æqualem caritatem, & industriam demonstrabant; cujus rei singulare exemplum nobis suggerit Dionysius Alex. in terribili pestilentia, quæ tunc temporis in Ægypto grassabatur: ejus testimonium auro contra non carum vide inferne (39).

§. VI.

& cum ob splendorem generis, tum propter divitias omnibus notus. Qui cum supradicti Martyris (*Marini*) supplicio interesset, humeris suis impositum cadaver candida, ac pretiosa amictus veste bajulavit: Et magnifico cultu ornatum decenti tradidit sepulturæ.

(37) *Juvat hic plura Patrum documenta ad id, quod adhucdum obtinet, stabiliendum afferre. Nazianz. Orat. X. in Cæsarium Fratrem*: At nunc nobis magnus ille Cæsarius servatus est, cinis pretiosus, mortuus laudatus, ex hymnis ad hymnos transmissus, ad Martyrum sacraria cum pompa ductus, sanctis parentum manibus honoratus, materna Cereorum gestatione, pietatem mœrori subrogante. *Atque hic tantisper observo, quod antea dixi, consuetudinem extra Ecclesias sepeliendi prorsus generalem non fuisse etiam IV. Ecclesiæ Seculo, cum hic videas Cæsarium Nazianzeni Fratrem ad Martyrum Sacraria i. e. Ecclesiam elatum fuisse. Nyssenus item, ad Cereos quod attinet, eorum meminit in Vit. Macrinæ Sororis*: Ex utraque autem, *inquit*, parte præcedebat non exiguus Diaconorum, Ministrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes, accensos Cereos manu gestabant. *Theod. Lib. V. Cap. 36. de Translatione Reliquiarum Beati Joannis Chrysostomi*: Atque iterum fidelis populus, mari præ navigiorum multitudine instar continentis effecto, ostium Bosphori ad Propontidem situm facibus obtexit. *Adde ipsum Chrysostomum Hom. IV. in Hebr.* Nam, dic mihi, quid sibi volunt claræ lampades? An non eos tamquam athletas deducimus? Quid autem hymni? An non Deum glorificamus, & gratias agimus, quod eum, qui excesserit, jam coronaverit?

(38) *Justinian. Novell. LIX. Cap. V. tot.*

(39) *Dionys. Alex. apud Eusib. Lib. VII. Cap.* 22. Plurimi ex nostris fratribus curam omnem propriæ salutis abjicientes, sibique mutuo adhærescentes, dum ægros secure, atque audacter invisunt, eisque assidue ministrant, & curationem adhibent in Christo, una cum illis mortui sunt,

alii

§. VI. *De ipsorum Funerum Ritu, & cæremoniis.*

XXI. Ritus ac cæremonias quod spectat 1. mos semper in Ecclesia viguit, ut oculos clauderent, & ora obturarent simul atque quis decessisset: *Dionysius ibidem.* Hic sane mos ab omnibus semper nationibus est observatus, quippe qui ab ipsa etiam natura ceu quid maxime conveniens, commendetur: cui, Auctore Plinio (40), superstitionem quandam soli Romani addebant; nimirum oculos rursus in rogo patefacere, eisque cælum ostendere. 2. Corpus aqua abluebant (41); id non modo Dionysius ibidem, ac Tertullianus (42) testantur, verum & hujusce ritus perspicua occurrunt exempla apud utrumque Gregorium Magnum, & Turonensem, Bedam, Auctorem Vitæ Caroli M., aliosque (43).

XXII. 3. Corpus funebribus vestimentis ornabant: hic ritus non modo eidem illi Dionysio, verum & diversis aliis Scriptoribus memoratur, qui ejusmodi fuisse hæc vestimenta tradunt, ut inter se, vel pro dignitate, & conditione defuncti, vel pro conditione eorum, qui ea præpararint, multum discreparent. Hinc Eusebio Auctore tum Constantinus M. regiis insignibus, purpura scilicet, & diademate exornatus sepultus est (44), tum etiam Asturius apud *Euseb. Lib. VII. Cap. XVI.*, cujus antea meminimus, cadaver Marini M. candida, ac pretiosa veste, & magnifico cultu ornatum sepulturæ tradidit. Verum communior, ac magis probata consuetudo erat obvolvere corpora mundis linteis ad exemplar Corporis Christi, sicut mos erat Judæis funerare. Id Hier., Arnobius, Athanasius, Sidonius Apollinaris, Prudentius, aliique

aliorum ægritudine libentissime se implentes, & proximorum mortem in semetipsos quodammodo attrahentes, doloresque sponte sua exprimentes, atque extergentes. Multique adeo, qui alios ægrotantes curaverant, ipsi interierunt.... Et hoc quidem pacto optimi quique ex fratribus nostris, quorum nonnulli Presbyteri erant, atque Diaconi, & ex populo laudatissimus quisque mortem appetierunt. Adeo ut genus hoc mortis ob pietatem, fideique constantiam nequaquam inferius Martyrio videatur. Hi ergo sanctorum corpora sæpius manibus, ac gremio excipientes, oculos illis, & ora claudentes, bajulantes eadem humeris suis, componentes, adhærescentes illis, complectentes, lavacro, & vestimentis ornantes paulo post eadem officia ab aliis consequuti sunt, cum superstites semper eorum, qui præcesserant, vestigiis insisterent. *Quamvis hic Dionysii locus pretii est, seduloque perpendendus, quum ex illo omnis fere ratio hauriatur veterum sepeliendi mortuos rituum.*

(40) *Plinius Histor. Natural. Lib. XI. Cap.* 37. Morientibus oculos operire, rursusque patefacere, Quiritium magno ritu Sacrum est. Ita more condito, ut neque ab homine supremum eos spectari fas sit, & cælo non ostendi nefas.

(41) *Deductus hic ab Hebræis, ceterisque Orientalibus mos ad Christianos quoque pervasit, qui quamvis Romanis permixti essent, apud quos insolens is erat ritus, tamen demortuorum corpora aqua calida tergebant. Sane Joannes Buxtorfius Synagog. Judaic. Cap. XLIX. id hodiedum inter Judæos obtinere testatur:* Aqua calida, *inquit*, cui addunt flores Chamæmeli, & rosas siccas, studiose abluitur mortuus, ut purus, & mundus sit, cum peccatorum ratio reddenda erit.... Ablutio, & inunctio hæc a quibusdam fit domi, antequam efferatur; in nonnullis locis, præsertim, ubi Judæorum est magna copia, in Cœmeteriis, quæ בית־חיים, locum viventium vocant. *Jam vero, ut alios plerosque, hunc etiam ritum ab Hebræis ultro accepere Christiani veteres, ipsique adeo Apostoli. Nam Tabitham mortuam lavisse primum, ac mox super cœnaculum deposuisse, testantur Actus Apost.* Cap. IX. v. 37.

(42) *Tertull. Apolog. Cap. XLII.* Lavor honesta hora, & salubri, quæ mihi & calorem, & sanguinem servent. Rigere, & pallere post lavacrum mortuus possum.

(43) *Greg. M. Hom. XXXIX. de Sorore sua vita functa:* Cumque corpus ejus, *inquit*, ad lavandum esset nudatum &c. *Beda de exequiis S. Cuthberti testatur, eum mortuum ab nautis fuisse in Insulam delatum,* & totum corpus lavatum. *Denique Greg. Turon. Lib. de Gratia Confess. Cap. CIV. ait Pelagiam defunctam* ablutam fuisse *juxta morem, ac deinde collocatam in feretro. Quod etiam de Carolo M. tradit Eginartus in ejus Vita.*

(44) *Euseb. Vit. Constant. Lib. IV. Cap.* 66. Quippe in medio conclavi regii palatii funus Imperatoris in Arca aurea sublima jacens, regiis insignibus, purpura scilicet, ac diademate exornatum, multi circumdantes noctu, atque interdiu vigiles custodiebant.

lisque (45) veteres concorditer testantur.

XXIII. 5. Corpora decenter in arcis, sive loculis composita excubantes custodiebant. Constantini corpus, uti Eusebius *Vit. Constant. Lib. IV. Cap. 66.*, & Socrates *Lib. I. Cap.* 40. loquuntur, in arca aurea depositum purpurea veste obtectum est: isthæc ratio tam magnifice ornandi loculos, uti ex Hier. (46) colligere licet, non adeo communis inter Christianos fuit: tum corpus in loculo sic depositum, vel in interiore ædium parte, vel cœnaculo ponebant, ut de Tabitha relatum legimus *Act. IX.* 37. vel in Ecclesiam deportabant, ubi excubabant apud cadaver usque dum sepeliretur: hinc Constantini corpus, Eusebio narrante, *in Vit. Constant. Lib. IV. Cap. 66.* in præcipuo imperialis palatii cubiculo collocatum est; at corpus Ambrosii, simul ac vita defunctus esset, in Ecclesia depositum, & a vigilibus nocte custoditum esse, auctor est Paulinus (47): mortuorum corporum custodes in psalmis cantandis tempus insumebant; uti de funere Macrinæ Nyssenus, & de Monicæ funere Augustinus narrat (48).

§. VII. *De Exequiis, earumque Comitatu.*

XXIV. Ad Funeris Elationem quod spectat distinguendam censeo primorum trium Seculorum praxin ab insequentium consuetudine. Tum enim plerumque clam, noctu, sine pompa, sine facibus, sine publica per vias Psalmodia efferebantur cadavera. Itaque privatim Christianorum ferventiores ea tumulatum asportabant extra mœnia in domesticis fundis, villisque, ac suis plerumque humeris. Id Asturium fecisse sæpe diximus. Mira etiam in hoc eluxit Simplaciani Pontificis Romani pietas, quem trecentos amplius martyres humeris suis deportasse, atque variis in locis sepelivisse testatur Pontificale Romanum.

XXV. At vero pace Ecclesiis quæsita exequiæ certo ordine, certoque comitatu celebrari cœperunt. Itaque antiquam Christianorum pietatem æmulati sunt Episcopi præ ceteris adeo, ut non erubuerint ipsimet feretrum insignium religione Christianorum succollare, atque ad sepulturæ loca porro perducere. Episcopi Palæstinæ hoc honoris officium erga Paulam Romanam præstiterunt, teste Hieronymo. Gregorius Nyssenus se una cum Araxio Episcopo (49) anteriores Feretri axi-

(45) *Hieron. Epist. XLIX. ad Innocent. de muliere loquens septies ense perfossa*: Clerici, *inquit*, quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolverunt. *Prudentius Cathemer. Hymn. X. de exequiis defunctorum*:

Candore nitentia claro
Prætendere Lintea mos est.

Adde Athanas. Vit. Antonii, & Sidonium Apollin. Lib. III. Epist. 3. *ubi Gothos ait sine vestimentis cadavera sepelivisse*: Hæc ossa tumultuarii cespitis mole tumulabant; quibus nec elatis vestimenta, nec vestitis sepulcra tribuebant.

(46) *Hieron. Epist. XXVII. in Epitaph. Paulæ*: Aureum feretro velamen obtenditur. Videbatur mihi Christus tunc de cælo clamare: Non agnosco vestes: amictus iste non est meus: hic ornatus alienus est.

(47) *Paul. Vit. Ambros.* Ad Ecclesiam antelucana hora, qua defunctus est, corpus ipsius portatum est, ibique eadem fuit nocte, quam vigilavimus in Pascha.

(48) *Greg. Nyssenus Vit. Macrinæ Sororis*: Quum igitur nocturna pervigilatio, ut in Martyrum celebritate canendis psalmis perfecta esset, *&c. August. Confess. Lib. IX. Cap.* 12. Psalterium arripuit Evodius, & cantare cœpit Psalmum; cui respondebamus omnis domus: Misericordiam, & judicium cantabo Tibi, Domine.

(49) *Greg. Nyssenus Vit. Macrinæ Sororis*: Quum autem hæc ita constituta studiosius gererentur, ego feretrum subiens, illum (*Araxium Episcopum*) advocavi ut alteram partem sustinerem: posteriores vero Feretri partes alii duo de clero insignes viri.

axiculos, posticos vero item duos e Clero insignes subiisse testatur in funere Macrinæ sororis (50). Denique idem de Basilio memoriæ prodidit *Greg. Nazianz. Orat. XX. in laud. Basil.* eum scilicet Clericorum manibus elatum fuisse.

XXVI. Ceterum aliter se res habuit, ubi pauperes, neque ita virtute conspicui Christiani humandi erant. His enim sepeliendis non secus, atque alendis stipem ex Ecclesiasticis ærariis suppeditatam scimus ex Tertulliano (51). Hinc in opulentioribus urbibus, ac frequentioribus certus erat hominum ordo clericali etiam charactere insignis, quorum id munus erat, ut ægrotis pauperibus, maxime grassante lue, ministrarent. Hos variis nominibus appellabant; modo *Parabolanos*, quod decumbentibus contagione hominibus præsto forent: modo *Copiatas*, *Laborantes*, *Lecticarios*, *Fossarios*, *Sandapilarios* & *Decanos*, quod pauperibus sepulcra foderent, cadavera exportarent, terræ committerent, atque alia id genus agerent. At de his diximus alibi.

XXVII. Ad hæc insequenti feretro Clerum præcessisse dubitandum non est. Chrysostomus siquidem in funeribus Christianorum *Conventum Patrum*, & *multitudinem Fratrum* meminit (52): quo in loco *Patres* nulli alii esse possunt, nisi Presbyteri, qui ad exequias conveniebant, sicuti *Fratres* populus erat qui insequebatur. Insignis est etiam Gregorii Nysseni locus (53), ex quo plane priscum exequiarum ritum atque ordinem conjicias; Diaconos nempe, atque Ministros i. e. Presbyteros utrinque præcessisse, tum populum accensis quemque cereis loculum circumstetisse, ut ægre funus procederet. Id ipsum in funere Paulæ matronæ Romanæ contigisse observat Hieronymus. Illud vero plane observatu dignum quod de Matre sua scribit Nazianzenus (54), eam scilicet accensa face una cum presbyteris feretrum filii Cæsarii præivisse. At id

(50) *Hieronym. Epist. XXVII. Epitaph. Paulæ.* Translata Episcoporum manibus, & cervicem feretro subjicientibus.

(51) *Tertull. Apologet. Cap. XXXIX.* Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel quum velit, vel si modo velit, & si modo possit, apponit . . . . inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque. *Loquitur hic Tertullianus de Collectis, seu de publicis Eleemosynis, easque coactas dicit menstrua die pauperum usui impendendas. At antiquiora Tertulliano tempora majorem in ea hac re Christianorum pietatem fuisse ostendunt. Singulis enim hebdomadis collectas ab fidelibus factas fuisse colligas ex Paulo Apost. I. ad Cor. Cap. XVI.* De Collectis, quæ fiunt in sanctos, sicuti ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite, per unam Sabbati unusquisque vestrum apud se reponat, recondens, quod ei bene placuerit. *Verum cur*, inquies, *symbola illa humandis pauperibus erogata? An Sacerdotibus distributa? At eccui non lectæ unquam gravissimæ Leonis, Gregorii, Patrumque, ac Conciliorum querelæ in gliscentem jam tum nonnullorum e Clero avaritiam? Ergo cum id ab prisca Christianorum Presbyterorum pietate, atque integritate alienum sit, crediderim, stipem illam humandis pauperibus erogatam eatenus fuisse, ut cereorum expensis inserviret, aut fortasse etiam conducendis iis, qui ea præstarent officia, quæ insequutis temporibus* Copiatas *sic dictos*, ac Parabolanos *præstitisse scimus. Illud quoque addiderim, in pauperum funeribus stipem collectam eo etiam expensam fuisse, ut aut iis humandis tumulos sive compararent, sive extrui curarent, quod antiquissimis præsertim temporibus sæpe contingebat, nondum constructis communibus in Ecclesiis sepulcretis, aut ut novas vestes candidas pauperum corporibus contegendis emerent. Nam & hunc ritum fuisse, ut novis vestibus cadavera induerent, ex Chrysostomo colligas. Hom. CXVI.* Novis vstimentis eos (*mortuos*) amicimus, novum indumentum incorruptæ naturæ nostræ præsignificantes.

(52) *Chrysost. Hom. XXIX. de Dormientibus carpens in Christianis funeribus paganas ejulationes, ac lamenta muliebria*: Hunc, *inquit*, efferendi modum erubesce. Psalmorum cantiones, Patrum conventus, ac tanta Fratrum multitudo est, non ut fleas, mæreas, & indigneris, sed ut Deo gratias agas, qui eum accipit, qui effertur.

(53) *Greg. Nyssenus in Vit. Macrinæ Sororis*: Quum frequens populus feretrum circum staret, nec tam mirabili, & sacro spectaculo posset expleri, non erat facile nobis iter facere. Ex utraque autem parte præcedebat non exiguus numerus Diaconorum, ministrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes accensos Cereos manu gestabant.

(54) *Greg. Nazianz. Orat. X. in Cæsarium Fratrem.* Ad Martyrum sacraria cum pompa ductus sanctis parentum manibus honoratus, materna Cereorum gestatione, pietatem mærori subrogante.

id singulare fuisse credo, nec facile generatim statuerim feminas præsertim funus prægressas fuisse.

XXVIII. Interea dum vero corpus efferebatur, psalmi resonabant alternis. Jussum id Constitut. Apostolicis (55), atque ita omnium more receptum, ut nusquam de iis non loquantur Chrysostomus, Nissenus, Nazianzenus, Hieronymus, aliique (56). Hinc Victor Uticensis *De persequut. Vandalorum Lib. I.* de Rege quodam Vandalo graviter queritur his verbis: *Quis sustineat, atque possit sine lacrimis recordari, dum præciperet nostrorum corpora defunctorum sine sollemnitate hymnorum, cum silentio ad sepulturam perduci?* Ergo Cantum Psalmorum in omnium funeribus Christianorum locum habuisse certum est, nullique denegatum, nisi aut excommunicatis, aut iis, qui manu ipsi sua mortem sibi consciverant, aut publico mortis supplicio puniebantur, aut incuriosi in suscipiendo baptismate fuerant, atque sine illo decesserant, ut colligere est ex *Concilio Bracarensi I.* (57).

XXIX. Illud postremo hic observabimus, indecorum prorsus, ac plane superstitiosum visum majoribus nostris floreis sertis demortuorum capita ornare. Morem hunc carpit in Ethnicis Clemens Alexandrinus (58), ridet

(55) *Constitut. Apost. Lib. VI. Cap.* 30. In funeribus mortuorum cum Psalmis deducite eos, si fuerint fideles in Domino: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus. Et iterum: convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Et alio in loco: Memoria justorum cum laudibus; &: Justorum animæ in manu Dei sunt. *Atque hinc facile mecum conjicias, quinam Psalmi, aut quæ scripturæ loca Funebrem Psalmodiam constituerint: Psalmus nimirum CXIV.* Credidi propter quod loquutus sum &c., *cujus est versiculus ille V.* Pretiosa *&c. Psalmus CXV.* Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ, *cujus in v. VII. est commune illud,* Convertere anima mea &c. *Hujus etiam Psalmi in Funeribus Christianorum meminit Chrysostomus Hom. IV. in Epist. ad Hebr. quem vide insequenti Nota. Item ex hoc Constitut. Apost. loco colliges Cap. III. Sapientiæ in exequiis consetum fuisse, quo in capite est illud:* Justorum animæ in manu Dei sunt &c. *Præterea duos etiam Psalmos recitatos discimus ex eodem Chrysostomo loc. cit. Psalmum scilicet XXII.* Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit: *Nam in ea est versus IV.* Non timebo mala, quoniam tu mecum es, *quem affert ibi Chrysostomus. Nec non Psalmum XXXI.* Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & tecta sunt peccata, *cujus etiam versum VII.* Tu es refugium meum a tribulatione, *citat Chrysostomus. Illud denique observo hos psalmos funebres hunc, uno excepto, quem proxime citavi, præ se titulum ferre:* Gratiarum actiones. *Quod indicium est veteres fideles mortem præmium potius, quam pœnam existimasse.*

(56) *Chrysostom. Homil. IV. in Heb.* Dic mihi, quid sibi velint hymni; an non Deum glorificamus, eique gratias agimus, quod eum, qui jam excesserit, coronavit.... Cogita, quid psallas illo tempore: Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Et rursus: non timebo mala, quoniam tu mecum es. Et rursus: tu es mihi refugium a tribulatione, quæ me circumdat. Cogita, quid sibi velint hi psalmi... Si ro vera eredia iis, supervacue luges, & lamentaris. *Greg. Nyss. Vit. Macrinæ Sororis.* Quæ quidem pompa non carebat mysterio cum a principio ad finem usque decantatio psalmorum eadem voce, triplicique canentium ordine, sicut ille trium Puerorum cantus, absolveretur. *Nazian. Orat. X. In Cæsarium Fratrem.* Nunc nobis magnus ille Cæsarius servatus est, cinis pretiosus, mortuus laudatus, ex hymnis ad hymnos transmissus, ad Martyrum sacraria cum pompa ductus... psalmodiis luctum sedantibus. *Adde Hieronymum Epitaph. Paulæ Epist. XXVII.* Non ululatus, *inquit*, non planctus, ut inter seculi homines fieri solet, sed psalmorum linguis diversis examina concrepabant.

(57) *Concil. Bracar. I. Can. XVI.* Placuit, ut hi, qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo, violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur.... Similiter, & de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur. Item placuit ut Catechumenis sine redemptione Baptismi defunctis, simili modo neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium. *Neque vero hoc primum Canone hanc disciplinam invectam credas. Antiquior illa est, ac pene Apostolica. Siquidem Constitutionum Apost. Lib. VI. Cap.* 30. *eatenus cum psalmis sepultum deduci mortuos jubent*, *modo* fideles fuerint in Domino: *quod argumento est minime cum sueta psalmodia ad sepulcrum deductos fuisse eos, qui minus Christianam vixissent vitam.*

(58) *Clemens Alexandrinus Pædagog. Lib. II. Cap.* 9. Est autem Corona tranquillitatis perturbatione vacuæ signum, qua de caussa mortuos coronant; quemadmodum etiam idola eo facto mortua esse asserentes.

ridet vero Tertullianus (59). Ac Minucius Felix id nobis objicienti Pagano gravi respondet argumento (60). Hinc merito quis miretur, si contrariam consuetudinem tandem postremis Ecclesiæ temporibus sensim alicubi irrepsisse in pagis præsertim, vicisque viderit, ut florea corona ornati, quicumque Virgines decumbunt, sepultum deducantur.

§. VIII. *De ceteris Ritibus, ac Precibus super Mortuos in Ecclesiis fieri solitis.*

XXX. Tandem cadavere ad sepulturæ locum perducto officium ecclesiasticum celebrabatur; & quidem universum, si funus efferretur ante meridiem, sic ut Eucharistiæ oblatio celebrari posset; aut duntaxat Psalmodia, & preces, si exequiæ fierent a meridie. Psalmodia, & preces fusius describuntur a personato Areopagita *Eccles. Hierarch. Cap. VII.* tum quasdam istiusmodi precum formulas ab Auctore Constitutionum præscriptas lege inferne (61). Concilia quoque Africana de precibus in exsequiis loquuntur, quibus anima defuncti Deo commendabatur: unde *Commendationes* postea eas vocarunt (62).

XXXI. Sacra etiam Eucharistia, si exsequiæ ante meridiem fierent, his ritibus addebatur; isthæc consuetudo in Africanis potissimum Ecclesiis viguit, uti ex Concilio *Carthag. III.* Augustino, & Possidio perquam manifestum est (63). Verum in aliis quoque Ecclesiis obtinuisse, testes sunt Paulinus, Ambrosius (64), ac præsertim Eusebius *Vit. Constant. Lib. IV. Cap. 71.*; qui Constantini Imperato-

(59) *Tertull. de Coron. milit. Cap. X.* Quid enim tam dignum Deo, quam quod indignum idolo? Quid autem tam dignum idolo, quam quod & mortuo? Nam & mortuorum est ita coronari: Vel quoniam, & ipsi idola statim fiunt, & habitu, & cultu consecrationis, quæ apud nos secunda idololatria est.

(60) *Minucius Felix Cap. XII.* Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi, aut sentienti facem aut non sentienti Coronam? Cum & Beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus. At enim nos exequias adornamus eadem tranquillitate, qua vivimus, nec adnectimus arescentem coronam, sed a Deo æternis floribus vividam sustinemus.

(61) *Constitut. Apostol. Lib. VIII. Cap. 41. Primo* προσφωνησιν *indicit Diaconus i. e. hortationem ad preces, his verbis:* Pro fratribus, qui in Christo requieverunt, oremus, ut hominum amans Deus, qui animam defuncti suscepit, ei remittat omne peccatum voluntarium, & non voluntarium, & propitius, clemensque factus collocet eum in regione Piorum quiescentium in sinu Abrahami, Isaaci, & Jacobi cum omnibus, qui a seculo placuerunt Deo, atque ejus voluntatem fecerant, unde aufugit dolor, tristitia, & gemitus. *Porro Episcopus sic precatur:* Qui natura es immortalis, ac fine carens, a quo cuncta immortalia, & mortalia orta sunt, qui animal rationale hominem civem Mundi in fabricatione effecisti mortalem, & resurrectionem promisisti; qui Henocum, & Eliam non sivisti mortis experimentum capere: Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Jacobi non tanquam mortuorum, sed tanquam viventium es Deus; quia cunctorum animæ apud te vivunt, & spiritus Justorum in manu tua sunt, quos non tanget cruciatus, omnes enim sanctificati sub manibus tuis sunt: Ipse & nunc respice super servum tuum, quem selegisti, & assumsisti in aliam sortem, & condona ei, si quid volens, aut invitus deliquit: Atque Angelos ei exhibe placidos, atque colloca eum in sinu Patriacharum, Prophetarum, Apostolorum, omniumque, qui tibi a seculo placuerunt; Ubi non est tristitia, dolor, gemitus, immo locus piorum sedatus, & pariter quieta terra rectorum, eorumque qui in ea vident gloriam Christi tui: per quem tibi gloria, honor, cultus, actio gratiarum, adoratio in Sancto Spiritu, in secula. Amen.

(62) *Concil. Carthag. III. Can.* 29. Si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, sive ceterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi, qui faciunt, jam pransi inveniantur. *Adde Victorem Uticensem de Persec. Vandal. Lib. 2. & Possid. in vita Aug. Cap. XIII.*

(63) *Canonem Concilii Carthaginiensis III. supra attulimus: Hic addemus Victoris Uticensis locum in Cit. Lib. ubi captis, devinctisque Clericis a Barbaris Vandalis:* Qui, *inquit*, nos sollemnibus orationibus sepulturi sunt morientes. *Item Possidius in vita Augustini Cap. 13.* Pro ejus commendanda Corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est.

(64) *Paulin. Vit. Ambros.* Illucescente die Dominico, cum Corpus illius peractis Sacramentis divinis, de Ecclesia levaretur portandum ad Basilicam Ambrosianam. *Ipse Ambrosius in Orat. de Obitu Valentini Imper.* Date, *inquit*, manibus Sancta Mysteria, pio requiem ejus poscamus affectu.

ris exequias describens dicit: *sacros ministros divinis caeremoniis, ac mystico sacrificio, & sanctarum precum communione eum honorasse*.

XXXII. Praeterea Oratio funebris in defuncti laudem recitari consuevit, si quid singulare, & eminens in eo fuisset; quod vel publico dignum praeconio videretur, vel aliis, tanquam virtutis exemplum, commendari fas esset. Non paucae istiusmodi Orationes adhuc exstant: cujusmodi sunt illa Eusebii in funere Constantini, binae Ambrosii in obitu Theodosii, & Valentiniani, & Satyri Fratris, aliaeque.

XXXIII. Eleemosynae tanquam aptae semper precum comites habitae sunt; unde Chrysostomus *Hom. LXI. in Joan. Vis*, inquit, *mortuum honorare, fac eleemosynas*. Tum Hieronymus *Epist. XXVI. ad Pammach. de morte uxoris*, *Cap.* 2. eo nomine laudat Pammachium, quod sui mariti *sanctam favillam, ossaque veneranda eleemosynae balsamis* rigaverit. Nonnulli has eleemosynas in anniversaria defuncti commemorationis die repetebant; atque adeo commune convivium facere solebant: *Religiosos cum Sacerdotibus convocantes, fideles una cum clero, egenos & pauperes, pupillos & viduas, ut fieret festivitas in memoriam requietis defunctis animabus, sibi autem efficeretur in odorem suavitatis in conspectu Dei*: quemadmodum personatus Origenes in Jobum, Lib. III. loquitur: & Chrysostomus *Hom. XXVII. in I. ad Cor.* Homines tantam hujusce consuetudinis rationem habuisse dicit: *Ut a conscientia pungi viderentur, si non morem implevissent, & pauperes vocassent*. Cum vero isthoc in magnos degenerasset abusus; multi enim occasionem inde captabant indulgendi comessationibus; hinc Patres ab ejusmodi conviviis fideles dehortabantur; adjicientes, ut istiusmodi oblationum loco pecunia potius pauperibus erogaretur (65).

XXXIV. Postremo omittenda non est consuetudo spargendi flores super sepulcra mortuorum a quibusdam Christianis sine offensione retenta: ejus enim Hier. & Ambrosius sine reprehensione meminerunt (66), tantummodo maxime vulgarem fuisse indicant. Ad haec fuit peculiaris quaedam Aegyptiorum praxis, qua mortuorum corpora ita aromatibus condiebant (67), ut ea domi servarent lectulis superposita, rati id vita functis esse honori. Hinc Cicero *Tuscul. Lib. I. num. CVIII. Condiunt Aegyptii mortuos, & eos domi servant*. Haec consuetudo a quibusdam duntaxat etiam Christianis per Aegyptum retenta videtur. Athanasius enim *in Vit. Anton. Abb.* narrat Magnum Antonium *hac consuetudine magnopere offensum, adeoque rogasse Episcopos, ut ea de re populum monerent, finemque ejus consuetudinis facerent; similiterque laicos pudore affecisse, mulieresque objurgasse, dicen-*

(65) *Est Augustini insignis locus Epist. 64. ad Aurelium*. Quoniam istae in Coemeteriis ebrietates, & luxuriosa convivia, non solum honores martyrum a carnali, & imperita plebe credi solent, sed etiam solatia mortuorum, mihi videtur facilius illis dissuaderi posse istam foeditatem, ac turpitudinem, si & de Scripturis provideatur, & oblationes pro spiritibus dormientium, quos vere aliquid adjuvari credendum est, super ipsas memorias non sint sumtuosae, atque omnibus petentibus sine typho, & cum alacritate praebeantur, neque vendantur. Sed si quis aliquid pecuniae offerre voluerit, in praesenti pauperibus eroget; ita nec deserere videbuntur memorias suorum, quod potest gignere non levem cordis dolorem, & id celebrabitur in Ecclesia, quod pie & honeste celebratur. *Confer etiam Homil. CI. de Diversis*.

(66) *Ambros. in Orat. de Obitu Valentiniani Imp.* Non ego floribus tumulum ejus adspergam, sed spiritum Christi odore perfundam. Spargant alii plenis lilia Calathis: Vobis lilium est Christus: Hoc reliquias ejus sacrabo. *Hieron. Epist. 26. ad Pammach. Cap. 2. de Obitu Uxoris*: Ceteri mariti super tumulos conjugum spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos .... Pammachius noster sanctam favillam ossaque veneranda eleemosynae balsamis rigat; his pigmentis atque odoribus fovet cineres quiescentes, sicut scriptum: sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.

(67) *Sic conditum Corpus Graeci τάριχον* Salsuram *vocabant: medicorum filii* Mummiam *ab Arabico* Muur, *quod cera est: quia in his apud Aegyptios condimentis plurimus erat ceromatis usus*.

dicentem, nec legitimum, nec sanctum esse &c. (*).

§. IX. *De quibusdam doloris animi significationibus partim admissis, partim reprobatis in veteri Ecclesia.*

XXXV. Ac primo moderatum luctum ex fratrum, amicorumve amissione decenter quidem declaratum nunquam veteres Patres improbarunt; quippe qui cum ipso gaudio, & fide hominis Christiani bene consistere posset. Duo tantummodo rejecta sunt, graviterque vituperata. Primum: luctus immoderatus. Alterum: gentilis consuetudo conducendi feminas ad deplorandum funus. Harum præcipua Romanis dicebatur *Præfica*, eo quod reliquis præficeretur, ut modum illis daret plangendi. Adversus inanem, atque adeo superstitiosam hanc cæremoniam homine Christiano minime dignam pluribus invehitur Chrysostomus (68).

XXXVI. Illud quoque apud gentiles in more fuit luctum suum repetere tertio, septimo, & nono die; quod speciatim *Novemdiale* dicebatur. Nonnulli vicesimum, tricesimum, & quadragesimum addebant non sine superstitiosa opinione de hisce particularibus diebus. Has superstitionis reliquias in Christianis suæ ætatis reprehendit Augustinus (69). Sat vero ratio continuandi, vel repetendi officia funebria pro impetranda animarum defunctorum requiete licita erat apud catholicos: non enim aliud spectabat, quam eundem Dei cultum repetitum. Hinc Evodius *Epist. CCLVIII. inter Augustinian.* narrans quomodo pio cuidam juveni exsequias satis honorabiles præbuerint, scribit: *Per triduum hymnis Dominum collaudavimus super sepulcrum ejus, & redemtionis Sacramenta tertio die obtulimus.* Tum Auctor Constitutionum officia funebria tertio, nono, & quadragesimo die repetenda statuit, peculiarem singulis adsignans rationem (70). Alia multa ejusdem praxeos monumenta ad-

(*) *Illud pene mihi commentari exciderat, qua parte, quove situ olim Veteres mortuos in loculis composuerint. Ac fuisse hanc antiquitus praxin, ut cadaverum pedes, caputque Orientem versus spectarent, quasi Resurrectionem expectatura, cujus est symbolum Oriens, ambigendum non est. Exemplum ex ipsius Christi sepultura petitum erat, cujus in monumento corpus ita quidem collocatum fuisse, ut Orientem respiceret, auctor est* Beda ex Relationibus Arculfi *Episcopi Gallicani, qui ante annos fere mille, & centum monumentum Christi sepulcrale oculis ipse suis introspexerat, atque compectum viderat ita, ut plane ad Orientem tumulatum ibi corpus non posset non respicere. Hinc Christiani, qui ad Orientem orabant, ad Orientem quoque sepeliebantur, Christi exemplo. Quod etiam ex Chrysostomo certo colligas* Hom. CXVI. Πρὸς ἀνατολὰς, *inquit*, versus Orientem positum loculum componimus, Resurrectionem ei (*mortuo*) hac figura præsignificantes.

(68) *Chrysost. Homil. XXXII. in Matth.* Nemo defunctos ploret, nemo lugeat, nemo mortem Christi, qua mors superata est, calumnietur. Quid frustra fles, si mortem in somnum redactam esse credis? Quid te cædis, ut lugeas? Si enim Gentiles id faciunt, ridendi sunt: Si autem Fidelis pariter, atque infidelis hac in re peccat, quid respondebit? Quamnam veniam petere audebit, præsertim longis temporibus postea, cum jam nemo Christianorum de resurrectione ambigat? Tu vero sedulo studes delictum hoc quasi amplificare, & incitatrices fletus mulieres convocas, quarum flebili cantu incendatur, atque inflammetur vehementius ægritudo tua, nec Paolo dicenti auscultas: Quæ consonantia est Christo ad Belial, quæ pars fideli cum infideli?

(69) *Augustin. Quæst. CLXXII. in Genes.* Nescio utrum inveniatur alicui sanctorum in Scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud latinos Novempiale appellant. Unde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui Christianorom istum in mortuis suis numerum servant, qui magis est in Gentilium consuetudine.

(70) *Constit. Apostol. Lib. VIII. Cap.* 112. Quod spectat ad mortuos, celebretur dies tertius in psalmis, lectionibus, & precibus ob eum, qui tertia die resurrexit, item dies nonus, in recordationem superstitum, & defunctorum; atque dies quadragesimus juxta veterem typum: Mosen enim ita luxit populus; denique anniversarius dies pro memoria ipsorum. *Hic, quem Constitutiones præscribunt morem, retentus deinceps ab Græcis fuit, quod clare eruitur ex Damasceno* περὶ τῶν ἐν πίστει κεκοιμημένων, De his qui in Fide moriuntur. *Nam ibi diei Tertii, Noni, Quadragesimi, & Anniversarii ita meminit, ceu consuetudinis ab omnibus servatæ. Meminit etiam Typicum Sabæ* Cap. XXX. *illudque funebre officium* τριτηγίας *appellat*. Pro mortuis Liturgiæ, hymno-

adferunt Coteletius, Suicerus, & Meursius, quos vide.

XXXVII. Quod tandem ad lugubris vestis gestationem attinet, licet Cyprianus *de Moral.* hujusmodi consuetudinem reprobare videatur, eam adsignans rationem, quod *quum mors hominis Christiani nonnisi translatio ejus sit in cælum, non sint hic atra vestes accipiendæ, quum ibi illi indumenta alba jam sumserint*. Attamen alii Patres rem non tantopere urgebant; sed ceu quid indifferens omnium libertati relinquebant; eos potius laudantes, qui illam vel prorsus omitterent, vel post breve tempus deponerent, ut qui fortitudini, & philosophiæ Christianæ agerent convenientius. Hinc Hieronymus *Epist. XXXIV. ad Jul.* Julianum ipsum prædicat, quod & uxoris suæ, & duarum filiarum mortes *læto vultu tulerit, & in quadragesimo die dormitionis earum lugubrem vestem mutaverit*.

§. X. *De ceteris superstitiosis ritibus a Patribus olim reprehensis in Funeribus Christianis.*

XXXVIII. Postremo prætereundæ silentio non sunt corruptæ quædam consuetudines per ignorantiam, vel superstitionem in quibusdam locis invectæ; uti erant inunctio cadaveris per Sacerdotem, antequam terræ mandaretur. Ea praxis Pseudo-Dionysio memoratur *Eccles. Hierarch. Cap. VII. Memineris hic*, inquit, *ut in prima illa regeneratione sacra ante Sanctum baptisma post antiquarum vestium depositionem, ille, qui initiatur in prima Sancti Symboli participatione, sacri chrismatis oleo inungatur: & hic demum in fine omnium defuncto itidem oleum adfunditur, & tunc quidem olei inunctio baptizantem* (legas potius baptizandum) *ad sacra certamina evocabat. Nunc autem adfusum oleum declarat eum, qui defunctus est, iisdem sacris certaminibus exactis functum esse*. Atqui hanc praxim, cum nullus Patrum præterea laudet, merito inter superstitiosas amandes. (*)

XXXIX. Idem Dionysius aliam quoque consuetudinem memorat mortuos salutandi (71) forte cum osculo pacis. Nam & osculum pacis mortuis dari solitum fuisse ex eo constat, quod Concilium Antissiodorense habitum anno circiter DLXXVIII. *Can. XII.* eam consuetudinem, ceu superstitiosam damnat, uti etiam morem dandi mortuis Eucharistiam. Ceterum Eucharistiam mortuis præbitam fuisse etiam ætate Augustini colligitur ex *Conc. Carthag. III.* cui ipse etiam Augustinus interfuit. At eam superstitionem severa sanctione inhibuere Carthaginienses Patres (72).

§. XI.

modia, & Psalmodiæ quadragesima cum memoriis tertio, & nono die, Σὺν τριτεύματι. *At Latinos id ipsum consuevisse non constat. Illud tamen ubique receptum postremo fuit, ut mortuorum memorias per septem dies celebrarent, atque etiam trigesimo alicubi, quod officium* Septimum, & Tricenarium *appellitabant. Quo tempore per Septimanam nempe domo inclusi vix foras prodibant domestici. Ejus extat mentio in Charta Petri Episcopi Incul...m. anno MCLX.* Baptisteria, Septimos solus Sacerdos habeat, Tricenarios etiam. *Item Charta anni MCCLXXX.* Nec diei septimi seu septimorum &c. *Mos ab Judæis arcessitus videtur. Hi enim septendio nudis pedibus lugentes domi occluduntur, ciboque vescuntur non suo, sed quem amici, ac propinqui miserint, ova præsertim, quæ mittant eo, quod mortis symbolum sint, quæ, ut ovum rotundum, volubilis sit nunc huic, nunc illi infesta! Vide Cl. Buxtorfium Synagog. Judaic. Cap. XLIX.*

(*) *Quin immo simile quidpiam Hæreticos sic dictos Archonticos consuevisse comperi ex Theodoreto* Hæref. Lib. I. *Cap. XII.* Post mortem oleum, & aquam mortuorum capitibus affundunt; sic fore dicentes, ut ipsi invisibiles sint, superioresque evadant, interjectis Dominationibus, ac Potestatibus. *Ergo quod supra scribit Pseudo-Dionysius, nunquam Catholicæ Ecclesiæ adscribendum confuetim.*

(71) *Pseudo-Dionysius Eccles. Hierarch. Cap. VII.* Tum accedens divinus Antistes precem super eo sacratissimam peragit, qua finita, ipsemet Antistes defunctum salutat, & cum illo præsentes omnes.

(72) *Conc. Carthag. III. Can. VI.* Placuit, ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur. Dictum est enim a Domino: Accipite, & edite. Cadavera vero nec accipere possunt, nec edere.

§. XI. *De Legibus adversus sepulcrorum spoliatores, ac direptores ab Imperatoribus latis.*

XL. De Legibus adversus istiusmodi impios homines ab Ecclesia latis redibit sermo, ubi de veteri Ecclesiæ disciplina in puniendis graviorum criminum reis agemus; tantummodo imperatorias hac de re sanctiones hic paucis dabimus. Defunctorum igitur corpora, ac sepulcra Romanis semper ceu res maxime sacræ habita sunt. Qua de re vetustis Romanorum legibus si quis sepulcrum violaret, nullam corpori injuriam inferendo bonorum proscriptione, vel infamiæ nota, vel exilio adficiebatur, vel ad effodienda metalla damnabatur. Si quis vero corpus etiam extraheret, vel ossa erueret, ejusmodi crimen capitale habebatur in humilioris fortunæ hominibus supplicio, in honestioribus deportatione, relegatione, aut damnatione ad metalla puniendum (73).

XLI. Binæ hæ leges, vel potius binæ unius legis partes per omnem Constantini ætatem continuatæ permanserunt; donec Constans ejus filius priorem confirmans, posteriorem mitigavit, mortis pœnam in multam viginti librarum auri commutando. At Constantius *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XVII. de Sepulcris Violatis. L.* 4. indulgentia fratris Constantis revocata, capitis pœnæ antiquis legibus constitutæ pœnam quandam adjecit per modum multæ: *Decem pondo auri cogatur inferre fisco: quæ pœna priscæ severitati accedit: nihil enim derogatum est illi supplicio, quod sepulchra violantibus videtur impositum. Huic ergo subjacebunt & qui corpora sepulta, aut reliquias contrectaverint.*

XLII. Ad criminis, de quo loquimur, gravitatem demonstrandam duo accedunt. Primum, quum Imperatores in festo Paschali variorum scelerum reis ex more indulgentiam darent, sepulcrorum violatores ex hoc beneficio excludere solebant cum reliquis atrocioribus offensoribus, quos tali venia judicabant indignos (74). Alterum: Ob ejusmodi crimen mulieri per leges permissum a marito discedere. Hinc Constantinus (75): *In repudio mittendo a femina, hæc sola crimina inquiri placet, si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulcrorum dissolutorem maritum suum esse probaverit.* Idem pluribus perlatis legibus confirmavit Theodosius Junior (76).

XLIII. Jam vero si in rationes inquiramus homines ad committendum hoc crimen inducentes, tres potissimæ videntur fuisse. Prior erat quæstus, ac lucri aviditas ob sepulcra gentilium ample, magnificeque exornata. Hinc leges adversus sepulcrorum spoliatores perlatæ plerumque eorum meminerunt, qui marmora, columnas, & alia pretiosa ornamenta de sepulcris abstulerint: atque adeo nonnulli ita sordidi erant, ut sepulcra coquendæ calcis gratia dejicerent, aliisve in hunc usum venderent. Altera ratio, qua prior, veluti quodam pietatis obtentu, tegebatur, petita erat ex lege, qua Constantinus jusserat omnes gentilium aras, imagines juxta ac templa dirui. Quum igitur gentilium monumenta plerumque hisce imaginibus exornata essent, hinc illa diripiendi, ac spoliandi sordidis hominibus occasio data est sub prætextu destruendi imagines, & idololatriam, omnesque ejus reliquias, ac vestigia extirpandi. Atqui non imagines solum, & aras (id quod Constantini lege permittebatur) sed universa dejiciebant

(73) *Exstat ea Lex Digest. Lib. XLVII. Tit. XII. de Sepulcro violato Lib. II.* Rei Sepulcrorum violatorum, si corphra ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humilioria quidem fortunæ summo supplicio adficiantur. *Tum sequitur altera legis pars*: Honestiores in insulam deportentur; alii autem relegentur, aut in metallum damnentur.

(74) *Occurrit hæc Imperatoria Sanctio variis passim in Legibus, uti Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XXXVIII.* de Indulgentiis criminum *Leg.* 3. 4. & 5. 7., & 8.

(75) *Cod. Theod. Lib. III. Tit. XVI. de Repudiis. Leg.* 1.

(76) *Cod. Justin. Lib. V. Tit. XVII. de Repudiis. Leg.* 6.

bant ædificia, titulos etiam eradentes, & dissipantes cadavera, & cineres mortuorum: qua de re Constans Constantini filius omnes ejusmodi homines, qui lege paterna abusi erant, investigari jubet, eosque singulas libras auri pro singulis dejectis monumentis fisci rationibus inferre cogendos pronuntiavit (77). Tertia tandem ratio videtur fuisse studium acquirendi reliquias martyrum ad vendendum eas, quæstumque ex illis faciendum. Et sane Augustino teste (78) non deerant, qui instinctu Satanæ provincias circumiverint, venditantes reliquias martyrum, qui an veri nominis martyres fuerint, valde erat dubium. Poterant quidem, ut alibi vidimus, Martyrum corpora de loco in locum transferri; at id tantummodo ad eorumdem cultum augendum Episcoporum auctoritate fieri poterat; haud vero privatis quibusdam hominibus ad quæstum faciendum fas erat.

(77) *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XVII. de Sepulcris. Leg.* 2. Universi itaque, qui de monumentis columnas, vel marmora abstulerint, vel coquendæ calcis gratia Lapides dejecerint, ex consulatu scilicet Dalmatii, & Zenophili singulas libras auri per singula sepulcra Fisci rationibus inferant... Quod si aliquis contra sanctionem Clementiæ nostræ sepulcrum læsurus attigerit, viginti Libras auri Largitionibus nostris cogatur inferre. *Id etiam caussæ nonnulli Christianorum prætendebant, ut Gentilium nempe sepulcrorum marmore, ac lapidibus Christianorum Martyrum tumulos exornarent, quod nec minus sacrilegum Patribus visum est profanis lapidibus Martyrum Memorias funestare. Hinc Gregorius Nazianz. Carmine Jambico* in Sepulcrorum effossores:

Μέχρι τινος τύμβοις Μάρτυρας ἀλλοτρίοις
Τιμᾶτ' εὐσεβοῦντες, ἀκμὴ θέμις;
Quonsque bustis alienis Martyres
Honoris ergo ornatis, id quando est nefas?

Ac licet quandoque permissum Christianis e Gentilium Templorum ruinis sua construere, legibus etiam Imperatoriis, id tamen numquam iis licuit in re sepulcrali, quod hæc jure quodam communi, naturalique Gentium omnium sacra quodammoda semper credita sunt.

(78) *Augustin. de opere Monach. Cap. XXVIII.* Callidissimus hostia tum multos hypocritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersit, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra Martyrum, si tamen Martyrum, venditant; alii Fimbrias, & phylacteria sua magnificant. *Hæc Augustinus. Atqui non solum Monachi passim Martyrum reliquias divenditabant, sed & privati ipsi Martyrum etiam sepulcra turpissimo quæstu alienabant, quas carpit Gregorius Nazianz. sive quis alius est auctor Carminis.* In effodientes Sepulcra prætextu Martyrum προφάσει Μαρτύρων

...... Τὺς δὲ τύμβους ἀπέδοσθε
Πολλάκις, ἢ δὶς ἕκαστον ὁ δὲ τρίτον.
Alios autem (Tumulos) vendidistis.
Sæpe & bis nnumquemque, aliquis & ter vendidit.

Maximum id piaculum erat, etiam Gentilium Imperatorum legibus, privatorumque religione. Extat Lex I. Gordiani Imperatoris in Cod. Theod. Tit. XIX. de Sepulcris violatis, qua in crimen Læsæ religionis eos incidere sanxit, qui sepulcra aut emerent, aut distraherent. Extat quoque Inscriptio apud Gruterum p. 772: num. 1. Aurelii Maximiani Filiæ sepulcro hæc incidensis. SI QVIS HOC SEPVLCRVM .... POST OBITUM MEVM VENDERE VEL DONARE VOLVERIT DABIT PŒNÆ NOMINE ARK. PONT. L. S. C. N. *Quod si id tantum flagitium ipsis Gentilibus visum fuit, merito Martyrum Sepulcrorum venditores comparat ibidem Sodomitis Gregorius:*

.... Ἱεροσυλεῖς
Μάρτυρας, οὓς φιλέεις. Σοδομίτιδες εἴξατε πηγαί.
.... Crimine lædis
Quos Testes colis; o Sodomæ jam cedite Fontes.

Partis I. Libri II. Finis.

AN-

ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM

INSTITUTIONES.

LIBER II.

PARS ALTERA.

CAPUT I.

DE MISSA FIDELIUM, SEU DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO.

I. RITUS, Preces, ac Cæremonias olim in Missa Fidelium servatas auspicaturi, illud semel dictum volumus in hac sanctioris liturgiæ parte esse, quod grave feramus, vix alicunde facem præferri nobis, quam ex Constitutionum Apostolicarum Auctore, qui *Lib. VIII.* integram fere Ecclesiæ suæ Liturgiam memoriæ prodidit. Nam SS. Chrysostomi, atque Basilii, quæ vagantur, Liturgias vix moror, quibus quantum concedendum sit antiquitatis fusius dixi in Notis (34) & (35) *Cap. VI.* Atqui ille unius modo Ecclesiæ Liturgiam complexus est, ut stultus plane sit, qui eum solum Auctorem ubi legerit, inde etiam ceterarum Ecclesiarum Liturgias novisse se credat. Ergo nos ejus vestigiis ita demum adhærebimus, si cum ceteris quoque Patribus eum conferemus, atque ita justum veteris Liturgiæ ordinem præscribemus. Quamvis enim in hac parte etiam discrepatum nonnihil sit ab veteribus, quod ad ritus, & cæremonias attinet, fuit tamen apud omnes Ecclesias Ordo quidam, certaque precum materies. Hinc Hispani, non secus ac Galli, Romani, Italique, Græci, Asiani, Afri, atque Ægyptii omnes æque super Catechumenos, Energumenos, atque Pœnitentes orabant, omnes Panem, & Vinum offerebant, consecrabant, distribuebantque, omnes preces pro Fidelibus seu vivis, seu demortuis fundebant, omnes denique certos quosdam hymnos, statasque odas decantabant, interea dum se Patri Chri-

ſtus per Sacerdotum manus immolabat. Hos ergo ritus ex Auctore Conſtitutionum Apoſtolicarum, tum e reliquorum Patrum ſcriptis colligentes univerſam hanc materiam ita quidem abſolvemus, ut primo de precibus iis, ac ritibus agamus, qui ab initio ad Miſſæ Præfationem uſque fiebant, tum de iis, qui Præfationem ipſam excipiebant ad Communionem uſque, ac poſtremo de Cæremoniis in Euchariſtiæ diſtributione ad finem uſque Miſſæ ſervatis.

§. I. *De precibus* διὰ σιωπῆς *ſive* ſub ſilentio.

II. Catechumenis, Energumenis, ac Pœnitentibus abire juſſis, e veſtigio ſancto Euchariſtiæ Sacrificio operabantur Sacerdotes, ac tum *Miſſa Fidelium* inchoabatur, ſic dicta, quod unis Fidelibus licebat ei intereſſe (1). Ex Pœnitentibus ii tamen ſubſiſtebant, qui omnibus jam pœnitentiæ legibus perfuncti erant, dicti ob id *συνιστάμενοι Conſiſtentes*, quod conſiſterent adhuc cum fidelibus, paulo poſt benedictionem Præſulis accepturi. Ergo ubi omnes diſceſſiſſent, quibus Miſſæ Fidelium intereſſe interdictum erat, initium Euchariſtico officio dabant privatæ preces διὰ σιωπῆς *ſub ſilentio*, ſic dictæ, quod omnibus conticeſcentibus quiſque fidelis tacite Deum adprecabatur. Harum precum meminit *Canon XIX. Conc. Laodic.* (2) quo in canone univerſus fere Liturgiæ ordo præſcribitur. Hinc illæ formulæ *ſilentium indicere*, & *Orationem dare*. Silentium enim cum indicebant Diaconi, preci διὰ σιωπῆς locum dabant; contra vero, Orationem dabat ſive Epiſcopus, ſive Diaconus, cum quid, prove quo orandum eſſet, præſcribebant (3).

III. Ergo in precibus διὰ σιωπῆς quo quiſque indigebat, Deum tacite adprecabatur: præcipua tamen precis *per ſilentium* materies erat privata peccatorum confeſſio, quæ a populo non ſecus ac a Miniſtris fiebat. Sane Baſilius (4) clare innuit veſpertinum, atque matutinum Officium ſemper ab tacita uniuſcujuſque Confeſſione inchoatum fuiſſe. Hinc ſequiores Liturgiæ ſcripto traditæ, Baſilii, inquam, Chryſoſtomi, Marci, ac Jacobi certas Confeſſionum formulas exhibent, quibus ſacri Miniſtri uterentur in Miſſæ exordio. At vetuſtioribus temporibus eas formulas inſolentes fuiſſe inde arguo 1. quod nulla harum in Conſtitutionibus Apoſtolicis præſcribitur: 2. quod olim *ſuis quiſque verbis*, ut ait Baſilius *Epiſt. LXIII.* ad Neocæſ. *pœnitentiam profitebatur*: 3. quod ſi qua ſtata formula uſi ſunt, ea erat pſalmus L. *Miſerere meî Deus*

(1) *Fuit & apud Occidentales non abſimilis hujus miſſæ partis appellatio, qui eam quandoque* Miſſam Sacramentorum *dixere, quod in ea Sacramentum omnium auguſtiſſimum conficeretur: in quo etiam apprime opponitur Miſſæ Catechumenorum, quibus quævis cum Eccleſiaſticis Sacramentis interdicta communio erat. Vide Acherium, & Mabill.* ad Sec. VI. Bened. p. 2. *nec non Ivonem Carnut.* Epiſt. CCXIX.

(2) *Concil. Laodicen. Can. XIX.* Oportere ſeorſum primum, poſt Epiſcoporum ſermones, Catechumenorum orationem peragi. Et poſtquam exierint Catechumeni, eorum, qui pœnitentiam agunt, fieri orationem: & cum ii ſub manum acceſſerint, & ſeceſſerint, fidelium preces ſic ter fieri: unam quidem, ſcilicet primam *ſilentio* διὰ σιωπῆς: ſecundam autem, & tertiam per pronuntiationem impleri, deinde ſic pacem dari. Et poſtquam Presbyteri pacem Epiſcopo dederint, tunc laicos etiam pacem dare: & ſic ſanctam oblationem perfici. Et ſolis miniſterio ſacro deditis licere ad altare accedere, & communicare.

(3) *Plura pluribus in Patribus hujus phraſeos exempla proſtant; duplex tamen occurrit in uno Uranio in vita Paulini Nolani.* Ad Eccleſiam proceſſit, & adſcenſo Tribunali populum ex more ſalutavit, reſalutatuſque a populo orationem dedit, & collecta oratione ſpiritum exhalavit. *Idem de Joanne Neapolitano Epiſcopo, qui inter divini Officii celebrationem mortuus erat:* Populo, *inquit*, orationem dedit, & collecta oratione ſpiritum exhalavit.

(4) *Baſil. Epiſt. LXIII. ad Neocæſar.* Deinde uni ex ipſis hoc muneris dato, ut quid canendum eſt, prior ordiatur, reliqui ſuccinant: atque ita pſalmodiæ varietate, precibuſque ſubinde intermixtis, noctem ſuperant, illuceſcente jam die pariter omnes velut ore uno, ac corde uno confeſſionis pſalmum Domino offerant, ac ſuis quiſque verbis pœnitentiam profiteatur.

Deus &c. ob id *Psalmus Confessionis*, & *Psalmus Pœnitentialis* dictus (5).

§. II. *De precibus* διὰ προσφωνήσεως per proclamationem *fieri solitis*.

IV. Preces διὰ σιωπῆς *per silentium* statim excipiebant εὐχαὶ διὰ προσφωνήσεως *Preces per Exclamationem*, ut loquitur, quem supra attuli, *Canon XIX. Conc. Laodic.* sic dictæ, quod voce elata fierent sive ab Episcopo, sive ab Diacono, & populo. Prima earum erat precatio quædam hymnodica, atque alternis enuntiata, Diacono præcinente, ac plebe succinente. Ejus specimen occurrit in Constitutionibus Apost. *Lib. VIII. Cap. IX.* ubi Diaconus alta voce populum orare jubet pro Ecclesia in universum, ac speciatim pro Episcopis, pro Presbyteris, ceterisque Ecclesiæ Ministris, nec non pro quavis Ecclesiæ, aut fidelium necessitate, uti in ea ipsa precatione videre est, quam, quod longior erat, inferius descriptam dabimus (6). Populus vero singulis quibusque precibus a Diacono

T 2

in-

(5) *Ergo tacita illa uniuscujusque peccatorum confessio in eo versabatur præcipue, ut aut præteritorum peccatorum, quorum eos jam pœnituerat, adhuc veniam Deum efflagitarent, aut recentium, sed levium misericordiam implorarent. Ceterum si grave quidpiam, ac recens admissum meminerant, haud hac tacita Confessione eos contentos fuisse credas, quin potius e vestigio Sacerdotes adiisse, eorumque pedibus provolutos pœnitentiam egisse: quem morem ab Cypriano in suis fidelibus eantopere commendatum scimus.* Lib. de Lapsis. Quanto, *inquit*, & fide majores, & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolentes, & simpliciter confitentes exomologesin conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis vulneribus exquirunt. *Loquitur autem ibi Cypr. de iis, qui execrando ausu nondum delictis pœnitentia, atque Confessione expiatis, ad Eucharistiam accedebant.*

Jam vero tacitis his Confessionibus successere deinde, ut dixi supra, formulæ quædam scriptæ, quas Confessiones, *aut etiam* Apologias *dixere. Ejus vero, qua adhucdum utimur e Missali Romano, cujus est initium*: Confiteor Deo Patri &c. *quæ sit antiquitas, unus Egbertus Eboracensis in suo Pœnitentiali subindicare videtur, ubi quædam illius Confessionis verba citat*: Dic ei, *inquit*, cui confiteri vis peccata tua. *Mea Culpa*, quia nimis in cogitationibus, loquutione, & opere peccavi. *Vixit autem Egbertus anno DCCXXX.*

(6) *Constitut. Apostol. Lib. VIII. Cap. 9. sic preces orditur variis petitionibus.*

Pro pace, & tranquillitate Mundi, ac sanctarum Ecclesiarum, oremus, ut Deus universitatis perpetuam, & stabilem suam pacem nobis tribuat, ut nos conservet perseverantes in plenitudinem piæ, ac religiosæ virtutis.

Pro Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia a finibus usque ad fines extensa, oremus, ut Dominus eam inconcussam, & fluctibus non agitatam conservet ac tueatur, usque ad consummationem seculi fundatam super petram.

Et pro sancta hac parœcia, oremus, ut cunctorum Dominus nobis donet consectari sine remissione cælestem ipsius spem, & reddere ipsi assiduum precationis debitum.

Pro universo sub cælo existente Episcopatu eorum, qui recte dispertiunt verbum veritatis, oremus, & pro Episcopo nostro Jacobo, ac parœciis ejus, oremus.

Et pro Episcopo nostro Clemente, ac parœciis ejus, oremus,

Pro Episcopo nostro Evodio, & parœciis, oremus, ut misericors Deus illos Ecclesiis sanctis suis præstet incolumes, honoratos, longævos, & præbeat eis honoratam senectutem in pietate, ac justitia.

Etiam pro Presbyteris nostris, oremus, ut Dominus liberet illos ab omni turpi, & prava re, & concedat illis integrum, & honoratum Presbyterium.

Pro universo Christi Diaconio, ac ministerio, oremus, ut Dominum inculpatam illi largiatur ministrationem.

Pro lectoribus, cantoribus, virginibus, viduis, & pupillis, oremus.

Pro iis, qui in matrimonio, & liberorum procreatione vivunt, oremus, ut Dominus misereatur eorum omnium.

Pro Eunuchis in sanctitate ambulantibus, oremus.

Pro iis, qui continentem, & religiosam agunt vitam, oremus.

Pro iis, qui in sancta Ecclesia oblationes faciunt, ac eleemosynas pauperibus dant, oremus.

Pro iis, qui Domino Deo nostro hostias, & primitias offerunt, oremus, ut Deus optimus

temu-

indictis alta item voce succlamabat. Κύριε ἐλέησον *Domine miserere*, aut etiam, ut est in ipsis Constitutionibus: *Salva, & erige nos Deus, misericordia tua*.

V. Eam porro precem variis nominibus appellarunt veteres. In Constitutionibus dicitur Προσφώνησις ὑπὲρ τῶν πιστῶν *Oratio indicta pro Fidelibus*. Basilius eidem nomen dat τῶν κηρυγμάτων ἐκκλησιαστικῶν *Precum Ecclesiæ indictarum* (7), quod ab Diacono, qui publicus erat in Ecclesia Κήρυξ *Præco*, indicebantur. Augustino (8) *Communis Oratio* dicitur, quod omnes simul orarent. Denique in sequutis deinde Liturgiis velut proprio vocabulo Συναπτὴ dicta est i. e. *Connexio*: in ea enim plures preces præeunte Diacono quasi connectebantur. Videsis Typicum Sabæ *Cap. II. pag.* 1. Pentecostarium, Liturgiam Chrysostomi, atque eam, quæ vulgo B. Jacobo tribuitur.

VI. Fiebat autem ea precatio flexis genibus, magnaque corporis totius demissione. Hinc ejectis Catechumenis, ut est in Constitutionibus Apost. *Lib. VIII. Cap. IX.* statim inclamabat Diaconus: *Nemo eorum quibus non licet exeat. Qui Fideles sumus flectamus genua. Precemur Deum per Christum ejus, omnes intenti Deum per Christum ejus appellemus*, ac tum Προσφώνησιν inchoabatur. Cæsarius quoque Arelatensis *Hom. XXXIV.* (9) ubi eos reprehendit, qui Diacono ad hanc precem monente, *Flectamus genua*, adhuc stabant, nec genua plicabant, manifesto arguit, Ecclesiæ communem morem fuisse in iis precibus genuflectendi, quem adhucdum servatum videmus in Litaniis, quę fere iis successere.

VII. Neque hęc precatio, *Prosphonesis* dicta, in Constitutionibus Apost. solum describitur, sed duas alias eidem similes habemus, alteram in Liturgia Ambrosiana,

remuneretur eos cælestibus suis gratiis, detque iis in præsenti centuplum, & in futuro vitam æternam, atque donet ipsis pro temporariis æterna, pro terrenis cælestia.

Oremus pro recens baptizatis fratribus nostris, ut Dominus eos stabiliat atque firmet.

Pro fratribus nostris mala valetudine afflictis, oremus, ut Dominus liberet illos ab omni morbo, & omni languore, sanosque restituat sanctæ suæ Ecclesiæ.

Pro navigantibus, iter habentibus, oremus.

Pro iis, qui in metallis, exiliis, custodiis, & vinculis propter nomen Domini versantur, oremus.

Pro acerba servitute oppressis, oremus.

Pro inimicis, & odio habentibus nos, oremus.

Pro persequentibus nos propter nomen Domini, oremus, ut Dominus, mitigato eorum furore, dissipet iram adversus nos concitatam.

Pro iis, qui foris sunt, & errore ducuntur, oremus, ut Dominus illos convertat.

Infantium Ecclesiæ recordemur, ut Dominus eos in timore suo reddat perfectos, & ad mensuram ætatis perducat.

Pro nobis invicem, oremus, ut Dominus gratia sua servet nos, ac custodiat usque ad finem, & liberet nos a malo, & ab omnibus scandalis operantium iniquitatem, & salvos nos ducat in regnum suum cæleste.

Pro omni anima Christiana, oremus.

Salva, & erige nos, Deus, misericordia tua.

(7) *Basil. Epist. CCXLI.* Ut tui non sim memor in precibus meis est impossibile, nisi prius oblitus fuerim operis illius, ad quod me Dominus destinavit: meministi siquidem τῶν κηρυγμάτων τῶν ἐκκλησιαστικῶν indictarum precum Ecclesiæ, cum sis inter fideles per Dei Gratiam numeratus &c.

(8) *August. Epist. CXIX. ad Januar.* Quando autem non est tempus (cum in Ecclesia Fratres congregantur) sancta cantandi, nisi cum legitur, aut disputatur, aut antistites clara voce deprecantur, aut *communis oratio* voce Diaconi indicitur.

(9) *Cæsar. Arelat. Homil. XXXIV.* Rogo vos & admoneo, Fratres carissimi, ut quotiescumque juxta altare a Clericis oratur, aut oratio Diacono clamante indicitur, non solum corda, sed etiam corpora inclinetis. Nam dum frequenter, sicut oportet, & diligenter attendo, Diacono clamante: Flectamus genua, maximam partem populi, velut columnas erectas stare conspicio, quod Christianis omnino nec licet, nec expedit.

na, alteram a Wicelio ex Bibliotheca Fuldensi descriptam fideliter (10). Vestigia vero ejusdem nusquam non legere est in antiquis etiam Patribus. Chrysostomus *Hom. II.* de obscuritate Prophetarum: *Dum communiter*, inquit, *vocem Diaconi omnes auditis id imperantis, ac dicentis: oremus pro Episcopo, & senectute, ac defensione, atque ut recte tractet verbum veritatis, & pro iis, qui hic sunt, & ubique terrarum: quod imperatum est, agere non recusatis .... Sciunt, quid dicam, ii, qui mysteriis sunt initiati: nam orationi catechumenorum nondum est illud permissum .... Vos autem, ut pro toto terrarum orbe, pro Ecclesia, & pro Episcopis omnibus, qui eam regunt, preces offeratis, cohortatur is, qui ministrat illis, & obsequimini summo studio.* Ex quo loco tria plane eruuntur. 1. Fuisse illam orationem alternis pronunciatam, 2. fuisse partem Missæ Fidelium, cui interesse Catechumenis nefas erat, 3. in ea fuisse varias preces simul collectas pro Ecclesia, pro Episcopis, proque ceteris fidelibus, ut jam illud certo statuere possis, illam precem in Constitutionibus descriptam universæ Ecclesiæ per IV. Seculum communem fuisse, quod multo magis firmabitur, si cum Chrysostomo conferas etiam August. Basil. Cæsarium, aliosque (11).

VIII.

(10) *Speciminis ergo solam Ambrosianam proferemus, in qua non secus ac in Fuldensi diversa indicantur per Diaconum postulata, populo respondente singulis petitionibus*: Domine miserere. *Ita ea igitur sic Diaconus precantes monet.*

Divinæ pacis, & indulgentiæ munere supplicantes ex toto corde, & ex tota mente precamur Te.

Pro Ecclesia sancta Catholica, quæ hic, & per universum orbem diffusa est, precamur Te.

Pro Papa nostro N. & Pontifice nostro N. omnique clero eorum, omnibusque Sacerdotibus, ac ministris, precamur Te.

Pro famulis tuis N. Imperatore, & N. Rege, duce nostro & omni exercitu eorum, precamur Te.

Pro civitate hac, & conservatione ejus, omnibusque habitantibus in ea, precamur Te.

Pro aeris temperie, ac fructu, & fœcunditate terrarum, precamur Te.

Pro virginibus, viduis, orphanis, captivis, ac pœnitentibus, precamur Te.

Pro navigantibus, iter agentibus, in carceribus, in vinculis, in metallis, exiliis constitutis, precamur Te.

Pro iis, qui diversis infirmitatibus detinentur, quique spiritibus vexantur immundis, precamur Te.

Pro iis qui in sancta Ecclesia tua fructus misericordiæ largiuntur, precamur Te.

Exaudi nos in omni oratione, atque deprecatione nostra, precamur Te.

Dicamus omnes: *Domine miserere.*

Eadem ferme habet postulata, ut dixi, Fuldensis altera, atque in utriusque nullum vestigium offendere licet, quod non antiquitatem præseferat. Nam quod adprecatos hic videas pro Imperatore, ac Rege (quę sane sequentis ævi nota est), nihil quicquam te moveat. Dandum enim id fuit temporum conditionibus, ut pro eorundem vicibus nonnulla in precibus adderentur. Ceterum pro gentium conversione precari, reminisci etiam in metallis, in vinculis, in carceribus detentos sat justam redolet vetustatem.

(11) *August. Epist. CCXVII. ad Vitalem.* Exerce contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, & pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, & pro fidelibus, ut in eo, quod esse cœperunt, ejus munere perseverent: Subsanna pias voces, & dic, te non facere quod hortatur, idest, Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare. *Basil Epist. CCXLI.* Ut tui non sim memor in precibus meis, est impossibile, nisi prius oblitus fuerim operis illius, ad quod me Dominus destinavit: meministi siquidem Indictarum precum Ecclesiæ cum sis inter fideles per Dei gratiam numeratus, quod nimirum pro iis intercedamus apud Deum, qui peregre sunt constituti, quique inter militares copias recensentur: proque iis etiam, qui libere profitentur nomen Domini: & pro iis, qui fructus manifesto ostendunt spirituales; pro hisce, inquam, omnibus preces in sancta Ecclesia fundimus. Horum autem vel cum præcipuis, vel potius cum omnibus tuam excellentiam adnumerari intelligimus.

Locum vero Cæsarii indicatum habes supetius.

VIII. Præterea oratio illa non initio tantum Missæ Fidelium peragebatur, sed & subinde post Consecrationem. Hinc in Constitut. Apost. *Cap. XIII. Lib. VIII.* perfecta per Episcopum sancta Oblatione, Diaconus rursum plebem excitat, atque aliam Προσφώνησιν inclamat, in qua item pro Episcopis, Ecclesia, ac Fidelibus ceteris deprecatur populus (12). Adde etiam locum insignem Cyrilli Hierosf. *Catech. V. num. VI.* ex quo plane conficias aliam *prosphonesin* ab Diacono indictam fuisse, dum adhuc super altari consecratum Christi Corpus remaneret (13). Quod monuimus, ne eorum, quæ in *Not.* 11. *Cap. VII.* superioris partis scripsimus, obliti videamur.

§. III. *De Invocatione Episcopi, sive* Collectis *communes populi preces insequentibus.*

IX. Ubi oraverant Fideles Diacono præeunte, rursus Diaconus Plebem excitabat his verbis, ut est in *Constitut. Apost.* Ἐγειρώμεθα. *Surgamus: orantes intenti: nos ipsos, ac mutuo viventi Deo per Christum ejus commendemus.* Tum vero assurgens Episcopus orationem pronuntiabat, cujus specimen prostat in iisdem Constitutionibus (14). In ea vero velut per summam, quod ab populo oratum fuerat, colligebat, eratque quædam quasi popularium precum Anacephalæosis. Ea Ἐπίκλησις ab Græcis dicta i. e. *Invocatio:* prolatis namque populi precibus, ut eæ ex voto succederent, Deum invocabat Episcopus, vel e Presbyteris primus.

X. Sed binis præterea nominibus usitatissimis appellata est. Nam Græci eam Παράθεσιν *Commendationem* dixere, ut est in *Can. CIII. Codicis Africani;* non alia certe ratione, quam quod Fidelium preces Deo commendabat Episcopus. Atque ad hujus profecto Orationis & nomen, & vim respexisse etiam Augustinus videtur *de Dono Persev. Cap. XXIII.* ubi Pelagianum inde arguit, quod Sacerdos ad altare sic Deum *invocet: Da illis Domine, in te perseverare usque in finem* (15). Latini vero communius eas *Collectas*.

(12) *Constitut. Ap. Lib. VIII. cap. 13. ubi Diaconus ad precem populum excitat, quæ* Προσφώνησις ἐπὶ τῶν πιστῶν μετὰ τὴν θείαν ἀναφορὰν *dicitur, i. e.* Denuntiatio precis pro fidelibus post divinam oblationem. *In ea vero præeunte Diacono plebs Christiana pro Ecclesia in universum, ac speciatim pro quavis Fidelium specie Deum adprecatur.*

(13) *Cyril. Catech. Mystag. V. num. 6.* Mentiones facimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus propter illorum orationes, & deprecationes nostras suscipiat preces. Deinde pro defunctis Sanctis Patribus, & Episcopis: Deinde pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio: Dum Sanctum illud, & tremendum mysterium in altari positum est.

(14) *Constit. Apost. Lib. VIII. cap. II.* Domine omnipotens, celsissime, qui in altis habitas, Sancte, qui in Sanctis requiescis, originis expers, Monarcha; qui per Christum dedistis nobis cognitionis prædicationem in agnitione gloriæ tuæ, ac nominis tui, quod manifestavit nobis ad comprehensionem: Ipse nunc quoque respice per ipsum in hoc ovile tuum, & libera illud ab omni ignorantia, & prava actione, & da ut te timore timeat, ac dilectinne te diligat, & contremiscat a facie tua: Esto ei clemens, propitius, atque exauditor in precibus eorum, & custodi illos immutabiles, irreprehensos, inculpatos, ut sint sancti corpore, atque anima, non habentes maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sint integri, nullusque inter eos sit mutilus, vel imperfectus. Defensor, potens, personarum non acceptor, esto auxiliator populi tui hujus, quem redemisti pretioso Christi tui sanguine, patronus, adjutor, propugnator, custos, munus totissimus, vallum, firmum præsidium: quoniam ex manu tua nemo potest rapere. Non enim est alius Deus sicut tu: Quia in te est nostra expectatio: Sanctifica eos in veritate tua: quoniam sermo tuus veritas est. Qui gratiæ causa nihil agis, qui decipi non potes: libera eos omni morbo, & omni infirmitate, omni delicto, omni injuria, & fraude, a timore inimici, a sagitta volante per diem, ac negotio perambulante in tenebris, & dignare illos æterna vita, quo est in Christo Filio tuo unigenito Deo, ac Salvatore nostro, per quem tibi gloria, & cultus in Sancto Spiritu nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

(15) *August. de Dono peseverantiæ cap. XXIII.* An quis Sacerdotem super fideles Dominum *invocantem*, si quando dixerit; Da illis, Domine, in te perseverare usque in finem, non solum voce

lectas dixere ducto ab τῷ *Colligere* vocabulo, quod populi preces, ut dixi, in unum veluti colligebat Sacerdos. Hinc sæpe in Latinis Scriptoribus phrasin hanc offendas *Dare Orationem*, & *Orationem colligere*, quarum prior orationis cujuslibet ad Sacerdotis arbitrium *Indictionem* notat: posterior Sacerdotis ipsius precem populi preces complectentem significat (16).

XI. Atque hinc veram *Collectarum* in Missali Romano originationem repetas: licet eæ, ut nunc sunt, longe ab antiquis discrepant. Antiquitus enim, ut ex dictis patet, ea aptius, ac verius dicta Collecta est, quæ effusas a populo per exclamationem preces excipiebat (17). At sequutis temporibus Collectarum nomen attributum fuit quibuslibet Orationibus sive ab Episcopo, sive a Presbytero initio Missæ post Introitum recitatis, quamvis illas nullæ plebis vocales preces præcesserint. Id quod passim observare est in Sacramentariis Leoniano, Gelasiano, & Gregoriano apud *Murat. Tom. I. Lit. Rom. Vet.* Mansit ergo Collectarum vocabulum, licet praxis antiqua vi ipsa nominis significata desierit.

§. IV. *De Symbolo Niceno.*

XII. Prætereunda non est consuetudo Symbolum Nicænum recitandi publice in Ecclesiastica synaxi. Quamvis enim nihil de eo proditum memoriæ sit neque ab Auctore Constit. neque ab ceteris quarti Seculi Patribus, certum tamen est, Petrum Fullonem Gnafeum etiam dictum pseudo-Patriarcham Antiochenum ann. circiter CCCCLXX. instituisse, ut illud in Ecclesiis recitaretur in singulis missis, ut ait Nicephorus Callixtus *Lib. XV. Cap.* 28. nec non Theodorus Lector (18). Antiochiæ vero ortam consuetudinem Constantinopoli quoque primus instituit anno DX. Timotheus Constantinopolitanus Patriarcha, teste eodem Theodoro (19).

XIII. Ad Occidentales vero quod attinet, extremo demum Seculo VI. Nicænum Symbolum sanctæ accessit Liturgiæ. Extat Canon *Conc. Tolet.* anno DLXXXIX. quo ejus recitatio per Hispanicas Ecclesias jubetur Græcorum exemplo (20). Galli deinde, ac post eos Germani, reliquusque Occidens idem Symbolum recitarunt, quod testatur Walfridus Strabo *Cap. XXII.* Atque hic observes

voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potius super ejus talem benedictionem, & corde credente, & ore confitente respondit: Amen?

(16) *Uran. in Vit. Paulin. de Joanne nostra urbis Episcopo loquens*, *inquit*: Populo orationem dedit, & collecta oratione spiritum exhalavit.

Concil. Agath. Can. XXV. *jubet*: In conclusione matutinarum, vel vespertinarum missarum, post hymnos Capitella de psalmis dici, & plebem, collecta oratione, ad vesperam ab Episcopo cum benedictione dimitti.

Cassian. Institut. Lib. II. Cap. 7. Cum is, qui orationem collecturus est, e terra surrexerit, omnes pariter surgunt, ita ut nemo remorari præsumat, ne non tam sequutus fuisse illius conclusionem, qui precem colligit, quam suam celebrasse credatur.

(17) *Recte omnino Micrologus Lib. de Observ. Eccl. Cap. III. eas inde Collectas dici autumat*, quod Sacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones ea oratione colligat, atque concludat. *Hinc quævis oratio ab Prælato Ecclesiastico post matutinum, aut vespertinum officium enunciata, Collecta etiam dicta est. Vide Reg. S. Benedicti.*

(18) *Theod. Lect. Lib. II. num.* 48. Ait Theodorus noster Petrum Fullonem instituisse ... ut in omni precatione nomen Deiparæ proferretur: deinque ut in singulis collectis Symbolum recitaretur.

(19) *Idem eod. Lib. num. XXXII.* Timotheus Symbolum fidei trecentorum, & octodecim Patrum in singulis collectis recitari præcepit in odium scilicet Macedonii, quasi ille non susciperet id Symbolum.

(20) *Concil. Toletan. Can. II.* pro reverentia Sanctissimæ fidei, & propter corroborandas hominum invalidas mentes, consultu piissimi, & gloriosissimi Domini nostri Reccaredi, sancta constituit Synodus, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ, & Galliciæ secundum formam orientalium Ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est CL. Episcoporum Symbolum fidei recitetur &

ves solemnia decipi eos, qui ritum recitandi Symbolum in Missa aut Marco, aut Damaso PP. Romanis tribuunt. Nam in Canone Toletano dicuntur ritum hunc ab Græcis accepisse Hispani. At inter Græcos inusitatus is erat Marci, aut Damasi ævo. Accedit quod in nullis antiquioribus Sacramentariis Romanis, Leoniano, inquam, Gelasiano, ac Gregoriano Symbolum præscribitur. Quod argumento est Ecclesiam Romanam per ea tempora illud minime in Missa recitasse.

XIV. At quanam Liturgiæ parte illud recitarint, discrepasse in eo veteres video. Hispani, ut patet ex citato Canone Conc. Toletani, illud ante Orationem Dominicam recitabant, quod constat etiam ex Missali Mozarabico, ubi post brevissimas a Consecratione preces, clamat presbyter: *Fidem, quam corde credimus, ore autem confitemur*: ac tum chorus concinit: *Credo in unum Deum* &c. Græci vero, uti videre est in eorum Euchologio *pag.* 75. ante Præfationem recitarunt. Contra Mediolanenses post Offertorium, ut est in Missali Ambrosiano. Maronitæ statim post Euangelium. Namque ex præscripto eorum Missalis *Lecto Euangelio Minister dicit; ite in pace Audientes, ac tum Sacerdotes recitant Symbolum*. Idem factum quoque per reliquum Occidens ductò ab Romani exemplo. Quandoquidem Romæ, ut præscribitur in vetusto Ordine Romano edito ab Mabillonio, *post lectum Euangelium*, *candelæ* extinguebantur, *& ab Episcopo*, *Credo in unum Deum*, cantabatur. Quæ quidem consuetudo ubique deinceps per universum Occidens obtinuit.

XV. Prætterea variatum in eo etiam fuit, quod Græci, ut constat ex Petri Fullonis sanctione, singulis illud synaxibus recitarunt, Occidentales vero ejusdem recitationem unis Dominicis diebus, ex decreto *Conc. Tolet. III. anno DCXXXIII.* addixere (21). Quod etiam de Gallis testatur Æneas Parisiorum Episcopus *Lib. I.* adversus Græcos: ubi Fidem Catholicam vocat, *quam die Dominica decantat ad Missas universalis Galliarum Ecclesia*. Quod si præter Dominicam, aliis etiam per Hebdomadam festis diebus Symbolum Nicænum recitamus, hanc consuetudinem postremis demum temporibus sensim enatam statuito (22).

§. V. *De Osculo pacis*.

XVI. Uti nunc, sic olim, ubi Collectæ, & Symbolum recitatum fuerat, populum salutabat Episcopus hac formula, ut est in *Constit. Ap. eod. Lib. VIII. Cap. XI.* H' εἰρήνη τοῦ θεοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν *Pax Domini sit vobiscum omnibus*: respondente populo: *Et cum Spiritu tuo*. *Tum vero clamabat Diaconus*. Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ *Salutate vos invicem osculo sancto*, statimque Clerici primo omnes ex ordine Episcoporum, mox e laicis viri viros, feminæ feminas deosculabantur. Hic vero ritus ab Auctore Constit. præscriptus quadrat apprime cum Canone quodam *Conc. Laodic.*

(21) *Conc. Tolet. eod. Can.* Fidei Symbolum recitetur, & priusquam Dominica dicatur Oratio voce clara a populo decantetur, quo, & fides vera manifestum testimonium habeat, & ad Christi Corpus, & Sanguinem prælibandum pectora populorum fide pacificata accedant.

(22) *Neque illud hic memoratu indignum, consuevisse quasdam Ecclesias in eadem Liturgia Symbolum græce, latineque decantare: quod de nostra Neopolitana Ecclesia proditum est in MSS. ejusdem Constitutionibus*. In die Resurrectionis lecto Euangelio, Dominus Archiepiscopus incipit *Credo* in græco sermone, si placet, & supradictus Archiepiscopus, Presbyter S. Georgii ad mercatum cum sociis suis, & Archipresbyter S. Mariæ Rotundæ decantant in græco sermone in conspectu D. Archiepiscopi alta voce, & alii Cantores repetunt alternatim in latino cantando etiam alta voce: & deinde Missa finitur, ut consuetum est. *Hanc autem praxin neutiquam postremis etiam temporibu retinuissent majores nostri, nisi antiquissimo receptam usu vidissent. Id ipsum in Monasterio S. Dionysii in Galliis adhucdum obtinere testatur Martene* Eccl. Rit. Tom. I. Lib. I. Cap. III. Art. ult.

dic. (23), quo separata marium, feminarumque deosculatio præscribitur, honestatis ergo. Quamquam credunt nonnulli ex *Pass. Perpetuæ*, atque uno, aut altero Tertulliani loco erui, saltem per Africam indiscriminatim mares feminas exosculatos fuisse (24).

XVII. Non eadem tamen Missæ parte osculum sibi invicem impertivere Occidentales æque, atque Orientales. Græcos sub ipsam munerum oblationem illud præbuisse ambigendum non est, quum id præter *Auctorem Constit.* & *Conc. Laodic.* perspicue etiam indicet *Cyrillus Hierosf.* & *Chrysostomus* (25). Justinus quoque Martyr *Apol. II. pag.* 97. quum illud datum dicit ante Consecrationem, manifeste innuit non alias, quam ante Oblationem mutuo se salutasse Fideles. *Precibus finitis*, inquit, *mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei, qui Fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini, quibus ille acceptis laudem, & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert.*

XVIII. Contra ea Occidentalis Ecclesiæ praxis fuit, ut post Consecrationem, & Orationem Dominicam ad osculum procederent. Clarissima sunt Augustini, seu potius Cæsarii Arelatensis verba, quibus post *Sanctificationem* i. e. Consecrationem, & orationem Dominicam osculum datum fuisse indicat (26). Neque vero deest luculentum Augustini ipsius testimonium, uti illud est, quum Donatistarum Episcopo osculum pacis fideles dedisse conqueritur *inter ipsa Sacramenta*, consecratione scilicet absoluta (27). Adde etiam Tertullianum, qui illud appellat *signaculum Orationis*, quod esset precum Eucharisticarum veluti finis, & conclusio. Immo cum alicubi contraria per quosdam inolesceret consuetudo, qui illud Græcorum more impertiri volebant, adeo restitum iis fuit ab Innocentio I. (28), ut adhucdum ea Occidentalium praxis perduret.

XIX. Illud demum animadvertas, quod Tertullianus memoriæ prodidit *Lib. de Orat. Cap. XIV.* sollemnissimo Passionis die supersedisse fideles ab osculo pacis: *Die*, inquit, *Paschæ, quo communis, & quasi publica jejunii religio est, merito deponimus osculum*. Per diem Paschæ Hebrai-

(23) *Concil. Laodic. Can. XIX.* Postea quam dederit Episcopus Presbyteris osculum pacis, tunc laici sibi tribuent.

(24) *Passio Perpetuæ ad calcem Lact. de Morte Pers.* Ac se jam osculati invicem, ut martyrium per solemnia pacis consumarent. *Tertull. ad Uxor. Lib. II. Cap. IV.* Quis in carcerem ad osculanda vincula Martyrum reptare patietur? Jam vero alicui fratrum ad osculum convenire? *Atqui minime crediderim ex his locis plane erui communia olim apud Afros fuisse marium, feminarumque oscula. Nam quod feminæ Martyrum catenas, ac se invicem Confessores deosculati sint nullo sexus discrimine, minus mea quidem sententia ad rem facit. Privata enim hæc exempla sunt, quæ disciplinæ universitatem minime constituunt. Quod vero ait Tertullianus, Christianam feminam pagano homini nuptui collocatam minime potuisse alicui fidelium ad osculum convenire, ne id quidem sat litem finit. Videtur quippe loqui de osculo extra synaxim dato uni, aut alteri privato, conveniendi gratia.*

(25) *Cyril. Catech. Myst. V. num.* 2. Diaconus clamat, complectimini & osculamini vos invicem. *Tum eodem numero II. demum addit:* post id clamat Sacerdos: Sursum Corda.

Chrysostom. de compunct. cordis Lib. I. Cap. 3. Osculum pacis porrigere tempore, quo munera offeruntur, in usu est, sed vereor ne forte plures ex nobis labiis hoc tantummodo faciant, & ore.

(26) *Cæsar. Arelat. Homil. inter Augustin. LXXXIII.* Ubi peracta est Sanctificatio, dicimus orationem Dominicam, post ipsam dicitur pax vobiscum, & osculantur se invicem Christiani in osculo, quod est signum pacis, si quod ostendunt labia, fiat in conscientia.

(27) *Augustin. cont. litter. Petiliani, Lib. II. Cap. XXIII.* Huc accedit, quia ego illum commemoro, qui vobiscum vixit, cujus natalitia tanta celebratione frequentabatis, cui pacis osculum inter Sacramenta copulabatis, in cujus manibus Eucharistiam ponebatis &c.

(28) *Innocent. I. Epist. ad Decentium Cap. I.* Pacem asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter Sacerdotes tradere. Cum post omnia, quæ aperire non debeo, pax sit necessario indicenda, per quam constet, populum ad omnia, quæ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur præbuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstrentur.

braicum Pascha intelligit hic Tertullianus, i. e. Feriam VI. Hebdomadis Majoris, qua Cruce affixus fuit Christus. At quamnam ob rationem ab osculo ea die temperarint fideles, ex ipso Tertulliano plane discere non potui. Quantum vero ex ejus verborum contextu conjectura assequi licuit, fortasse, quod osculum pacis, lætitiæque mutuæ indicium foret, illa autem dies omnium mœstissima. Recentiores, post Amalarium *Lib. I. Cap. XIII.* addunt & hanc, quod eo die osculo ab Juda proditus fuerit Christus, quæ ut fortassis vero similis sit, de ea tamen nullo modo loquitur Tertullianus (29).

§. VI. *De Oblationibus ad Altare, earumque Natura.*

XX. Panem, & Vinum offerre ad altare, cujus pars conficiendo sacrificio usui foret, reliquum vero Clericis, ac pauperibus dispertiretur, præcipuum qua religionis, qua pietatis Christianæ officium creditum antiquitus fuit. Hinc post datam pacem apud Græcos, apud Latinos post Symbolum, e vestigio Diaconus fideles, ut dona quisque sua ad altare porrigeret, commonebat (30). Eaque consuetudo Apostolicæ praxi innitebatur, quorum in Agapis instituendis ea ferme fuerat ratio, ut fidelium quisque panem, & vinum, aliaque etiam obsonia ad Ecclesiam offerret, e quibus panis, vinique parte consecrata, quod reliquum erat in commune convivantibus dispescebatur. Atque ad hanc profecto praxim respexit Apostolus *I. ad Corinth. Cap. XI. 21. Unusquisque*, inquit, *suam cœnam præsumit ad manducandum, & alius quidem esurit, alius autem ebrius est*. Licet vero Agapæ desierint aliquando, usus tamen oblationum mansit deinceps per aliquot secula.

XXI. Distinguendum tamen sedulo est inter ipsas oblationes: est enim id nominis ambiguum, ad rem liturgicam quod spectat. Modo quippe munus quodvis Ecclesiæ donatum notat, symbolam puta pecuniariam, vestes, domos, fructus, ac *res*, quæ dicuntur, *soli*. Modo pressius, ac sæpius Panem, Vinumque altari in singulis synaxibus oblatum. Modo denique ipsum Eucharistiæ Sacramentum. Prius illud, præsertim vero symbola pecuniaria ad Collectas propius accedit, de quibus præceptum extat Apost. *I. ad Cor. Cap. XVI. v. 1. Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, quod ei bene placuerit, ut non cum venero, tunc Collectæ fiant*. Hæc autem oblatio, licet ad sacrificium neutiquam pertineret, frequentissima tamen in Ecclesia fuit. Namque in Ecclesiis Arcula quædam visebatur *Corbona*, aut etiam *Gazophylacium* dicta, ubi stipem quisque suam demittebat pauperum, hospitum, ceterisque indigentium necessitatibus sublevandis erogandam. De his loquitur Cypr. *de Op. & Elem. Dives es*, inquit, & *Dominicum* (i. e. Sacrificium) *celebrare te credis, quæ Corbonam non respicis &c.* (31). Est etiam locus insignis Tertulliani *in Apol.* ubi Collectarum

(29) *Tertull. de Orat. Cap. XIV.* Alia jam consuetudo invaluit: jejunantes habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis, quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratione commendabilior ascendit, ut ipsi de nostra oratione participent, quam auderent de sua pace fratri transigere? Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra? Quem Domino officium facientem impedit pax? Quale sacrificium est, a quo sine pace receditur? Quæcunque ratio sit, non erit potior præcepti observatione, quo jubemur jejunia nostra celare. Jam enim de abstinentia osculi agnoscimur jejunantes. Sed & si qua ratio est, ne tamen huic præceptor tu sis, potes domi forte, inter quos latere jejunium in totum non datur, differre pacem. Ubicunque autem alibi orationem tuam abscondere potes, debes meminisse præcepti: Ita, & disciplinæ foris, & consuetudini domi satisfacies.

(30) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. II.* His peractis (*dato scilicet pacis osculo*) Diaconi offerunt dona Episcopo ad altare.

(31) *Litem tamen movet Cl. Basnagius ad an. XLIV. num. 67.* Exord. Hist. Crit. *contenditque, ut hic dediscamus Cyprianicam Corbonam Arculam pecuniariam notare, sed potius oblationes ipsas; quippe quod Hebræum* קרבן *donum significat. Atque est quidem* Corban *Hebraice donum sive mu-*

ctarum meminit, ex quo quis earum esset in Ecclesia usus, manifesto colligitur, uti & illud per Africam non unaquaque Dominica, quod jubet Apostolus, sed menstrua die Symbolam collatam ab fidelibus fuisse (32). Vide etiam Justinum M. qui fusius hujus stipis in Ecclesia usum describit (33).

XXII. Hæc vero munera, quippe quæ nulli in sacrificiis usui forent, neque altari ab Fidelibus porrecta, neque ab Sacerdotibus accepta. Una panis, ac vini porrectio, quæ pressius Oblationis nomen demeretur, communi, ac veteri usu recepta fuit, cui quidem muneri ne deessent unquam, religiosissimi erant fideles eo magis, quod ex his elementis juxta Christi institutionem conficiendum erat Sacramentum. Hinc de Matre sua Augustinus *Conf. Lib. V. Cap. IX.* eam imbuit, *nullum diem præteriisse absque Oblatione ad Altare tuum*. Ipsique adeo Imperatores huic se muneri obstrictos credebant. Hinc de Valente narrat Theodor. *Lib. IV. Histor. Cap. XIX.* eum ingressum Cæsareensem Ecclesiam τὰ συνήθη δῶρα *sollemnia dona* obtulisse Altari. Sollemne autem est, quod fit de more. De Theodosio idem quoque legas apud eumdem Theodor. *Lib. V. Cap. XVII.* (34). Canones vero quotquot antiquiores sunt in hanc rem ita quidem de oblatione panis, ac vini loquuntur, ut quum tantum earum rerum ritum, & gliscentes sensim abusus corrigant, manifeste arguant nuspiam constantem earum praxim interceptam fuisse. Vide Canones *Apost. III. IV.* & *V.* nec non Sacramentaria (35).

XXIII. Sicubi vero, tepescentibus caritate animis oblationis officium omitterent Fideles, non defuere Patres accerimi, qui de irreligiosa hac negligentia questi sunt graviter, ac coercuerunt etiam. *Dives es*, inquit Cypri. de Op. & Eleem. *& Dominicum celebrare te credis... quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, sumis?* Augustinus etiam, seu quis sit auctor *Serm. CCXV. de Tempore: Oblationes*, inquit, *quæ in altaria consecrantur, afferte: erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit*. Immo *Conc. Matisconense II.*

V 2 acrius

ve munus, quod notant lexica, quodque etiam docet Marcus Euang. VII. 11. Κορβᾶν ὅ ἐστι δῶρον Corban idest Donum. *At Cyprianum, latine cum scriberet, una cum voce Hebraicum quoque sensum retinuisse, hoc enimvero est, quod prudens quisque subdubitet, præsertim cum jam ea vox latini juris, atque significationis evaserit. Adde quod & ipsum* Corban *Hebraicum, quod non vidit Basnagius, locum condendæ pecuniæ destinatum notat Matth. XXVII.* Non licet mittere in Corbonam.

(32) *Tertul. Apol. Cap. XXXIX.* Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, & si modo velit, & si modo possit, apponit: Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, & pueris, ac puellis, re, ac parentibus destitutis, jam domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis, & causa Dei sectæ, alumni confessionis suæ fiunt.

(33) *Justin. Martyr Apol. II.* Qui copiosiores sunt, & volunt, pro arbitrio quisque suo, quod visum est, contribuunt, & quod ita colligitur, apud Præpositum deponitur, atque ille inde opitulatur pupillis, & viduis, & his, qui propter morbum, aut aliquam aliam causam egent, quique in vinculis sunt, & peregre advenientibus hospitibus, & ut simpliciter dicam, indigentium is omnium curator est.

(34) *Theod. Lib. V. Cap. XVII.* Cum autem tempus advenisset, quo dona sacræ mensæ erant offerenda, surgens (*Theodosius*) cum lacrimis non minoribus, quam antea, progressus est ad altare: cumque obtulisset intus ad cancellos substitit, sicut consueverat.

(35) *Canon Apost. III.* Si quis Episcopus, aut Presbyter præter a Domino factam de sacrificio constitutionem, offerat super altare Dei alia quædam, seu mel, seu lac, seu pro vino siceram, seu confecta aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina contra constitutionem faciens, deponatur.

Can. IV. Exceptis tempore opportuno novis granis, sive spicis, sive uvis, non sit licitum offerri aliquid ad altare, nisi oleum ad luminaria, & thymiama, idest incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio.

Can. V. Reliqui omnes fructus ad domum, primitiæ Episcopo, & Presbyteris dirigantur, nec offe-

acrius eos increpat, qui necessario huic religionis officio deerant (36).

XXIV. Jam vero præter panem, & vinum quandoque etiam fruges, aut aliud ejusmodi altari offerebant, puta Oleum, Mel, Lac, Uvas, frumenta &c. Hæc tamen non ubique omnia, neque uno temporis vestigio, sed sensim, ut altari offerrentur, permissa. Canones Apostolici uvarum tantum, spicarumque suo tempore, thuris item, oleique oblationes probavere (37). Per eosdem contra Canones interminata penitus altaribus fuit lactis, atque mellis porrectio (38). Quod ab Græcis servatum puto sequutis etiam temporibus: quandoquidem tandem Patres Conc. Trullani aperte illam ab altari eliminant *Can. LVII. Quod ad altare Mel, & Lac offerri non oportet: οὐ χρὴ προσφέρεσθαι.*

XXV. Rursus per Africam præter uvarum, frumentique primitias, lac etiam cum melle oblatum fuisse dubitari nequit, attestante id Canone quodam *Conc. Carthag. III.* (39). Qui quidem Canon his verbis latius in Collect. Græca, & Latina *Can. Eccl. Afric.* explicatur, atque illustratur *Can. XXXVII. Ut in Sacramentis Corporis, & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit, hoc est panis, ac vinum aqua mixtum. Primitiæ vero, seu mel, & lac, quod uno die solemnissimo in infantum mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen propriam habent benedictionem, ut a Sacramento Dominici Corporis, & Sanguinis distinguantur; nec amplius in primitiis offeratur, quam de uvis, & frumentis.*

XXVI. Ex hoc autem Canone tria colligas. 1. Africæ mel, & lac, non ut inter græcos vetitum, sed offerri permissum *solemnissimo die* i. e. sabbato magno, qui dies solemni baptismo Catechumenorum destinatus erat. Solebant quippe statim e baptismo mel, & lac Catechumenis degustandum præbere. 2. Non cujusvis indiscriminatim frugis primitias permissas hoc Canone, sed uvarum modo, spicarumque saltem per Africam; namque in Galliis contra factum fuisse colligas *ex Con. Aurelianensi I.* quod omnium rerum promiscue oblationem probare, aut certe supponere videtur (40). 3. Denique hasce oblationes peculiares habuisse benedictiones, ne consecrationi panis, atque vini commisceri crederentur. Quod etiam sancitum reperio inter græcos in *Conc. Trullano* (41).

XXVII. Jam vero ex hoc postremo, quod

offerantur in altari. Certum est autem, quod Episcopus, & Presbyteri dividant, & Diaconis, & reliquis Clericis.

Ad Sacramentaria quod spectat, præter omnes græcas liturgias, hunc morem commemoratum visere est in Missa Latina, quam e vetusto Codice publici juris fecit Matthias Flacus Illyricus Argentinæ.

(36) *Concil. Matiscon. II. Can. IV.* Residentibus nobis in sacro Concilio cognovimus quosdam Christianos, relicto fratrum cœtu, a mandato Dei deviasse, ita ut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio Deitatis, dum sacris altaribus nullam admoveat hostiam. Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis, quam vini, ut per has immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel ceteris juste offerentibus promereantur esse consortes.

(37) *Can. Apost. III.*, *quem vide Not.* 35.

(38) *Can. Apost. IV.* Exceptis tempore opportuno novis granis, sive spicis, sive uvis, non sit licitum offerri aliquid ad altare, nisi oleum ad luminaria, & thymiama, idest incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio.

(39) *Conc. Carth. III. Can. XXIV.* Ut in Sacramentis Corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est, panis, & vinum aqua mixtum, nec amplius in sacrificiis offeratur, quam de uvis, & frumentis.

(40) *Laud. Conc. Can. XIV.* Antiquos canones relegentes priora statuta credidimus renovanda, ut de his, quæ in altario ex oblatione fidelium conferuntur, medietatem sibi Episcopus vindicet, & medietatem sibi dispensandam secundum gradus Clerus accipiat.

(41) *Conc. Trull. Can. XXVIII.* Quoniam in diversis Ecclesiis intelleximus, uva ad altare allata, ex quadam, quæ invaluit, consuetudine, ministros hanc incruento oblationis Sacrificio conjungentes utraque simul populo distribuere: Decernimus, ut nullus Sacerdos hoc amplius faciat;

quod observavimus, scilicet primitias ab sacrificii elementis sepositas fuisse, atque specialem habuisse benedictionem, perspicue cognoscimus panis tantum, atque vini elementa proprie ad sacrificium pertinuisse. Hinc ubi sportulis Diaconi, atque subdiaconi ea collegerant, statim ad altare deferebant, ubi Deo per Episcopum offerebantur: ita tamen, ut panis, vinique ea pars tantum ad Eucharistiam asservaretur, quæ adstantibus fidelibus communicandis satis foret; cetera vero de altari per eosdem Diaconos auferrentur fidelibus item, atque Clero dispensanda (42). Quod etiam de vino factum fuisse putandum est. Vide Constit. Apostolicas, in quibus hic offerendi ritus fuse describitur (43).

XXVIII. Illud denique omittendum non est consuevisse jam inde ab Ecclesiæ incunabulis vino frigidam admisceri. De hac praxi loquuntur Scriptores antiquissimi Justinus M., Cyprianus, Irenæus, Conc. Carthag. III. uti etiam Basilius, Nyssenus, aliique passim (44). Hinc qui alterutrum horum in oblatione demebant, ut hæretici habiti, proscriptique, cujusmodi fuere Encratitæ, etiam Aquarii dicti, qui sola aqua utebantur, uti contra Armeni ob id in Conc. Trullano damnati fuerunt, quod solum vinum adhibebant (45). Rationes autem, cur hanc aquæ, vinique mixtionem constanter retinuerint, duas recenset Gennadius (46); exemplum scilicet Christi, atque aquæ, & sanguinis ab ejusdem latere effusionem. Tertiam habet Cyprianus (47), quem sequitur etiam Auctor Epistolæ ad Ægyptios vulgo Julio Pontifici tributæ; ut nimirum ita conjunctio plebis Christianæ cum Christo capite ostendatur (48).

§. VII. *Qui admissi fuerint ad Oblationes, qui secus.*

XXIX. Uti non omnes Oblationes indiscriminatim acceptæ olim, ita neque omnibus, ut offerrent, potestas data. Quum enim, quod sæpe commonui, ex iis ipsis oblationibus elementa Eucharistiæ sumenda essent: hinc eorum oblationes minime acceptabant, quibus interdicta erat Eucharistiæ sumtio, velut si contaminatas eas, ac quodam quasi piaculo funestatas cre-

ciat; sed ad vivificationem, & peccatorum remissionem solam oblationem populo impertiat: Tamquam primitias autem uvæ allationem existimantes, Sacerdotes eam seorsum bendicentes, pesentibus impertire ad fructuum datoris gratiarum actionem *&c.*

(42) *Quod de oblatis muneribus pleraque pars Clero, populoque pauperi Præsertim sederet, nullus est ambigendi locus. Extat Can. VII. Theoph. Alex.* Quæ ad sacrificium offerunt, post absumpta ea, quæ ad mysteriorum usum adhibentur, clerici distribuant: *οἱ κληρικοὶ διανεμέσθωσαν sibi scilicet populoque.*

(43) *Constit. Lib. VIII. Cap. XI.*

(44) *Justinus Martyr. Apol.* Præsidens vero, postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet id, in quo gratiæ actæ sunt, vinum & aquam.

Iren. Lib. V. Cap. II. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei &c.

Concil. Carthag. III. Cap. XXIV. Ut in sacramentis corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est Panis, & Vinum aqua mixtum.

Addas Cyprian. Epist. LXIII. ad Cæcil. Basil. in liturgia, & Nyssen. Orat. Catech. num. XXXVII.

(45) *Concil. Trull. Can. XXXII.* Jacobus Christi Domini nostri secundum carnem frater.... & Basil. Cæsareensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cujus gloria omnem terrarum orbem pervasit, mystico nobis in scriptis tradito sacrificio, ita consecrando in divina missa ex aqua, & vino sacrum calicem ediderunt. *Carpit autem hic Canon Armenos, eosque perstringit auctoritate liturgiæ Jacobi, atque Basilii.*

(46) *Gennad. de Eccles. dogmat. Cap. LXXV.* In Eucharistia non debet pura aqua offerri, ut quidam sobrietatis falluntur imagine, sed vinum aqua mixtum: Quia & vinum fuit in redemtionis nostræ mysterio, cum dixit, *non bibam amodo de hoc genimine vitis*, & aqua mixtum, quod post Cœnam dabatur, sed & de latere ejus lancea perfosso aqua cum sanguine egressa.

(47) *Cyprian. Epist. LXIII. ad Cæcil.*

(48) *Julii Epist. ap. Gratian. de consecrat. distinct. II. Cap. VII.* Si necesse sit, botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur, quia calix Dominicus, juxta Canonum præcepta vino & aqua permixtus debet offerri; Quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi.

crederent. Neque præterea gratam, acceptamque Deo eorum hostiam fore creditum, qui justis caussis ab sacrificio coerciti, eandem hostiam mox in Christi corpus vertendam degustare nequibant. Ergo quum constans hæc veterum fuerit opinio communicandi potestatem cum offerendi potestate conjunctam esse: hinc rejectæ 1. Idololatrarum oblationes ex *Const. Apost.*, *Tertulliano* (49), aliisque. Neque ii modo, sed e Christianis etiam si quis illis favisset, aut Idololatriæ cultui quovis modo velificasset. Hinc Ambrosius Valentiniano Augusto interminatur graviter, ne idololatrarum collabentia templa resarciat, ni velit oblationes suas ab Christi aris rejici (50).

XXX. 2. Hæretici omnes. Auctor est Tertullianus; Marcionis ducenta talenta, quæ pridem Ecclesiæ donarat, mox ab ea cum desciviffet, eidem restituta fuisse (51). Basilius item Valentis Imperatoris dona recusavit, quod Arianis Arianus ipse faveret, teste *Greg. Nazianz.* (52). Eadem severitate in Constantem Imperatorem usum fuisse Liberium tradunt Athanasius, atque Theodoretus. Verum contra factum reperio ab Hormisda Pontifice anno DXIV. ut refert Anastasius in ejus vita, qui Theodoricum Arianum offerre passus est Cerostata duo pendentia pondo CXX. (53). Quod quidem in caussa fuisse puto, cur sensim deinceps hujusmodi dona Ecclesiæ data, quæ tamen ad sacrificium neutiquam pertinebant, rejecta non fuerint.

XXXI. 3. Pœnitentes, cujuscumque hi demum gradus essent, sive Audientes, sive Substrati, sive Consistentes. Quod usque eo verum est, ut postremi hi licet Eucharisticis precibus, sanctæque liturgiæ interesse jus esset, ab oblatione tamen coerciti fuerint. Hinc antiqui Canones eos passim appellant: *κοινωνοῦντες χωρὶς προσφορᾶς Sine Oblatione communicantes* (54). Ubi *Oblationis* vocabulum non Eucharistiam significat, quod perperam putarunt Zonaras, Balsamon, Baronius (55), aliique, sed dona ipsa altari oblata. Vide Cl. Albaspinæum *Lib. I. Observ. VI.* nec non *Epist. Felicis P.* ubi plane Consistentibus oblationem non Eucharistiæ, sed munerum interdicit (56). Præterea iisdem pœnitentibus, quantavis animi demis-

(49) *Constitut. Ap. Lib. IV. Cap. V. Tertull. de idolol. Cap. V.* Respondebimus ad excusationes hujusmodi artificum, quos nunquam in domum Dei admitti oportet, si quis eam disciplinam norit. *Loquitur autem de fabricatoribus idolorum.*

(50) *Ambros. Epist. XXX. ad Valent.* Quid respondebis Sacerdoti dicenti tibi, munera tua non quærit Ecclesia, quia templa Gentilium muneribus ornasti. Ara Christi dona tua respuit, qui aram simulacris fecisti.

(51) *Tertull. de Præscript. Cap. XXX.* Marcion, & Valentinus semel, & iterum ejecti: Marcion quidem cum ducentis sextertiis, quæ Ecclesiæ intulerat.

(52) *Nazian. Orat. XX. de Laud. Basil.* Verum cum dona, quæ ipsemet (*Valens*) effecerat divinæ mensæ offerenda essent, nec quisquam, ut mos ferebat, simul ea caperet, (quod non satis liqueret, an ea Basilius accepturus esset) tum vero manifeste affectus se prodidit *&c.*

(53) *Anastasius in Vit. Hormisdæ.* Obtulit (*Theodoricus Rex*) Cerostata argentea duo pendentia libras LXX. *Sunt autem Cerostata candelabra grandiora, quæ ut plurimum, velut stataria, loco suo immota manent. Perperam autem nonnulli ibi* Cerostrata *legunt. Est enim* Cerostratum *cera inductum, ut apud Vitruvium, de qua voce vide Salmas. ad Solinum pag.* 231.

(54) *Concil. Nican. Can. XI.* Quicunque germane, & vere pœnitentia ducuntur, tres annos inter auditores exigent, ut fideles, & septem annis prosternentur supplices, duobus autem annis absque oblatione erunt orationum cum Populo participes.

Concil. Ancyr. Can. IV. De iis, qui vi sacrificarunt.... Visum est anno audire, tribus autem annis substerni, ac supplices esse, soli autem orationi duobus annis communicare, & tunc ad id, quod est perfectum, accedere.

Adisis etiam ejusdem Concilii Can. V. & VIII.

(55) *Baron. ad annum Christi CCCXIII. n. LXXVIII. Zonaras ad Can. V. Conc. Ancyr.*

(56) *Felix P. Ep. ap. Albasp. loc. cit.* De clericis autem, & Monachis, aut puellis Dei, aut secularibus servari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos, qui lapsi sunt, vel fuerint, servandum esse constituit: ut scilicet qui nulla necessitate, nullius rei timore aut periculo, se, ut rebaptizentur, hæreticis impie dediderunt, si tamen eos ex corde pœniteat, tribus annis inter audientes sint: septem autem annis subjaceant inter pœnitentes manibus Sacerdotum, duo-

missione omnes pœnitentiæ leges subivissent, si interim morte occupati essent, ne tum quidem dona offerendi venia dabatur. Statutum enim id, fixumque antiquis erat, quod refert Leo Magnus (57), quibus viventibus non communicarant, iisdem ne mortuis quidem communicandum esse. Immo, quod magis mirere, ejus etiam rejectæ oblationes, qui etsi integerrime vixisset, extremum tamen intermorientis vitæ actum vel levi macula fœdarat. Hinc Cyprianus nullas oblationes pro Geminio Victore fieri voluit, quod Faustinum Ecclesiæ Furnitanæ presbyterum tutorem testamento dixerat, quod vetitum *Carthag. Conc.* fuerat (58.

XXXII. Hanc autem primorum Seculorum disciplinam paululum temperari placuit sequutis deinde Patribus. Hinc licet pœnitentium vivorum dona constanter rejecerint, morte tamen obveniente, si quæ eorum nomine fierent, non recusarunt. Statuere id Patres *Conc. Aurel. II. Vasensis II. ac Tolet. XI.* (59). Advertas tamen illis tantum pœnitentibus per eadem Concilia hanc veniam datam fuisse, qui justa cum pietate, atque religione pœnitentiæ stadium percurrerant, seu qui, uti tum loqui malebant, *Pœnitentiam honoraverant*, ceteris ab hac indulgentia seclusis. Ceterum & hac quoque parte priscæ severitati derogatum postea fuit: namque *Conc. Aurelianense II.* eorum etiam oblationes ratas habuit, qui in quovis crimine deprehensi internecati fuerant, uno excepto suicidio (60).

XXXIII. Catechumeni, quibus vita functis sine baptismo nulla spes suffragii erat reliqua, *præter eleemosynam*, ut ait Chrysostomus (61) adeoque neque sanctarum oblationum jure gaudebant ex *Conc. Bracarensi* (62). De Energumenis item in hanc eandem sententiam singularem expressumque canonem habemus *Conc. Illib. Can. XXIX.* His addas eos etiam qui leviori aliquo peccato irretiti quamvis publicæ pœnitentiæ non subessent, illud tamen purgare recusabant, quod fecit Augustinus in Bonifacium Comitem (63). Ad hæc

duobus autem annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre; sed tantummodo secularibus in oratione socientur.

(57) *Leo M. Epist. XIII. ad Rusticum Cap. VI.* Horum causa Dei judicio reservanda est, in cujus manu fuit ut talium obitus non usque ad communionis remedium differretur, nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.

(58) *Cyprian. Epist. LXVI. ad Cler. Furnitan.* Ideo Victor cum contra formam, nuper in Concilio a Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum, ausus sit tutorem constituere, non est, quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio.

(59) *Concil. Aurel. II. Can. XIV.* Oblationem defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse.

Concil. Toletan. XI. Can. XII. De his, qui accepta pœnitentia antequam reconcilientur, ab hac vita recesserint. Quamquam diversitas præceptorum de hoc Capite habeatur, illorum tamen nos sententias sequi placuit, qui multiplices numero de hujusmondi humanius decreverunt, ut memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum dedicata spiritibus accipiatur.

Addas etiam Concil. Vasens. I. Can. II.

(60) *Concil. Arelat. II. Can. XII.* De his, qui in pœnitentia positi vita excesserint, placuit nullum communione vacuum debere dimitti: Sed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius suscipiatur.

(61) *Chrysost. Hom. III. in Philipp.* Quomodo Deum non placabimus pro istis orantes? atque id quidem de iis, qui in fide decesserunt. Catechumeni vero neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto: quale vero hoc? licet pauperibus pro ipsis dare.

(62) *Conc. Bracar. I. Can. XXXV.* Catechumenis sine redemtione baptismi defunctis, simili modo non oblationis sanctæ commemoratio, neque psallendi impendatur officium.

(63) *Augustin. Epist. VI. ad Bonifac.* Oblatio domus tuæ a clericis ne suscipiatur, indixi, communionemque tibi interdico, donec pro hoc facto corde contrito, & humiliato dignum offeras Sacrificium Deo. *Hæc Epistola licet Augustino abjudicata sit ab Patribus Maurinis, haud tamen abludit ab illorum temporum disciplina.*

hæc Caupones, Prostibula, Lenones, & si qui erant graviorum criminum rei, quos fusius recensent *Const. Apost.* (64)

XXXIV. Denique ut rem uno verbo absolvam, omnes non communicantes. Communicantes autem cum dico, perfectam communionem intelligi velim. Duplex est enim Communio, ad ipsius ὁσίων quod spectat. Altera imperfecta, qua peccatoribus ex parte pœnitentia perfunctis, venia dabatur cum ceteris fidelibus ad preces Eucharisticas coeundi, ac tantum de ipsa Eucharistia non participandi, dicti ob id *consistentes*. Perfecta altera, qua scilicet cum ad preces, tum ad Eucharistiam aditus iis erat. Ergo omnes quicumque non communicabant i. e. quicumque perfectæ Communioni restitui non erant, hi ab oblationibus prohibebantur. Atque hinc prono fluit alveo, quæ demum sit sententia *Canonis XXVIII. Conc. Illib.* (65) ubi eorum dona recusantur, qui *non communicant*, h. e. qui nondum perfecta communione donati sunt; quod cum plerique non animadvertissent, turpissime hallucinati sunt, velut si Consistentibus, qui communicabant in precibus, jus esset offerendi.

§. VIII. *De recitatione ad altare nominum eorum, qui dona obtulerant, tum de precibus ad Oblationes fieri solitis.*

XXXV. Donis ad Altare positis nomina eorum, qui illa obtulerant, publice per Diaconum recitabantur. Loquuntur de hac consuetudine Patres passim. Cyprianus ad Episcopos Numidiæ nomina eorum scripto transmisit, qui stipem contulerant redimendis Numidarum captivis, ut pro iis precarentur in precibus, Eucharisticis præsertim (66). *Hieron. in Jerem. Lib. Cap. II. Nam*, inquit, *publice recitantur offerentium nomina, & redemtio peccatorum mutatur in laudem, nec meminerant viduæ illius, quæ in gazophylacio duo æra mittendo omnium divitum vicit donaria.* Ubi, quamvis superbum offerentium fastum vituperet Hieronymus, plane tamen ostendit sat frequentem hanc praxim ea tempestate in Ecclesiis fuisse. Vide etiam *Chrysost. atque Innocent. I.* (67). Cotelerii etiam Viri Cl. eruditioni debemus formulam ipsam, qua offerentium nomina edicebantur: quam ille eruit ex *Gestis Purg. Caciliani, & Felic. pag.* 95. his conceptam verbis: *Dat vobis de re sua Lucilla.* Aliam comperi ex *Hieron. in Ezechiel. XVIII.* fastus, atque ostentationis plenam, in tantum, ut non quæ obtulerant modo, sed quæ se oblaturos spondebant, edici publice vellent: *Tantum offert illa, tantum ille pollicitus est, placentque sibi ad plausum populi, torquente conscientia.* Hinc merito suspicamur non ubique distinctam hanc nominum recitationem obtinuisse, præsertim quum de illa taceant *Const. Apost., Justinus M., atque Irenæus.*

XXXVI.

(64) *Constitut. Apostol. Lib. IV. Cap. VI.* Oportet Episcopum scire quorum debeat oblationes accipere, & quorum non debeat. Nam ad daudum non admittet Caupones. Fugiendi etiam ei scortatores.... item rapaces, alienarum rerum cupitores, & adulteri. Sed & qui viduam affligunt, & pupillos potentia sua opprimunt.... Repudiabis etiam adulteratores, & oratores patrocinantes injustitiæ, & fabricatores idolorum, & fures, & publicanos injustos, & in ponderando stateram ad alterum latus impellentes.... item homicidam, & carnificem: adhæc judicem injustum, vinolentum, blasphemum, cinœdum, fœneratorem; nec non quemlibet improbum, & cum Dei voluntate pugnatorem.

(65) *Concil. Illiberit. Can. XXVIII.* Episcopos placuit, ab eo qui non communicat, munera non accipere.

(66) *Cyprian. Epist. LX. ad Episc. Numidas*: ut fratres nostros, ac sorores qui ad hoc opus tam necessarium prompte, ac libenter operati sunt, ut semper operentur, in mente, habeatis in orationibus vestris, & eis vicem boni operis in Sacrificiis, & precibus repræsentetis: subdidi nomina singulorum: Sed & collegarum quoque, & consacerdotum nostrorum, qui, & ipsi cum præsentes essent, & suo, & plebis suæ nomine, quædam pro viribus contulerunt, nomina addidi, & præter quantitatem propriam nostram eorum quoque summulas significavi, & misi, quorum omnium, secundum quod fides, & caritas exigit, in orationibus, & precibus vestris meminisse debetis.

(67) *Chrysost. Hom. XVIII.* Preces perpetuæ propter te, oblatio per singulos dies Dominicos. *Locus Innocentii Epist. ad Decentium mox dabitur.*

XXXVI. Ex iis vero facile conjicias, quæ sit illius phraseos sententia, *Nomen offerre*, de qua tot turbas pridem excitatas novimus. Est enim *nomen offerre*, cum oblationibus porrectis ad altare, suum offerentis nomen scripto Diaconis tradebant, quod inter ipsas oblationes alte ab Diacono recitatum, veluti Deo offerebatur, atque altari; quodque fideles, ut pro offerente deprecarentur, excitabat (68). Hinc 1. demortuorum nomen offerri frequentius leges in antiquis Canonibus: ne præter Ecclesiasticam communionem decessisse viderentur, uti si contra excommunicatus quis diem obivisset, tacebatur ex *Cypr.* (69). 2. Pœnitentium, ut ita palam fieret omnibus, eos perfectam communionem indeptos fuisse *ex eodem Cypr.* (70). 3. Omnium demum Fidelium, qui dona obtulerant, quod docet Innocentius I. *Epist. ad Eugubiensem Episcopum*. Atque hinc etiam colligas Munerum oblationem ab oblatione nominum distinctam non fuisse.

XXXVII. Has Oblationes an ullæ preces exceperint, quibus Deo commendarentur offerentes, donaque ipsa, est sane quod dubites. Profecto *Const. Apost.* nihil de iis habent: quod indicio est, si minus verbis, silentio certe eam precem peractam fuisse, aut saltem Constitutionum Auctorem existimasse solam mentem, aut *intentionem*, ut ajunt, satis ad id fuisse (71). At per Occidentem aliter se rem habuisse puto. Certe Africanam Ecclesiam ad oblationes commendatitiis precibus usam fuisse subindicat *Cypr. Ep. LX. ad Episc. Numidas. Ut fratres nostros, ac sorores, qui ad hoc opus tam necessarium promte, ac libenter operati sunt, ut semper operentur, in mente habeatis in orationibus vestris, & eis vicem boni operis in sacrificiis, & precibus repræsenteris ... Quorum omnium, secundum quod fides, & caritas exigit, in orationibus, & precibus vestris meminisse debetis*. Offerentium ergo, Cypriano instigante, atque jubente, meminerant *in sacrificiis* Afri. His vero Romanam etiam addas Ecclesiam ex luculento Innocentii primi testimonio *Ep. ad Decentium Eugubiensem Episc.* quod fusius exscribere, commentarique hic non pigeat. *De nominibus recitandis*, inquit, *antequam Sacerdos preces faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, & ipse per tuam prudentiam recognoscis, ut cujus hostiam nec dum Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut* inter

(68) *Id ipsum Græci exprimebant per τὸ ἀναφέρειν ὄνομά τινος ἐν τῇ θείᾳ μυσταγωγίᾳ.* Recitare nomen alicujus in sancta liturgia *ut est in Can. XIV. Conc. in Templo Apostolorum habiti. Zonaras vero in hunc ipsum Canonem simplicius dixit ἀναφέρειν τινὰ nomen alicujus pronunciare: Vide etiam Can. XV. ejusdem Conc.*

(69) *Cyprian. Epist. LXVI. ad Cler. Furnitan. Vide notam* (58) *Cap. I.*

(70) *Idem Epist. X.* Ad communionem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab Episcopo, & Clero imposita Eucharistia illis datur. *Quod moris fuisse indicat, ut Pœnitentium nomina recitarentur ad altare simul ac reconciliati fuerant.*

(71) *Quid vero facias scholasticorum nonnullis, quorum ea fuit opinio, ut crederent vocalem recitationem illarum orationum, quibus nunc ad oblationem utimur;* Suscipe S. Pater, *aut*, suscipe S. Trinitas *&c. necessariam esse ad sacrificii integritatem? Profecto vel uno hoc* Constitutionum *loco velut obice præpediti hærebunt ad salebras, ut ne nunc loquor de antiquissima Apostolorum praxi, quos in offerendo pane præter consecrationem certis oblationum formulis usos fuisse nullus dum scivit. Quanto rectius hi, qui Bellarminum, atque Nat. ab Alex. sequuti, esse quidem oblationem in sacrificio necessariam, at eam ab ipso sacrificii actu, atque immolatione minime esse distinctam volunt.* Inutilis, *inquit Bona Rer. Lit. Lib. II. Cap. VIII. §.* quæstio est. Oblatio enim, cum sit inseparabilis ab sacrificio, a certa precum, sive rituum formula non dependet: alioquin sacrificium Apostolorum, & ceterorum, qui, nondum institutis hujusmodi orationibus, vixerunt, oblatione caruisset.

inter sacra mysteria nominentur, *non inter alia*, *quæ ante præmittimus &c.*

XXXVIII. Plura sunt hic, quæ observes diligenter: primo quidem fuisse hunc morem, ut offerentium nomina recitarentur, deinde, ut non ante, sed post oblationem recitarentur: sed illud notatu dignissimum, preces adhibitas fuisse offerentium commendatitias. Res ita se habuit. Decentius Eugubiensis præposterum fore arbitrabatur prius pro offerentibus precari, quam eorum nomina edicta forent. Contra ea Innocentius precandi morem non culpat, at antiquum precandi ordinem præverti non vult, jubetque prius preces fieri, ac tum demum nomina recitari, *ut etiam inter sacra mysteria nominentur* i. e. pro eis precentur. Ergo inde etiam eruas oratum pro offerentibus bis fuisse: primo generatim post oblata munera, deinde etiam inter ipsum sacrificium. Atque iis profecto precibus successisse puto orationes illas, quæ occurrunt in Sacramentariis Leoniano, Gelasiano, atque Gregoriano hoc præscriptas titulo *super oblata*, aut *secretæ* (72). Cujus quidem nominis quæ sit originatio dicam inferius (73). Denique illud quoque advertas, fuisse aliud precum genus ante, aut inter ipsas oblationes cantari solitum, cujus meminit Augustinus (74): hymni scilicet e psalmis delecti, qui a populo canebantur, interea dum dona offer-

(72) *Bona Cardinalis Rer. Lit. Lib. II. Cap. VIII. §. 2. ait Romanam Ecclesiam nullam orationem ad oblationes adhibuisse*, *sed* universam eam actionem sub silentio completam. *At verum quidem id est*, *si de quinque illis orationibus loquitur*, *quas nunc ad oblationem recitamus*, *uti sunt*: Suscipe S. Pater: Veni sanctificator: In Spiritu humilitatis: Offerimus tibi: & Suscipe S. Trinitas, *quarum nullum omnino vestigium deprehendas in antiquis Ritualibus*, *ac Sacramentariis. At id ipsum falsum reor*, *si ita demum accipias*, *ut nullas prorsus Romanos preces habuisse contendas oblationum ipsarum commendatitias. Sunt namque in antiquissimis Sacramentariis Leoniano*, *atque Gelasiano orationes in singulis quibusque Missis præscriptæ*, *quibus & dona Deo offeruntur*, *& divinum auxilium pro offerentibus enixe efflagitatur*, *quarum plerasque adhuc in Dominicis præsertim recitamus Secretarum titulo. Vide Murat. Tom. I. Liturg. Vet. Rom. Accessere his deinde quinque illæ orationes*, *quas memoravi*, *quarum priores quatuor e Missali Mozarabum antiquissime*, *ultimum* Suscipe S. Trinitas *e Missali Ambrosiano accepere liturgici Romanorum Libri seculo XII.*

(73) *Quot capita tot sententiæ. Quod inde factum puto*, *quod minus accurate ejus veris significata distincta sunt. Quod nos* Secretam *id Græci* Προσκομιδὴν *dixere*, *estque apud illos non oratio oblationum fidelium commendatitia*, *sed universa oratio illa*, *qua panis consecratur Deoque offertur ab* προσκομίζω *offero. Typicum Sabæ Cap. XXI.* Invenimus in Synaxario magnæ Ecclesiæ, in oratione Deiparæ fieri oblationem, & perfectam liturgiam γίνεσθαι προσκομιδὴν, καὶ τελείαν λειτουργίαν· ubi *Προσκομιδὴ est integra Sacrificii oblatio*, *seu Canon Missæ*, *ut dicimus. Haud secius Latini Secretam dixere ipsum Missæ Canonem. Capitul. Caroli M. Lib. VI. Cap.* 164. Secreta non incipiatur, nisi hymno finito. *Te igitur* non inchoent nisi post Angelicum hymnum finitum. *Vide etiam Dufresnium Gloss. Latin. ubi plura offendas in id exempla. Jam vero quum mos demum inolevisset canonis non elata*, *sed humili voce recitandi*, *quumque in ea Missæ parte non tantæ essent populi partes*, *quantæ in priori sunt respondendo*, *precandoque simul cum Sacerdotibus*, *factum idem est*, *ut Canonem Missæ* Secretam *dicerent*, *quod in illo Sacerdotes* secreti *seu divisi a populo orarent. Totum id illustrat Herardi Turonensis locus in Collect. Cap. XVI.* Et ut secreti Presbyteri non inchoent, antequam Sanctus finiatur, sed cum populo Sanctus canient. *Ubi Canonem recitari ab Presbyteris secretis i. e. solis*, *ac seorsum demissa voce orantibus. Atque hinc etiam intelligas*, *cur Caroli Magni Capitularia vetarint*, *nondum Præfatione absoluta*, secretam *seu Canonem recitari*, *quod in præfatione Sacerdotes non secreti*, *i. e. non soli orarent*, *sed populus etiam respondendo erat* Sanctus &c. *Latius deinde productum* Secretæ *vocabulum*, *ut cum Canonem*, *tum orationem oblationum commendatitiam significaret*, *quod tum evenisse credo*, *cum populo præreptæ partes fuerunt in hac etiam Missæ parte respondendi. Hinc factum*, *ut Canon* secunda Missæ secreta *diceretur*, *ut nempe ab priori secreta illum discriminarent. Petrus Damianus in Vita S. Romualdi num. LXI.* Postera igitur die sacrificare incipiens, cum ad secundam Missæ secretam perventum esset, in ecstasim raptus *&c.*

(74) *August. Retract. Lib. II. Cap. XI. memorat* Hilarum quendam, qui morem, qui tunc apud Carthaginem esse cœperat, ut Hymni de Psalmorum libro ad altare dicerentur, sive ante oblationem, sive quum distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica reprehensione, ubicumque poterat, lacerabat, asserens fieri non oportere.

ferrentur, cujus postremis demum temporibus vicem subiere offertoria, uti nunc sunt in Romanis Missalibus (75).

§. IX. *De aliis quibusdam ritibus ad oblationes spectantibus.*

XXXIX. Episcopos, priusquam Oblationibus operam darent, pacem dedisse populo, dixi superius. Quandoquidem vero eam semel, atque iterum repetebant in eodem sacrificio, abs re non est observasse eam diverse olim enunciatam fuisse, modo *Pax vobiscum*, modo *Dominus vobiscum*, modo denique *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit semper vobiscum*. Hæc autem varietas nihil Ecclesiasticæ unitati officere diu credita est. Verum anno CCCCXI. quod Priscillianistæ obstinatius contenderent secus ab Episcopis, quam ab presbyteris esse impertiendam, Patres *Conc. Bracarensis I.* sanxere hanc communiter esse retinendam: *Pax Domini sit vobiscum*, quam adhucdum servamus (76). Ceterum antiquitus quamlibet e tribus, prout cujusque Ecclesiæ mos ferebat, adhibuere. Hinc Cyrillus Alex. atque Theodoretus quamlibet indiscriminatim dixere exordium esse omnium precum Liturgicarum, quod cum ea aut inciperent illæ, aut desinerent (77). Chrysostomus vero quot vicibus in sacrificio eam dederint Sacerdotes, subindicat pluribus in locis (78). Vide etiam ex Occidentalibus Tertull. & Optatum (79).

XL. Post oblationem, ut est in Constit. Apostolicis, Diaconi aquam manibus Sacerdotum porrigebant (80), cujus moris meminit quoque Cyrillus, additque mystice id factum, ut nempe admoneremur omnes dignam tanto Sacramento præ nobis ferre puritatem (81). Porro vas huic usui destinatum, græce χέρνιβον,

(75) *Universa hæc de oblatione panis, vinique disciplina desiit demum per VI. aut VII. Ecclesiæ sæculum tum, cum usus azymorum obtinuit, fermentato abolito. Namque cum initio Fideles omnes ad unum sacris adstantes communicarent, fieretque e pane fermentato Eucharistia, præcipuum Christianæ pietatis officium visum est, fidelium quemque panem, & vinum offerre, quorum parte consecrata, fidelibusque distributa, reliquum quod erat clero, ac pauperibus distribuebatur. Labente deinde paulatim disciplina, neque omnibus communicantibus, neque e fermentato, sed ex azymis Eucharistiam conficientibus Sacerdotibus, desitum etiam fuit ab pane vinoque offerendo. Vide Bonam* Rer. Liturg. Lib. II. Cap. VIII. §. 8. *Successit tamen his primo farina ab fidelibus oblata, quæ tamen non clerico item, ac pauperi, sed Episcopo cederet, aut Parocho; deinde vere etiam pecunia. Petrus Damianus* Lib. V. Ep. XIII. *accepisse se ait ab Principum virorum uxoribus* Bizanteos *aliquot i. e. aureos nummos: donec ad ea tempora demum ventum est, quibus oblationum usus aut abolitus est omnino, aut in pagis tantum villisque retentus Parochorum commoda profuturus.*

(76) *Conc. Bracarense I. Can. XXI.* Placuit, ut non aliter Episcopi, & aliter Presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes: *Dominus sit vobiscum*: sicut in libro Ruth legitur, & ut respondeatur a populo: *Et cum Spiritu tuo*: sicut & ab ipsis Apostolis traditum omnis retinet Oriens, & non sicut Priscilliana pravitas immutavit.

(77) *Theodoret. Epist. CXLVI.* Hoc in omnibus Ecclesiis mysticæ Liturgiæ initium est. *Cyrillus Alex. Lib. XII. in Joannem.*

(78) *Chrysost. Hom. III. in Coloss.* Cum ingressus fuerit Ecclesiam is, qui præest, statim dicit: *Pax omnibus*. Quando benedicit: *Pax omnibus*. Quando jubet salutare: *Pax omnibus*. Quando peractum fuerit sacrificium: *Pax omnibus*. Et rursus intermedio: *Gratia vobis, & pax.*

(79) *Tertull. de Præscript. Cap. XLI. ad id plane respexit, ubi hæreticos objurgat, quod pacem dederint promiscue*: Pacem cum omnibus miscent. *Optat. Lib. III.* Non potuistis prætermittere, quod legitimum est. Utique dixistis pax vobiscum .... Quid salutas, de quo non habes? Quid nominas, quod exterminasti? Salutas de pace, qui non amas.

(80) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XI.* Subdiaconus vero dat aquam manibus Sacerdotum Symbolum animarum Deo consecratarum.

(81) *Cyrill. Hierosol. Catech. Mystag. V.* Vidistis Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti & illis, qui circum altare Dei stabant presbyteris. Num ideo prorsus dabat, ut sordes corporis abluerentur? Nequaquam. Nec enim adeo sordibus corporis foedari in Ecclesiam

βον, latine *Aquamanile*, sive etiam *Aquæmanile* dictum, conchæ genus erat labris cavis quidem, sed ex æquo patulis, quod effusam ab urceolo aquam excipiebat, continebatque, ut illud explicat S. Lanfrancus Cantuariensis Episcopus *Ep. ad Joannem Rothomag.* (82). Aquæ autem porrectio una cum manutergio Diaconorum munus erat. Putat Binghamus ex Auctore *Quæst. Vet. & Nov. Test.* unam Ecclesiam Romanam id officii Subdiaconis dedisse. At perperam, cum alias præterea Occidentis Ecclesias id ipsum consuevisse vel unus doceat Isidorus *Ep. ad Luidfredum Episc. Cordubensem* (83).

XLI. Præterea tanta fuit veterum religio in tractanda, conficiendaque Eucharistia, ut quædam instrumenta haberent abigendis quibusvis immundis insectis accommoda. Hinc ex *Constit. Ap. loc. cit.* ubi dona panis, ac vini consecranda altari imposita erant, duo Diaconi hinc, atque hinc ῥιπίδιον agitabant, quoddam ventilabri genus e pennis pavonum confectum, aut e linteolis ad manus compactum. De his flabellis loquuntur præter Constit. Apost. Jobius Monachus apud Photium, Germanus Patriarcha, & Liturgiæ Græcorum passim (84). Eorumdem usum commendatum & Occidentalibus fuisse, discas ex Mosco *Cap. CL.*

siam ingredi solemus. Sed illa manuum ablutio symbolum est, oportere nos a peccatis omnibus & iniquitatibus mundari. Quum enim per manus designentur actiones, lavare certe easdem, munditiem & puritatem operum significat. Nonne audistis David mysteria tractantem ista, & dicentem: Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo Altare tuum, Domine? *Psalm. XXV. 6.* Itaque manus abluere, est symbolum, non obnoxium esse peccatis.

(82) S. *Lanfrancus Cantuariensis Epist. XIII. ad Joannem Rotomagensem*: Aquamanile, sive Aquæmanile. Italici unam partem dicunt, vocaturque lingua eorum vas inferius, in quod in manibus infusa aqua delabitur. *Una autem ejus nominis pars, quam Italos dixisse docet hic Lanfrancus, posterior est, ut puto,* Manile *scilicet. Hujusmodi enim vas* Manile *etiam appellatum invenies ab Conrado Episcopo Moguntinensi in Descript. Thesauri Ecclesiæ suæ:* erant pelves, *inquit*, quatuor Argenteæ, Urcei diversarum formarum, quos *Manile* vocant, eo quod aqua Sacerdotum manibus funderetur ex eis. *Ex quo etiam vide variatum in ejus significatu, modo illud accipientibus pro vase aquam fundente, modo profusam excipiente. Sed ex vi ipsa nominis statues vas latinis* Guttis *potius simile fuisse, quam Polubrum, cujus officium describit Fabius Victor ap. Nonium*: Aquam manibus, pedibusque dato: Polubrum sinistra manu teneto: dextera vasum cum aqua.

(83) *Isid. Epist. ad Luidf.* Ad Subdiaconum pertinet urceolum, & Aquamanile, ac manutergium dare Episcopo, Presbyteris, & Levitis pro lavandis ante altare manibus. *Sed ipse etiam Auct. Constit. indicat ejus Ecclesia, cujus ille Liturgiam scribit, morem fuisse subdiaconis id munus dare. Vide Not. supra num.* (80).

(84) *Jobius Monach. ap. Photium Cod. CCXXII.* Cum corpus Dominicum in sacra mensa propositum est, ideo qui ab utroque latere sacris operantibus adstant, in eorum, qui sex alas gestant, symbolum, confecta ex alis flabella supra oblata ibi horrenda mysteria agitante, ut detinant initiatos rebus visis inhærere, sed eos mentis oculis supra omne id, quod cum materia conjunctum est, sublatos, faciant per ea, quæ videntur, ad invisibilem contemplationem, & inexplicabilem pulchritudinem illam adscendere.

Liturg. Chrysost. Tom. III. Post hæc procedit (*Diaconus*) ad dexteram partem, & ventilat ῥιπίζει μετὰ ῥιπιδίου cum flabello reverenter oblata. Quod si Flabellum desit, faciat id cum Calicis operculo, μετὰ καλύμματος.

Germ. Contempl. Rer. Eccles. p. 157. Quid ergo quispiam dicat de divinis *Flabellis* περὶ τῶν θείων ῥιπιδίων, quæ tenet manus Diaconorum, & ab ipsis versantur derepente, quasi ex animi consternatione, usque ad orationem Dominicam? *Hæc vero quum ita sint, eccui stomachum non moveat Suiceri Scriptoris Angli os, qui τὰ ῥιπίδια Germano, Basilio, Jobio, aliisque memorata Canistros vimineos fuisse contendit Eucharistiæ ægrotis ministrandæ destinatos, ejus instar, quo usum olim Exuperium Tolosanum Episcopum testatur Hieronymus:* Quid illo ditius, qui corpus Domini *canistro vimineo*, sanguinem portat in vitro? *Atqui ῥιπὶς, unde τὰ ῥιπίδια pro ventilabro, aut folle accipitur apud* Aristoph. in Achar. *Neque aliter eam vocem accepere profani scriptores, vimque unus Herodotus pro canistro posuisse creditur, quod notant passim lexicographi. Ceterum ad Ecclesiasticos Scriptores quod spectat, dolo malo obtruncat Suicerus Basilii locum in hunc modum*: ὁ διάκονος ἀποτίθεται τὸ ῥιπίδιον Diaconus deponit Sportam. *Integer namque hic est*: Diaconus deponit

Cl. Prati Spirit. ann. circiter DXXXV. Narrat enim Italum Episcopum coram Agapeto I. facientem, cum oblationis orationem concludere nollet, quod de more suo descendentem Spiritum S. non conspiceret, jussu deinde ipsius Pontificis Diaconum *flabellum agitantem* ab se amovisse, statimque descendentem Spiritum S. conspicatum esse. Eadem hæc flabella ob potissimum eorumdem usum *Muscaria* etiam dicta sunt. Vide Hildebertum Turonensem, nec non vetus distichon Muscario Ecclesiæ Trenorchiensis inscriptum apud Mabillonium (85).

XLII. Omnibus autem ad sacrificium ita comparatis, rursus populum compellabat Diaconus his verbis in Constit. Ap. relatis loc. cit. *Ne quis ex Catechuminis: ne quis ex audientibus: ne quis ex infidelibus: ne quis ex Heterodoxis: qui priorem precationem fecistis, accedite: Matres adsumite pueros; ne quis contra aliquem: ne quis in hypocrisi. Erecti ad Dominum cum timore, ac tremore stemus ad offerendum.* Similia his habet etiam Chrysostomus (86). Denique signo sanctæ crucis ad frontem se signabat Episcopus ex iisdem Constit. Ap. (87). Quod quidem plus vice simplici repetitum in eodem Missæ sacrificio clarissima Chrysostomi, atque Augustini testimonia evincunt (88).

ponit τὸ ῥιπίδιον *Flabellum*, quod tenebat, vel *operculum Calicis* κάλυμμα, & accedit propius ad Sacerdotem, & ambo adorant *&c. cui sane gemellus est Chrysostomi Liturgiæ locus, quem supra protuli:* Diaconus, *inquit*, procedit in dexteram partem, καὶ ῥιπίζει & *ventilat* oblata reverenter cum flabello; sin id desit, faciat id μετὰ καλύμματος *cum operculo Calicis. Vides bis utrique scriptori eandem pene sententiam expressam, vides utrumque τῶν ῥιπιδίων* Flabellorum *vice* τὸ κάλυμμα Calicis operculum *sufficere. Num poterat* Calicis operculum *ad instar τῶν ῥιπιδίων*. Canistrorum *Corpus Christi populo dispensandum continere? Idem statuas de ceteris locis, quos ille citat ex Hist. Græca Conc. Florentini, atque Germano, ubi τὰ ῥιπίδια efformata dicuntur ad instar sex Cherubinorum alis suis Dei conspectum velantium. His quippe Auctoribus τὰ ῥιπίδια non Pyxides argenteæ sunt, sed Flabella, quæ Cherubinorum instar* viventia, & tremenda, & intaminata mysteria semper obtegunt ῥιπίζουσι, *ut verbis utar Cit. Hist. Conc. Florent. Præterea merito hic quivis ab Suicero quæsiverit, qui Pyxides formam exprimere potuerint Cherubinorum perpeti alarum motu pedes, atque caput Dei obnubentium? Nobis vero, qui τὰ ῥιπίδια Flabella esse volumus, haud id erit difficile. Est enim, uti Cherubim olim, ita τῶν ῥιπιδίων* Flabellorum *officium perpeti ventilatione sanctum Christi Corpus obtegere, uti egregie id supra explicasse Jobium vidimus. Hæc adnotanda fuerant, ut ne tantam majorum nostrorum in Eucharistiam reverentiam præriperet nobis Heterodoxus Scriptor.*

(85) *Ap. Mabill. Tom. IV. Annal. Bened.*

Sunt duo, quæ modicum confert æstate flabellum,
Infestas abigit Muscas, & mitigat æstum.

(86) *Chrysost. Hom. XXXVII. De Filio Prodigo:* Recordamini tremendorum Mysteriorum, ac Ministrorum sacri officii, imitantium Angelorum alas tennibus suis lineis velis, quæ sinistris humeris insident: & qui in Ecclesia discurrunt clamantque, ne quis ex catechumenis, ne quis eorum, qui non credunt, nullus ex exploratoribus, ne quis eorum, qui non possunt intueri vitulum, qui comeditur, neve quis eorum, qui spectare non possunt cælestem sanguinem, qui effunditur in remissionem peccatorum, ne quis indignus hostia vivente, ne quis non initiatus, ne quis eorum, qui non possunt impollutis labiis tremenda mysteria attingere: deinde subjunguntur voces Angelorum collaudantium de Cælis & dicentium: Sanctus Pater, qui voluit mactari vitulum saginatum, qui peccatum non novit, ut propheta dixit Esaias, qui peccatum non fecit, neque inventus est dolus in ore ejus. Sanctus est Filius, simul & vitulus, qui semper occiditur sponte, qui semper vivit. Sanctus Paracletus Spiritus sanctus, qui sacrificium perficit.

(87) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XII.* Orans ergo apud se Sacerdos cum omnibus Presbyteris, & induens se splendida veste, stansque ad altare signum crucis in fronte manu facit coram omnibus ac dicit: *Gratia omnipotentis Dei &c.*

(88) *Chrysost. Demonst. Quod Christus sit Deus:* In fronte nostra, quasi in columna, quotidie figuratur (*Crux*). Hæc in sacra Mensa: hæc in Sacerdotum ordinationibus: hæc iterum cum Corpore Christi in mystica cœna fulget.

August. Hom. CXVIII. in Joan. Quid est signum Christi, nisi Crux Christi? Quod signum, nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil horum rite perficitur.

CA-

CAPUT II.

De Ritibus, ac Precibus a Præfatione ad Communionem usque olim servatis.

§. I. *De Præfatione, Gratiarum actione, ac Trisagio. Sanctus. Sanctus. &c.*

I. Veterum constans opinio fuit, in Sacrosancto hoc Sacrificio id maximo præstandum opere, quod præstitum ab Christo noverant aut ex divinis novi Fœderis oraculis, aut ex intaminata Apostolorum traditione. Quandoquidem vero Christus ipse de se exemplum dederat, qui panem, vinumque mox in sanguinem, ac corpus suum conversurus æterno Patri suo *gratias egit*, *deditque discipulis suis*, hinc ipsi quoque priusquam panem, ac vinum consecrarent, justam Gratiarum actionem præmittebant. Hanc latini quandoque *Contestationem*, ut vetus Sacram. Gallicanum; quandoque *Inlationem*, ut Mozarabes; quandoque etiam *Immolationem* appellarunt. Vide Mabillonium (1). Græci eam Εὐχαριστίαν dixere *Gratiarum actionem*, quod illa gratiæ Omnipotenti Deo agerentur. *Eucharistia dicitur, cum quis pro acceptis beneficiis gratias Deo agit*: inquit *Chrysost. Hom. CXXXIV. Tom. V.* (2).

II. Hujus Eucharistiæ, sive Gratiarum actionis tres sunt partes: Initium scilicet, quod proprie Præfationis nomen demeretur, Gratiarum actio, atque Angelicum Trisagium. Initium est quædam quasi populi admonitio ad comprecandum, *Præfatio* inde dicta, quod illa pauca præfatur Sacerdos, quibus plebem Christianam excitat, agendis ut Deo gratiis animum adjungat suum. Hæc iisdem pene verbis, atque illa, qua nunc temporis utimur, prostat in Constit. Ap. (3). Sacerdos enim primo populum salutat Pauli verbis: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & Charitas Dei, & Communicatio Sp. Sancti sit cum omnibus vobis*; cui cum respondissent: *Et cum Spiritu tuo*; rursus Sacerdos: *Sursum*, inquit, *corda*; populus: *habemus ad Dominum*; Ille iterum: *Gratias agamus Domino*; cui omnes: *Dignum & justum est*, respondebant. Ad hæc Auctores antiquissimi ejus meminere Cyrillus, Cyprianus, Anastasius Sinaita, Augustinus, aliique passim (4).

III. Præfatione absoluta ipsam Εὐχαριστίαν,

(1) *Mabill. de Liturg. Gallic. Lib. I. Cap. II.* In his Missalibus Gallicanis occurrit primo loco *Præfatio* . . . Quinto *Contestatio*, alias *Immolatio* Missæ, & ut apud Mozarabes *Inlatio*, nobis modo *Præfatio*.

(2) *Hinc Eucharistiæ ipsius denominationis ratio: nam quod augustum Corporis Christi, & Sanguinis Sacramentum comitabatur semper gratiarum actio, Græcis* Εὐχαριστία Eucharistia dicta; *hinc idem nomen ipsi Sacramento Eucharistico inditum*.

(3) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XII.* Gratia omnipotentis Dei, & charitas Domini nostri Jesu Christi, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Atque omnes una voce respondent: & cum spiritu tuo. Tum Pontifex: Sursum mentem; & omnes: Habemus ad Dominum; Et Pontifex: Gratias agamus Domino; & cuncti: Dignum & justum est. Et Pontifex dicit: Vere dignum & justum est, ante omnia laudare te, verum Deum, ante Creaturas existentem, ex quo omnis paternitas in Cælo & in Terra nominatur.

(4) *Cyrill. Catech. Mystag. V. n. III.* Postea clamat Sacerdos: Sursum corda . . . Vos deinde respondetis: Habemus ad Dominum.

Cyprian. de Orat. Sacerdos ante Orationem præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo: Sursum corda; ut dum respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur, nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere.

Anast. Synaita Serm. de Synaxi: Impleamus mentem, ad cœlum adscendamus, sursum levemus.

ριςίαν, sive Gratiarum actionem exordiebantur, cujus specimen sane quam effusissimum prostat in Constit. Ap. (5) adeo sane, ut ne ad infernam quidem pagellam locum ei dare potuerimus. Summa tamen huc ferme recidit: primo enim divinis Dei attributis recensitis, æternaque Verbi generatione, creaturarum item omnium productione, providentiaque admirabili; tum demum pro his magno verborum apparatu Deo gratulatur Sacerdos, finitque gratulationem hymno Angelico *Sanctus Sanctus* &c. Ceteræ orientalium Eucharistiæ minus illæ quidem prolixæ, at duo hæc itidem sat justo sermone complectuntur, providam scilicet D. O. M. in orbe regendo gubernandoque munificentiam, tum debitam tantorum in genus hominum beneficiorum laudationem, sive gratulationem. Hinc Irenæus, & Justinus M. sicubi ejus Gratulationis mentionem injecerunt, his maxime notis eam distinxere (6). Cyrillus quoque hoc ipsum Præfationum argumentum fuisse indicat *Catech. Mystag. V. n. V. Facimus.* (postquam Sacerdos *Sursum Corda* dixit) *mentionem Cæli, & Terræ & Maris, Solis & Lunæ, & siderum, ac universæ creaturæ tam ratione præditæ, quam irrationalis, tam istius, quæ videtur, quam illius, quæ sub adspectum nostrum non cadit; Angelorum, Archangelorum, Virtutum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Thronorum, & Cherubim faciem operientium, quasi diceremus illud Davidis*: Magnificate Dominum mecum. *Commemoramus etiam illa Cherubim, quæ in Sp. Sancto cernebat Esaias, circumstantia thronum Dei, atque alis quidem duabus faciem velantia, & duabus item pedes, reliquis vero duabus volantia, atque dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Huic descriptioni sic adamussim quadrat Eucharistia in Jacobæa liturgia descripta, ut hanc ipsam Cyrilli ævo recitasse adhuc Hierosolymitanam Ecclesiam merito statuas (7).

IV.

mue animum & corda: Oculos animæ ad Deum extollamus: transeamus cælum: transeamus Angelos: transeamus Cherubim, & ad ipsum Domini thronum accurramus. Ipsos Christi immaculatos pedes apprehendamus: ploremus, & ipsius misericordiam quasi cogamus. Confiteamur in sancto, cælesti & intellectuali ipsius altari. Hæc vobis denuntiat, hæc vos obtestatur Sacerdos, cum ait: sursum habeamue corda.

August. de vera Relig. Cap. III. Quotidie per universum Orbem humanum genus una pene voce respondet, sursum corda se habere ad Dominum.

(5) *Const. Apost. loc. cit.*

(6) *Justin. M. Apol. II.* Precibus finitis, mutuie nos invicem osculie salutamus. Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ & vini, quibue ille acceptis laudem & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii & Spiritus sancti offert, & Eucharistiam, sive gratiarum actionem, pro eo, quod nos donie suis hisce dignatus sit, prolixe exsequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actionem absolvit, populus, qui adest, omnie fausta approbatione acclamat, dicens: Amen.

Irenæus Lib. IV. Cap. XXIV. Offerimne ei, quæ sunt ejus, congruenter communicationem & veritatem prædicantes carnis & spiritus. Quemadmodum enim, qui est a terra panie percipiene invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cælesti: sic & corpora nostra, percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, sed spem resurrectionie habentia. Offerimus autem ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi & ejus & sanctificantes creaturam.

(7) *Liturg. Jacobi Biblioth. Patrum Græco-Lat. Tom. II.* Vere dignum & justum est, decens & debitum, ut te laudemus, te hymnie celebremus, tibi benedicamus, te adoremus, tibi laudem decantemus, tibi gratias agamue, omnis creaturæ visibilis ac invisibilis Opifici, thesauro æternorum bonorum, fonti vitæ & immortalitatis, omnium Deo ac Domino, quem cæli & cæli cælorum laudibus celebrant, ac omnis virtus eorum, Sol & Luna, universusque astrorum chorus, terra, mare, & omnia, quæ in eis sunt; Hierusalem cælestie congregatio, Ecclesia primogenitorum descriptorum in cælis; spiritue justorum & Prophetarum; animæ Martyrum & Apostolorum, Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates ac Virtutes tremendæ, Cherubimque multos oculos habentia, & Seraphim sex alis prædita; quæ duabus quidem alis operiunt facies suas; duabus vero pedes; & reliquis duabue volantia clamant alterum ad alterum

IV. Jam vero qui Orientalium Eucharistias cum Latinorum Præfationibus comparat, næ is facile duplex inter eas discrimen deprehendet. Primo enim quæque Orientis Ecclesia una, eademque semper Gratiarum actione usa est in Missis quibuslibet, ut in eorum Liturgiis videre est. Contra ea Latini totidem fere Præfationes habuere, quot Missas. Hinc in uno Leoniano Sacramentario præscriptas deprehendi Præfationes amplius bis centum & quinquaginta; quin plerumque una Missa plures habet Gratiarum actiones, uti illa S. Laurentii M. cui Præfationes deputantur tres, & vicenæ in *eod. Sacram.* Vide Clarissimum Muratorium *Lit. Vet. Rom. Tom. I.* Compressa demum fuit tanta Præfationum fœcunditas, eæque redactæ ad XI. ann. circiter MCC.

V. Inde vero factum est, ut 2. sicuti multiplex earum numerus erat, vagus etiam, variusque foret sensus. Neque enim ita constanter, ut Græci commemorandis, laudandisque Dei in genus nostrum beneficiis immorantur, sed in diversa pro re nata abeunt. Hinc prout Festorum ferebat varietas, de illorum mysteriis loquuntur, indeque caussam arripiunt Divinam bonitatem commendandi. Proprias item Martyris cujusque Præfationes descriptas videas. Unam speciminis ergo proferam inferne de S. Laurentio, quæ est num. III. (8). Nonnullæ etiam Διδασκαλίαν quandam, *doctrinam* continent aut vitiis arguendis, aut moribus informandis: cujusmodi Præfationes recensitas ibidem invenio quinque & quadraginta: nos unam modo ad calcem dabimus num. III. (9). Illud tamen nemo inficias iverit, Latinas non secus, ac Græcas divinorum beneficiorum quandam quasi laudationem præseferre, licet illæ latius, strictius hæ idem argumentum prosequantur.

VI. Præfationem, seu Gratiarum actionem claudebat semper Hymnus Angelicus, *Trisagion* etiam, aut *Epinicion* dictus. Namque Sacerdos perpetem Angelorum in Deum honorem, laudationemque commemorans, chorisque Angelicis velut immixtus eorundem hymnum recantat: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: Pleni sunt cæli, & terra gloria ejus: Benedictus in secula: Amen.* Hujus Epinicii Gratiarum actionem concludentis meminere Cyrillus *Catech. Mystag. V. num. V.* & Chrysostomus cum multis in locis, tum præsertim *Hom. in Seraphim* (10): e Latinis vero

terum ineffabili voce, perpetuis laudibus, hymnum triumphalem tuæ magnificæ gloriæ clara voce canentia, clamantia, glorificantia, vociferantia ac dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; plenum Cælum & Terra gloria tua; Hosanna in excelsis.

(8) *Sacramentarium Leonianum ap. Murat. p.* 251. Vere dignum. Quoniam tu es omnium sanctorum insuperabilis fortitudo, qui inter mundanæ conversationis adversa, præcipua nos beatorum Martyrum glorificatione solaris, & ad sublimia exempla patientiæ, triumpho nos Sancti Laurentii, quem hodie celebramus, accendis. Per &c.

(9) *Ibidem p.* 292. Vere dignum. Cujus inspiratione beatus Paulas Apostolus Ecclesiæ dicens: *providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*, evidentar ostendit, non esse prorsus, quo malis actibus vel in hac vita possimus abscondi: dum ta non latamus interius, & axtrinsecus humanos quoqua non vitamus aspectus. Nihil ergo juvat eos, qui dadecora sua, notasque non cernunt, & quia ipsi se non vident, æstimant nec ab aliis sa videri. Quum enim idam clamat Apostolus: *quæ secundum faciem sunt, videte*; quemadmodum se celare possa confidunt, qui, sicut scriptum ast, per dulces sermones suos seducentes corda fallacia, & sicut Euangelium ait, Christum in cubile requirentes, palam manifesteque declarant, quid & dictis exsequantur & factis. Nec eos fulcit aut munit, quia, ut se valere contendant, volumina divina percurrunt; quum per hæc ipsi potius improbos mores suos & profiteantur & damnent, nescientes, jam de poena divini venire judicii, quod traduntur in raprobum sensum, ut faciant, quæ non conveniunt. Quapropter hujusmodi declinantes actus, & solo miserantes quo debemus affectu: & ideo &c.

(10) *Chrysost. Hom. in Seraphim Tom. III.* Antea quidem, *inquit*, in cælis tantum hymnus iste canebatur: postquam autem in terram venire dignatus est Dominus, hunc etiam concentum ad nos detulit. Propterea quoque magnus Pontifex, quum juxta sacram hanc mensam con-

vero Patres Conc. Vasensis, qui Hymnum Angelicum dici jubent in Missis quibuslibet seu Matutinis, sive Quadragesimalibus, sive Emortualibus: credo, quod per id temporis hymnum hunc lætitiæ, ac plausus plenum, vereque ἐπινίκιον *triumphalem* lugubribus Missis minus convenire imperite crederent nonnulli (11).

VII. Demum post Angelicum Trisagion aliam Gratiarum actionem præscribunt Apostolicæ Constitutiones (12). Namque acclamante populo *Sanctus Sanctus* &c. rursus ad hæc Sacerdos: *Sanctus enimvero es*, inquit, *& Sanctissimus, altissimus, & superexaltatus in secula. Sanctus quoque unigenitus Filius tuus &c.* ac tum strictim prosequitur ingentia Christi in reparanda hominum salute benefacta, nativitatem, doctrinam, labores, pericula, mortem denique, sepulturam, resurrectionem, atque ad cælos adscensum, proque his beneficiis gratias Deo agit adstantium fidelium nomine. Alterius hujus Gratiarum actionis perspicue meminit etiam Chrysostomus (13), eratque illius duplex, ut videtur σκοπός: 1. ut ita quoddam quasi Fidei Sacramentum, sive symbolum profiterentur Fideles; his quippe temporibus, quibus Auctor Constitutionum scribebat, nondum Symboli recitatio obtinuerat. 2. Sic pressius, ac religiosius illud Servatoris nostri præceptum exequebantur: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Illa enim mortis Dominicæ potissimum memoria recolebatur.

constiterit, ut rationalem cultum exhibeat, & sacrificium offerat incruentum, non simpliciter nos ad hanc faustam acclamationem invitat; sed ubi prius Cherubim nominavit & Seraphim mentionem fecit, tum demum ad hanc tremendam vocem mittendam omnes adhortatur, & dum eorum nos admonet, qui nobiscum choros agitant, mentem nostram a terra subducit, unumquemque nostrum his propemodum verbis excitans: Una cum Seraphim canis, una cum Seraphim sta, cum illis regium thronum circumvola.

(11) *Conc. Vasens. II. Can. III.* Ut in omnibus Missis, seu in matutinis, seu in quadragesimalibus, seu in illis, quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine, quo ad missas publicas dicitur, dici debeat.

(12) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XII. Ibi postquam populus*: Sanctus Sanctus *&c. responderat, tum hac subdit Sacerdos:* Sanctus quoque unigenitus tuus Filius, Dominus noster & Deus, Jesus Christus; qui ad omnia tibi, Deo suo & Patri, tum in varia creatione, tum in providentia convenienti, ministrans, non despexit genus humanum quod peribat: Sed post naturalem legem, post legalem admonitionem, post propheticas reprehensiones, & Angelorum præfecturas; quum legem naturalem una cum lege scripta seu posita violarent, atque e memoria abjicerent diluvium, conflagrationem Sodomiticam, plagas Ægyptiis, & cædes Palæstinis illatas, quumque illico perituri essent omnes, ex sententia tua ipse elegit, creator hominis, homo fieri; legislator sub legibus; Pontifex hostia; Pastor ovis; & te, suum Deum ac Patrem, placavit, atque mundo reconciliavit, cunctosque ab imminente ira liberavit, factus ex virgine, factus in carne, Deus Verbum, dilectus filius, primogenitus omnis creaturæ, & secundum propherias ab ipso de se prædictas ortus ex semine Davidis & Abrahami, ac de tribu Judæ: factus est in utero Virginis, formator omnium qui gignuntur; Incarnatus est, qui carnis expers; qui sine tempore genitus, in tempore natus est: sancte vixit, & legitime docuit; omnem morbum & omnem infirmitatem ab hominibus expulit; signa & prodigia in populo edidit: cibum, potum, somnum cepit is, qui cunctos alimento indigentes nutrit, omneque animal implet beneplacito: manifestavit nomen tuum iis, qui illud ignorabant; fugavit ignorantiam; pietatem exsuscitavit; voluntatem tuam implevit; opus quod ei dedisti consummavit, atque his omnibus feliciter gestis, per proditionem illius, qui malitiæ morbo languebat, comprehensus est manibus flagitiosorum, nempe falso nomine gaudentium Sacerdotum ac Pontificum, & populi iniqui; a quibus multa passus est, & omnem ignominiam sustinuit, permissu tuo; traditus est Pilato Præsidi; judicatus est judex; condemnatus est Salvator; Cruci affixus est, qui pati non potest; mortuus est, natura immortalis; sepultus est, vitæ effector, ut illos, propter quos advenerat, a passione solveret, & a morte eriperet, ut diaboli vincula rumperet, illiusque ex fallacia liberaret homines: resurrexit a mortuis tertia die: quadraginta diebus commoratus cum discipulis, assumtus est in Cælos, & ad dexteram assidet tibi, Deo, ac Patri suo.

(13) *Chrysost. XXIV. in I. ad Corinth.* Nos quoque ad calicem recensentes ineffabilia Dei beneficia, & quæcumque sumus adepti, ita ipsum offerimus, & communicamus gratias agentes, quod ab errore liberarit hominum genus, quod cum longe essemus, prope fecerit: quod cum spem non haberemus, & sine Deo essemus, suos fratres effecerit, & cohæredes. Pro his ego, & quicumque sunt hujusmodi gratias agentes, ita accedimus.

§. II. *De Consecratione*.

VIII. Ubi minor illa gratiarum actio Præfationi adjecta desierat, e vestigio Evangelicæ Cœnæ historiam exordiebantur, verbaque ipsissima recitabant, quibus Christus Panem, Calicemque consecrarat, uti videre est in ead. Liturgia Clementina apud Auctorem *Const. Apost.* (14). Porro ei historiæ, jam inde ab Apostolico ævo, illud Evangelistis indictum accessit (15): eum nempe oculos ad Patrem elevasse, quam *περίςασιν* habet etiam Clementina Liturgia, aliæque passim. Quin in ipsa formula Panis, & Vini nonnihil varietatis deprehendas, quæ tamen integritati verborum Christi non officit. Hinc 1. Forma Consecrationis Panis strictior apud Latinos fuit, latior apud Græcos, atque Orientales. Latini ita consecrabant: *Hoc est enim Corpus meum*, ut est in *Cod. Gelasiano*, aliisque. Contra Græci ita: *Hoc est enim Corpus meum quod pro vobis frangitur, & pro multis datur in remissionem peccatorum: hoc facite in meam commemorationem*, ut est in Basiliana, Coptica, Clementia, aliisque. 2. Latinæ pleræque omnes habent *enim*. At Græcæ non omnes. Habent namque *τὸ γὰρ enim* Coptica, & Græca Marci. Sed carent illa particula Clementina, Jacobæa, Basiliana vulgaris, & Alexandrina, aliæque. Vide eruditissimum Renaudotium *Comm. in Liturg. Copt.* 3. formulæ consecrationis Calicis antiquissimo, atque adeo Apostolico usu adjectæ sunt voces ternæ: *Æterni*, & *Mysterium Fidei*. At his carent non Orientales modo quotquot sunt Liturgiæ, sed & Mozaraba, ubi sic exprimitur: *Hic est calix novi testamenti in meo sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Tum in Missa antiqua Ambrosiana hæc eadem contrahitur sic: *Hic est enim sanguis meus*: uti contra ibidem Panis formula prolatatur: *Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis confringetur*. Hæ autem mutationes, ut diximus, Eucharistiæ veritati officere numquam creditæ sunt, sed meræ additiones Christi verbis publica privatarum Ecclesiarum auctoritate factæ, numquam tamen privato fidelium quorumvis arbitrio permittendæ.

IX. Verbis a Christo prolatis in consecratione Græci omnes precem quandam addidere, qua a Deo Spiritus Sanctus expostulatur, qui sacris donis illabatur, eaque efficiat corpus, & Sanguinem Christi, uti videre est in *Litur. Clement.* (16). Quam orationem passim aut *ἁπλῶς* Ἐπίκλησιν *Invocationem* appellitant, aut etiam Ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος *Invocationem Spiritus S.* Porro de ea loquuntur Patres Græci passim Irenæus, Origenes, Cyrillus uterque, Nyssenus, Basilius, aliique (17). Sed neque Occiden-

(14) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XII.* In qua enim nocte tradebatur, Pane sanctis, & immaculatis manibus suis accepto, & elevatis oculis ad te, Deum suum, ac Patrem, fregit, & dedit discipulis, dicens: Hoc est mysterium novi Testamenti: accipite ex eo, manducate: *Hoc est Corpus meum, quod pro multis frangitur in remissionem peccatorum*. Similiter Calicem miscuit ex vino, & aqua, sanctificavit, ac dedit iisdem, dicens, bibite ex eo omnes: *Hic est Sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum:* Hoc facite in meam Commemorationem. Quoticicunque enim manducabitis panem hunc, & bibetis hunc calicem, mortem meam annuntiabitis, donec veniam.

(15) *Sed & in ipsis Evangeliis sæpe occurrit mos Christo non infrequens, ut Patri gratias acturus oculos cælos versus sustulerit, quod in postrema illa cœna factitasse itidem Christum, dubitandum non est.*

(16) *Constit. Ap. ibid.* Poscimus te ut super hæc dona in conspectu tuo proposita placare respicias, tu, qui nullius indiges, Deus, & beneplaceas in eis ad honorem Christi tui, atque supra hoc sacrificium mittas sanctum tuum Spiritum, testem passionum Domini Jesu, ut exhibeat panem hunc Corpus Christi tui, & Calicem hunc sanguinem Christi tui, quo participes illius &c.

(17) *Iren. Lib. IV. Cap. XXXIV.* Qui est e terra panis percipiens *Invocationem* Dei *τὴν ἐπίκλησιν τοῦ θεοῦ*, jam non communis panis est, sed Eucharistia.

Orig. in Matth. XV. Tom. II. Sanctificatur per verbum Dei, perque obsecrationem.

Cyrill. Hierosf. Catech. Myst. III. num. III. post *Invocationem* Spiritus sancti, non est panis communis, sed Corpus Christi.

Addas Basil. de Spir. Sanct. Cap. XXVII. Nyssen. Orat. Catech. Cap. XXXVII. aliosque passim.

cidentalibus omnibus plane eam inauditam fuisse, conjicio ex Optato Milev. Lib. VI. *Quid est*, inquit, *tam sacrilegum, quam altaria (in quibus & vos aliquando obtulistis) Dei frangere, radere, removere, in quibus vota populi, & membra Christi portata sunt; quo Deus Omnipotens invocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus sanctus?* Addas etiam Augustinum (18) qui *corpus Christi mystica prece* consecrari ait, nisi mavis id de omnibus precibus accipere, quæ in Canone proferuntur. At extra omne dubium ponito hanc ipsam Ε'πίκλησιν græcæ haud absimilem occurrere in Liturgiis Mozaraba, & Gallicana (19).

X. Quamvis vero universa Græcia, atque oriens, tum occidentalium nonnullæ Ecclesiæ Spiritum S. post consecrationem invocarint, qui panis, vinique elementa transmutaret, cave tamen inde arguas veteres Patres credidisse per Ε'πίκλησιν *Invocationem* fieri Transubstantiationem. Neque enim ii adeo dementes habendi sunt, ut putarint tanti Sacramenti mysterium humanis potius verbis confici, quam ipsiusmet Christi verbis. Tum clarissima sunt Patrum omnium loca Chrysostomi præsertim, atque Justini Martyris (20), qui unis Christi verbis universam vim tribuunt tantum Sacramentum operandi (21). De qua re vide Theologos.

XI. Verba Consecrationis, non secus ac

(18) *August. de Trinit. Lib. III. Cap. IV.* Corpus Christi dicimus illud, quod ex frugibus terræ acceptum, & mystica prece consecratum rite sumimus ad spiritualem salutem, in memoriam Dominicæ pro nobis passionis.

(19) *Liturg. Mozaraba ad Dominicam II. post octavam Epiphaniæ.* Quæsumus ut oblationem hanc Spiritus tui permixtione sanctifices, & Corpus, ac Sanguinem Domini nostri Jesu Christi plena transformatione conformes: *Eadem invocatio sæpe alibi occurrit.*

(20) *Chrysostom. Homil. XXX. De proditione Judæ:* Non homo est, qui imposita mensæ dona Domini, Corpus Christi facit, & sanguinem: Sed ille, qui Crucifixus pro nobis est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia: *Hoc est*, ait, *Corpus meum*. Hoc vero proposita consecrantur. Et sicut illa vox, quam dixit; crescite, & multiplicamini, & replete terram semel quidem dicta est: sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura: ita & vox illa semel quidem dicta est, sed per omnes mensas Ecclesiæ usque ad hodiernum diem, & usque ad ejus adventum præstat sacrificio firmitatem. *Eadem sæpius repetit idem doctor. uti Homil. II. in II. Epist. ad Timoth. & Homil. LXXXIII. in Matth.*

Justini M. Apol. II. Ei, qui fratribus præest, offertur panis, & poculum aquæ, & vini, quibus ille acceptis laudem, & gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii, ac Spiritus S. offert, & Eucharistiam, sive gratiarum actionem prolixe exequitur... Eam (*Eucharistiam*) in qua per *precem verbi* ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, incarnati illius Jesu Carnem, & Sanguinem esse edocti sumus.

(21) *At enim qui tandem illam Græcorum* Ε'πίκλησιν Invocationem *interpretabimur, si consecrandi vi caruit? Sunt, qui dicunt, Spiritum Sanctum adprecatum iri ut Sanctificatorem non Eucharistiæ jam pridem verbis Christi confectæ, sed fidelium, quo digni mundique reddantur ei sumendæ, quod ipsimet Græci testati sunt in Conc. Florentino.* Vide Bonam Lib. II. Cap. XIII. §. IV. *Contra rectius alii opinati sunt fieri id per quandam quasi temporis posticipationem. Rem explicemus. Incruenti ejus sacrificii consecrationem preces etiam Ecclesiasticæ cum præcedunt, tum excipiunt, in quibus ab Ecclesia sæpe vel Panis, quamvis nondum transmutatus, ceu mutatus consideratur, vel contra idem, licet consecratus pridem, velut non sacratus habetur. Sic in vulgata latinorum Missa, ante Consecrationem offerre dicitur Sacerdos* Hostiam immaculatam, Calicem sanctum: *sic contra in Græcorum Liturgiis Spiritus Sanctus expostulatur, qui dona sanctificet, efficiatque Corpus, & Sanguinem Christi, quamvis jam antea effectum id fuerat. Omnia enim ad idem temporis momentum referenda sunt, quo fit mirabilis illa conversio. Una est enim consecrationis actio, punctum temporis unum; sed non unæ preces Ecclesiæ, quibus transmutatio petitur, sed plures, sibique invicem succedentes, quæ tamen κατ' ἐπίνοιαν conjungendæ sunt.* Vide Cl. Carolum Bovium Ep. Ollunen. Scholiis in Const. Ap. Faustum Nainorum in Evoplia. Joseph. Assem. Bibl. Orient. Tom. II. p. 201. & Renaudot. Tom. II. p. 250. *Quod vero hic observatum a nobis est, in aliis etiam Sacramentis juxta Ecclesiasticam praxim videri posset. In Sacramento namque Baptismatis quamvis jam Neophytus per legitimam formulam baptizatus fuerit, Deus tamen postulatur, ut illi, qui baptismum susceperat, gratiam Spiritus Sancti concedat. Neque id visere est in Græcis solummodo, Syris, atque Copticis Ritualibus, sed etiam in Latinis antiquioribus. Atqui nusquam a quopiam dubitatum umquam fuit, Neophytum, simul ac sancta conspersus aqua fuit, remissionem peccatorum, gra-*

ac reliquæ preces, alta ſemper voce recitata inter Græcos, uti colligitur ex Dionyſio Alexandrino *ap. Euſebium Lib. VII. Cap. IX. Qui gratiarum actionem*, inquit, *frequenter audierit, qui cum ceteris reſponderit* Amen, *qui ad ſacram menſam adſtiterit &c.* Omnes etiam Græcæ Liturgiæ clare id innuunt, quarum pleræque hanc reſpondentis populi vocem ſingulis quibuſque conſecrationis verbis interſerunt *Amen*, aut Πιςεύομεν *Credimus*, aut aliud huic ſimile. Extſtat etiam Juſtiniani lex (22), qua elata verborum conſecrationis pronunciatio præcipitur. Ceterum de Occidentalibus ſecus judicandum eſt, quos alii preſſa, humilique voce, alii elata Canonis verba recitaſſe opinantur. Nos id pro certo damus Tertulliani ævo, atque Ambroſii ſic pronuntiatam fuiſſe conſecrationis formam, ab adſtantibus ut audiri poſſet, reſponderique viciſſim *Amen*, uti ex eorumdem Patrum teſtimoniis eruitur (23).

XII. Denique ubi peracta fuerat ſanctæ Euchariſtiæ conſecratio, ut ne quid tanto myſterio decoris, reverentiæque deeſſet, eam linteolo obtegebant undequaque, quod Calicem ſanguinis item, ac Corpus velabat. Hinc Greg. Turon. Lib. II. de Mirac. S. Martini: *Dum ſancta ſolemnia agerentur*, inquit, *oblatis ſuper altare ſacris muneribus, myſterioque corporis, & ſanguinis palla ex more cooperto &c.* Extat etiam in *Liturg. Gallicana apud Mabill.* oratio conſecrando linteamini Euchariſtico præſcripta (24). Quin, ut ea linteamina decora eſſent, curatum maxime ab antiquis fuit. Sic S. Nicetius Epiſcopus Lugdunenſis, ut eſt apud eumdem *Greg. Turon. de Vitis PP. Cap. VIII. n.* 11. rejecit Sarmaticum quoddam operimentum, quod tenue eſſet, neque ſatis tegendæ Euchariſtiæ idoneum (25).

§. III. *De Oratione Epiſcopi poſt* Ἐπίκλησιν Invocationem, *ac de Diaconi* Προσφώνησι *ſeu* Precum Indictione.

XIII. Poſt conſecrationem, atque invocationem Spiritus Sancti ſolus longiuſculam orationem in Liturgia Clementina Sacerdos orditur, ad cujus finem populus reſpondet *Amen*, quam inferne deſcriptam legas (26). Cujus quidem precis partes ſingulæ cum quadrent ad amuſſim ceteris

tiamque Spiritus Sancti accepiſſe. Ergo non immerito ſapientibus viris reprehenſione digni viſi ſunt nonnulli e ſuperioribus Theologis, qui Græcos tantopere exagitarunt, qui eam Ἐπίκλησιν Invocationem *in Ritualibus ſuis retinent. Namque illa & a priſcis Patribus præſcripta fuit, neque catholico ſenſui penitus refragatur. Sed de his plura dabimus in Sacram. Euchariſtiæ.*

(22) *Juſtinian. Novell. CXXXVII. Cap. VI.* Jubemus omnes Epiſcopos, & Presbyteros non in ſecreto, ſed cum ea voce, quæ a fideliſſimo populo exaudiatur, divinam oblationem, & precationem, quæ fit in ſancto baptiſmate, facere, ut inde audientium animi in majorem devotionem, & Dei laudationem, & benedictionem efferantur.

(23) *Tertull. Lib. de Spectac. Cap. XXV.* Eo ore, quo *Amen* in ſanctum protuleris, gladiatori *&c.*

Ambroſ. de Initiandis. Ante conſecrationem aliud dicitur: Poſt conſecrationem Sanguis nuncupatur; Et tu dicis *Amen*, hoc eſt, verum eſt.

(24) *Mabillon. Liturg. Gallic. Lib. III. Cap. XII. Ubi ad linteaminum* conſecrationem *hæc oratio præſcribitur:* Sanctificare, benedicere, conſecrareque digneris hæc linteamina ad conſecrationem in uſum altaris tui ad tegendum, involvendumque Corpus, & Sanguinem Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti: Qui tecum vivit, & regnat *&c.*

(25) *Gregor. Turon. de vitis PP. Cap. VIII. num. XI. Ubi tradit ab Sancto Nicetio Lugdunenſi rejectum fuiſſe quoddam* Coopertorium Sarmaticum; quia rarum eſt, ac tenue, non ponatur ſuper munera altaris, quia non exinde plene regebatur myſterium Corporis, & Sanguinis Domini.

(26) *Conſtitut. Ap. Lib. VIII. Cap. XII.* Adhuc oramus te, Domine, pro Sancta Eccleſia tua, quæ a finibus ad fines extenditur; quam acquiſiſti pretioſo Sanguine Chriſti tui, ut eam inconcuſſam ac minime fluctuantem conſerves uſque in ſeculi conſummationem: item pro univerſo Epiſcopatu, recte verbum veritatis tractante ac diſtribuente. Adhuc rogamus te pro me nullius pretii homine, qui tibi offero; & pro omni presbyterio, pro Diaconis ac univerſo clero; ut omnes ſapientiam a te edoctos, Spiritu Sancto impleas. Adhuc rogamus te, Domine, pro Rege, & eis, qui in ſublimitate ſunt, & pro cuncto exercitu, ut res noſtræ in pace verſentur: quo totum vitæ noſtræ

teris Patrum testimoniis, nemo inficias ibit easdem quoque preces reliquas Ecclesias post consecrationem adhibuisse. Et sane fere in omnibus orientalium Liturgiis praxis ea visitur, ut Sacerdos post *ἐπίκλησιν Invocationem* generatim pro omnibus precetur, privatamque ipse per se orationem recitet pro universa Ecclesiæ, membrorumque ejus prosperitate, & pace, quod facit hic Episcopus in Constit. Apostolicis.

XIV. Ea autem Episcopi prece finita, idem jubetur Plebem salutare statuta formula: *Pax Dei sit cum omnibus vobis*, responsoque *Amen* vicissim, tum Diaconus ad communes preces fideles excitat per *Προσφώνησιν ἐπὶ τῶν πιστῶν μετὰ τὴν θείαν ἀναφορὰν Indictionem precum pro fidelibus post divinam oblationem*, ut est ea descripta in Constit. Apost. (27). Porro in hac tria notatu digna sunt: 1. illam eodem modo peractam fuisse, quo prior *Προσφώνησις Proclamatio* sub initium Missæ Fidelium, de qua plura dedimus *Cap. I. hujus partis*, Diacono nempe præeunte, plebeque respondente *Amen*; uti argui potest ex postremo ejus precis commate. 2. Illam ipsas preces, atque ipso prorsus ordine continere, quas Episcopus fuderat paulo ante solus, ut ita precibus communibus, quasi junctis omnium viribus Deum facilius permoverent. 3. In ea primo loco sic orare Diaconum: *Adhuc, atque adhuc oremus Deum per Christum ejus pro munere, quod Domino Deo oblatum est, ut Deus, qui bonus est, illud mediante Christo suo recipiat in celeste suum altare ad odorem suavitatis*. Quæ quidem precatio valde affinis ei est, quam e Romano Missali recitamus in Canone, ubi Deum expostulamus, ut jubeat immaculatum Sacrificium *perferri per manus S. Angeli sui in sublime altare suum &c.* Quam etiam formulam minime Irenæum latuisse apparet: inquit enim *Lib. IV. Cap. XXXIV. Est altare in cælis: illuc preces nostræ, & oblationes diriguntur*.

§. IV. *De Precibus in Episcopi* Oratione, *& Diaconi* Proclamatione *contentis, tum quo sensu pro S. Martyribus oblatio offerri in illis dicatur*.

XV. Ordine precandi post consecrationem, ut est in Constit., explicato, ipsius ordinis ratio postulat, ut de singulis precum commatis in binis illis orationibus relatis verba faciamus. Primo igitur pro omnibus Christianis, proque universæ Christianæ Reipublicæ felicitate, & pace depre-

nostræ tempus in quiete & concordia trajicientes, Te per Jesum Christum, spem nostram, gloria afficiamus. Adhuc offerimus tibi pro omnibus Sanctis, qui a seculo placuerunt tibi, Patriarchis, Prophetis, Justis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, Cantoribus, Virginibus, Viduis, Laicis, & omnibus, quorum tu nosti nomina. Adhuc offerimus tibi pro populo hoc: ut eum in laudem Christi tui exhibeas regale Sacerdotium, gentem sanctam: pro iis, qui in virginitate, & castitate vivunt; pro viduis Ecclesiæ, pro iis, qui in nuptiis honestis, ac in progeneratione liberorum degunt; pro infantibus plebis tuæ; uti nostrum neminem rejiciendum habeas. Adhuc poscimus te pro urbe hac, & habitantibus in ea; pro ægrotis; pro dura servitute afflictis, pro exsulibus; pro proscriptis, pro navigantibus, & iter facientibus, ut sis auxiliator, omnium adjutor ac defensor. Adhuc rogamus pro iis, qui foris sunt, ac errant: ut adducas eos ad bonum, & furorem eorum mitiges. Iterum rogamus te pro Ecclesiæ catechumenis, & pro iis, qui ab adversario jactantur, & pro pœnitentiam agentibus fratribus nostris, ut primos quidem perficias in fide, alteros vero mundes a vexatione mali; tertiorum autem pœnitentiam suscipias, condonesque cum iis, tum nobis, quæ delinquimus. Offerimus quoque tibi pro aeris temperatura, & frugum ubertate: ut indesinenter bona a te collocata percipientes, assidue laudemus te, qui das escam omni carni. Etiam rogamus te pro iis, qui ob caussam probabilem absentes sunt, ut, omnes nos in pietate conservatos a te in Christi tui, Dei universæ naturæ sub sensum, & intelligentiam cadentis Regisque nostri Regno congreges, immutabiles, inculpatos, irreprehensos: Quoniam tibi omnis gloria, veneratio, gratiarum actio, honor, adoratio, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, nunc & semper, & in infinita, ac sempiterna secula seculorum. *Atque tum omnis Plebs respondet*: Amen.

(27) *Constitut. Ap. Ibid.* Adhuc atque adhuc oremus Deum per Christum ejus, pro munere, quod Domino Deo oblatum est, ut Deus, qui donum est, illud mediante Christo suo, recipiat in cele-

deprecatur Episcopus (28). Par quippe est, atque æquum, ut qui Christi sanguine redemti sunt Christiani, uno ejusdem merito perpetuo conserventur. Has ipsas autem preces & ceteras Ecclesias in Missæ sacrificio profudisse colligas ex Cyrillo Hierosolym. *Catech. Mystag. V. num. VI. Postquam confectum est*, inquir, *illud spirituale sacrificium*, *& ille cultus incruentus super ipsam propitiationis hostiam*, *obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace*, *pro tranquillitate Mundi* &c. Quin immo ipsos Donatistas similitet ad sacram mensam adprecatos fuisse auctor est Optatus Milevitanus (29).

XVI. Offertur deinde incruenta oblatio pro sanctis Martyribus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis &c. (30); quod indicant etiam antiquissima Tertulliani, atque Cypriani testimonia. Ille *Lib. de Coron. Milit. Cap. III. Oblationes pro defunctis*, inquit, *pro Natalitiis annua die facimus*. Hic vero *Epist. XXXIV. Sacrificia pro iis semper*, *ut meministis offerimus*, *quoties Martyrum passiones*, *& dies anniversaria commemoratione celebramus*. Addas etiam Epiphanium, Cyrill. Hierosolym. (31), atque omnes Liturgias orientalium, atque occidentalium.

XVII. Illud tamen hic quæret aliquis, qua mente, quove consilio pro Martyribus, ceterisque sanctis sacrificia olim, atque adhucdum offerri dicantur: Ego vero in hac quæstione duo observanda esse judico. Primo creditum ab Ecclesia semper fuisse justorum animas corpore, quasi carcere quodam egressas, atque in Dei sinum receptas nullius jam opis indigas esse. Neque enim Patrem unum invenias, qui de hoc dubitatit unquam. Deinde plerumque veteres Patres ita de Martyrum commemoratione in sacrificiis loquutos fuisse, ut pro Sanctis oblationes, & sacrificia, aut quid his simile offerri dicant, pro ceteris mortuis preces fundi. Hinc Cyprianus (32) sæpe pro Martyribus *Sacrificia*, *oblationes*, aut *Memorias* celebrari ait, pro reliquis mortuis *oblationem* aut *deprecationem*.

Ce-

cæleste suum altare ad odorem suavitatis. Pro Ecclesia hac, & populo oremus; pro universo Episcopatu, omni presbyterio, cuncto Christi Diaconio ac ministerio, omni Ecclesiæ cœtu oremus; ut Dominus universos conservet atque custodiat. Pro regibus atque in sublimi potestate constitutis oremus; ut res nostræ pacificæ sint, quo vitam quietam & tranquillam nacti in omni pietate ac morum castitate degamus. Sanctorum Martyrum memores simus; ut digni habeamur participes fieri eorum certaminis. Pro iis, qui in fide requieverunt, oremus. Pro cæli temperatura & frugum maturitate, oremus. Pro recenter baptismo illuminatis oremus, ut confirmentur in fide omnes. Alii ab aliis incitentur. Suscita nos Deus in gratia tua, suscita: nos ipsos Deo per Christum ejus commendemus.

(28) *Constitut. Ap. Lib. VIII. Cap. XII.* Adhuc oramus te Domine, pro Sancta Ecclesia tua, quæ a finibus ad fines extenditur, ut eam inconcussam, ac minime fluctuantem conserves usque in seculi consummationem.

(29) *Optat. Lib. II. p.* 53. Quis dubitet, vos illud legitimum in sacramentorum mysterio præterire non posse... Offerre vos Deo dicitis pro Ecclesia, quæ una est, hoc ipsum mendacii pars est, unam te vocare, de qua feceris duas; Et offerre vos dicitis pro una Ecclesia, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa.

(30) *Constit. Ap. Ibid.* Adhuc offerimus tibi pro omnibus sanctis, qui a seculo placuerunt tibi, Patriarchis, Prophetis, Justis, Apostolis, Martyribus *&c.*

(31) *Epiphan. Hæres. LXXV.* Nam & justorum pariter, & peccatorum mentionem facimus: Peccatorum quidem, ut iis a Domino misericordiam imploremus; Justorum autem & Patrum, ac Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum *&c.*

Cyrill. Catech. Mystag. num. VI. Mentionem facimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt; primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus propter illorum orationes, & deprecationes, nostras suscipiat preces.

(32) *Cyprian. Epist. XXXVII.* Celebrentur hic a nobis oblationes, & sacrificia ob commemorationes eorum, *Martyrum scilicet*. *Idem Epist. XXXIV.* Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies anniversaria commemoratione celebramus. *Idem Epist. LXVI.* Non est quod pro dormitione ejus apud nos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur.

Ceterum si quando iidem Patres, (quod ipsum rarum omnino est), quippe qui securius loquebantur, nondum obortis tot monstrosis recentium opinionibus, si quando, inquam, pro Sanctis preces meminere, diverso id sensu eos dixisse, facile ex ipsomet contextu intelliges. Observa id quæso in appingendis subinde huic §. Patrum veterum testimoniis.

XVIII. Hinc statuas σκοπὸν *scopum* Ecclesiæ propositum in oblationibus pro sanctis Martyribus hunc generatim fuisse, ut ex eorum laudabili commemoratione, cum justa in bonorum omnium datorem Deum gloria, tum in Ecclesiam potens subsidium ex eorumdem intercessione redundaret. Hinc 1. Alii ex Patribus commemorationes Martyrum esse dicunt Gratiarum actiones, uti Augustinus (33), cujus est notum illud *oblationes pro valde bonis* i. e. Sanctis *Gratiarum actiones esse*. 2. Alii ob id Martyrum memorias in Sacrificiis fieri volunt, ut per eorum preces, nostras quoque susciperet Deus, uti sentit Cyrillus (34). 3. Alii, ut ex eorum exemplis nos quoque incitaremur ad similes de Mundo, atque Diabolo triumphos; quod docent Origenes, & Chrysostomus sæpius (35). 4. Denique quidam arbitrati sunt, propterea etiam pro Sanctis oratum in Liturgiis fuisse, ut id unius Christi privilegium esse ostenderetur, pro quo uno nullæ indicerentur preces, quod sensisse videtur Epiphanius (36). Jam vero ex variis his Patrum sententiis, illud modo certum est, eos Martyrum memorias ab ceterorum defunctorum commemorationibus semper discriminasse, neque invicem confudisse, quod contendit Binghamus.

XIX. Verum omittendum non est, reipsa aliquando in latinis præsertim Liturgiis preces inveniri, quibus Sanctis Episcopis in Domino mortuis æterna requies expostulatur. Sic in Missa S. Leonis Magni legitur hæc oratio: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxare delicta &c.* Quam orationem licet correctam aliter videas in recusis postea Missalibus, extat tamen adhuc Secreta, in qua eidem Leoni *beata retributio* postulatur (37). At hæc difficultas evanescit statim, ac variam circa Sanctorum festa disciplinam inspexeris. Antiquitus namque festa unis Martyribus secundum Christum tributa sunt, itemque solemnis eorumdem commemoratio in Liturgiis. Ceterorum vero, si qui sanctitate insignes decessissent Episcopi, memoria cum precibus recolebatur, utcumque hi sanctitatis fama inclaruissent, ac cælo jam potiti forent. Factum vero deinde est, ut quum Confessores Sanctis accensiti publico etiam Liturgiarum cultu exornarentur, factum, inquam, est, ut antiquæ deprecatoriæ formulæ remanserint, per quas pacem illis, æternamque requietem precabantur. Hæc Bona *Lib. III. Cap. XIV. §. IV.*

XX. Cui illustrando non pigeat & nostram

(33) *Augustin. Enchirid. ad Laurent. Cap. CX.* Cum ergo Sacrificia sive altaris sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt: Pro non valde malis propitiationes sunt: Pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt: quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio.

(34) *Vide supra not. num. (31).*

(35) *Origen. Lib. IX. in Rom. XII.* Meminisse Sanctorum, sive in collectis solemnibus, sive pro eo, ut ex recordatione eorum proficiamus, aptum, atque conveniens videtur. *Item Chrysostom. pluribus in locis.*

(36) *Epiphan. Hæres. LXXV.* Nam & Justorum pariter, & peccatorum memoriam facimus: Peccatorum quidem, ut iis a Domino misericordiam imploremus: Justorum autem, & Patrum, ac Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Episcoporum, Anachoretarum, ac Cœtus illius universi, ut Dominum Jesum Christum singulari quodam honore prosequentes, ab ceterorum hominum ordine segregemus, debitumque cultum illius majestati tribuamus *&c.*

(37) *Missal. Roman. ad diem XII. Aprilis:* Ut per hæc piæ placationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet.

ſtram hic ſymbolam conſerre. Priſcis namque, Romæque præſertim mos fuit, ut decedente Epiſcopo ſanctimonia inclito, ad ejus obitus diem ſolemnis, atque deprecatoria commemoratio fieret in Miſſæ ſacrificio. Sic in Sacramentario Leoniano ante *V. Id. Novemb.* hæc adnotantur: *Depoſitio Silveſtri:* tum binæ orationes leguntur (38), quibus fideles illi pacem ſempiternam precantur; quod quidem officioſum commemorationis annuæ munus non tam illius indigentiæ argumentum erat, quam Romanorum fidelium ſollicitudinis, atque pietatis indicium. Hinc vero lux mira offunditur Leonianæ orationi, de qua diſputamus. Fortaſſis ea conſcripta tum fuit, cum recens S. Leonis defuncti depoſitio recolebatur, moxque in ejus quoque Miſſa retenta eſt eo tempore, quo jam Sanctis quoque Confeſſoribus ſingulares Liturgiæ tributæ ſunt.

§. V. *De reliquis precibus pro mortuis, proque ſingulis viventibus Eccleſiæ membris.*

XXI. Oblationes pro Martyribus excipiunt 1. preces pro mortuis. Ac fuit quidem ſemper hæc praxis jam uſque ab Apoſtolicis ducta temporibus, mortuorum præſertim mentionem facere in ſancto Euchariſtiæ Sacrificio. De ea enim, præter Auctorem Clementinæ Liturgiæ, loquuntur Patres antiquiores, Arnobius (39), Cyprianus, atque Tertullianus. Atque hic præſertim cum alibi, tum in *Lib. de Monog.* teſtatur (40) unamquamque uxorem pro mariti *anima orare, refrigeriumque ei poſtulare*, & in *prima Reſurrectione conſortium*, proque eo *offerre annuis diebus dormitionis ſuæ*. Refrigerium etiam mortuis per Euchariſticas preces impertitum meminit Pſeudo-Origenes in Jobum (41). Cyrillus vero Hieroſolym. diſerte teſtatur ſui temporis Chriſtianos *maximum crediḍiſſe animarum juvamen, pro quibus offertur precatio*, interea dum divina Deo Hoſtia immolatur (42). Neque omittendus Chryſoſtomus, qui ait Epiſcopum, proindeque Presbyterum quemvis deprecatorem eſſe apud Deum cum viventium hominum, tum mortuorum (43). Addas his Epiphanium (44), omneſque Orientalium, atque Occidentalium Liturgias.

XXII. Sequuntur 2. preces pro Epiſco-

(38) *Sacrament. Leonian. Ap. Murat. p. 287.* Depoſitio Sancti Silveſtri: Deus, conſtantium te portio defunctorum, preces noſtras, quas in ſamuli tui Silveſtri Epiſcopi depoſitione deferimus, propitiatus aſſume, ut qui nomini tuo miniſterium fidele dependit, perpetua ſanctorum tuorum ſocietate lætetur. Per &c.

Hanc igitur oblationem, quæſumus Domine, placatus intende, quam in ſancti Silveſtri Confeſſoris, & Epiſcopi tui commemoratione ſuppliciter immolamus, ut & nobis hujus pietatis affectus proficiat, & illum beatitudo ſempiterna glorificet. Per &c.

(39) *Arnob. Lib. IV.* Cur inaniter conventicula noſtra dirui meruerunt? In quibus ſummus oratur Deus, pax cunctis & venia poſtulatur Magiſtratibus, Exercitibus, Regibus, Familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum vinctione.

(40) *Tertul. de Monog. Cap. X.* Pro anima ejus orat: & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in prima Reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus.

(41) *Pſeudo-Orig. in Job Lib. III. Tom. I.* Et memorias Sanctorum facimus, & parentum noſtrorum, vel amicorum in fide morientium devote memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quam etiam nobis piam conſummationem in fide poſtulantes.

(42) *Cyrill. Cat. Myſtag. V. num. VI.* Mentionem facimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum &c. Ut Deus propter illorum orationes, & deprecationes, noſtras ſuſcipiat preces. Deinde pro defunctis ſanctis Patribus, & Epiſcopis. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt: maximum eſſe credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio, dum ſanctum illud, & tremendum myſterium in altari poſitum eſt.

(43) *Chryſoſt. de Sacerdot. Lib. VI. Cap. IV.* Epiſcopus pro univerſo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorque eſt apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modo, ſed etiam mortuorum peccatis propitius fiat.

(44) *Vide ſupra not.* (36).

ſcopatu univerſo, tum pro ipſo celebrante, ceteroque Presbyterio (45). In omnibus fere Orientalibus Liturgiis Sacerdos ſpeciatim pro ſe, ut hic in Clementina Liturgia, adprecatur; quod & in vetuſtis etiam Occidentalium Liturgiis obſerves, in Miſſa præſertim ab Flacco Illyrico edita ad calcem *III. Tom. Card. Bonæ Edit. Romanæ*. Precum vero pro univerſo Epiſcopatu meminit etiam Epiphanius. De eo enim quum graviter queſtus eſſet Joannes Hieroſolymitanus, quod delatum ſibi fuerat, illum in precibus ad altare Deum pro ſe rogare, *ut recte de fide ſentiret*, quaſi unquam in ea titubaſſet, Epiphanius in Epiſt. (46) ad eum data calumniam quidem propulſat, ſed preces, quo par erat ritu, pro eo conceptas non inficiatur. Meminit quoque Chryſoſtomus (47), qui ait ad altare ſuper incruentam hoſtiam ſe rogare pro Epiſcopis in univerſum, Presbyteris, Diaconis &c.

XXIII. Rogatur deinde 3. pro Imperatoribus, populorumque Rectoribus, nec non pro Exercitibus, quorum virtuti, fideique res publica commiſſa eſt (48). Quod præſtitere Majores noſtri Gentilibus quoque Principibus, nedum Chriſtianis. Hinc Arnobius æque, ac Tertullianus (49) teſtantur preces fuſas pro Regibus, atque Imperatoribus, quorum tum jugo preſſa gemebat Eccleſia. Tanti adeo habita ſemper in ſummos Magiſtratus devotio, atque obedientia. Multo vero id magis fecere, ubi Conſtantinus Magnus, ejuſque Filii Chriſto nomen dedere. Hinc Euſebius Cæſareenſis (50) auctor eſt, in templo Hieroſolymitano per Coſtantinum Magnum conſtructo preces ab Epiſcopis indeſinenter ad altare profuſas fuiſſe pro Imperatoris, filiorum-

(45) *Conſtit. Ap. Lib. VIII. Cap. XII.* Item pro univerſo Epiſcopatu, recte verbum veritatis tractante, ac diſtribuente. Adhuc rogamus te pro me nullius pretii homine, qui tibi offero, pro Diaconis, ac univerſo Clero, ut omnes ſapientiam a te edoctos Spiritu S. impleas.

(46) *Epiphan. Epiſt. ad Joan. Hieroſ.* Dixerunt, quod in oratione, quando offerimus Sacrificia Deo, ſoleamus pro te dicere: *Domine præſta Joanni, ut recte credat*. Noli nos intantum putare ruſticos, ut hoc tam aperte dicere potuerimus. Quamquam hoc in corde meo ſemper orem, tamen ut ſimpliciter fatear, nunquam in alienas aures protuli, ne te viderer parvi pendere, dilectiſſime. Quando autem complemus orationem ſecundum ritum Myſteriorum, & pro omnibus, & pro te quoque dicimus: *Cuſtodi illum, qui prædicat veritatem*: vel certe ita: *Tu præſta Domine, & cuſtodi, ut ille verbum prædicet veritatis*, ſicut occaſio ſermonis ſe retulerit, & habuerit oratio conſequentiam.

(47) *Chryſoſtom. Hom. II. in 2. Cor.* Nonnulli adeo amentes, atque ignavi, ac diſſoluti ſunt, ut non modo in tempore Catechumenorum, ſed etiam Fidelium tempore ſtent, atque confabulentur. Hinc omnia ſubverſa ſunt, hinc omnia perierunt; quia, quo tempore maxime curandum eſt, ut Deum nobis reconciliemus, hoc ipſo ita diſcedimus, ut ejus iram in nos concitemus. Siquidem coram fidelibus pro Epiſcopis, pro Presbyteris, pro Regibus, pro Imperatoribus, pro terra, & mari, pro aeris temperie, denique pro univerſo terrarum orbe, benignum Dominum adire jubemur. Quamobrem, cum nos, qui tanta fiducia præditi eſſe debemus, ut etiam pro aliis oremus, ne pro nobis quidem attento, ac vigilanti animo precemur, quinam excuſationis, quinam veniæ nobis locus eſſe poſſit?

(48) *Conſtit. Apoſt. Lib. VIII. Cap. XII.* Adhuc rogamus, Domine, pro Rege, & iis, qui in ſublimitate ſunt, & pro cuncto exercitu; ut res noſtræ in pace verſentur: Quo totum vitæ noſtræ tempus in quiete, & concordia trajicientes, te per Jeſum Chriſtum, ſpem noſtram, gloria adificiamus.

(49) *Tertull. Apologet. Cap. XXIX.* Coimus in cœtum, & congregationem, ut ad Deum quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro miniſtris, & Poteſtatibus, pro ſtatu ſeculi, pro rerum quiete, pro mora finis. *Et Cap. XXX.* Precantes ſumus ſemper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitum fortem, Senatum fidelem, populum probum, Orbem quietum, quæcumque hominis, & Cæſaris vota ſunt.

(50) *Euſeb. de Vit. Conſtant. Lib. IV. Cap. XLV.* Qui vero ad hæc adſpirare poterant, incruentis ſacrificiis, & myſticis immolationibus θυσίαις ἀναίμοις ϗ μυστικαῖς ἱερουργίαις Deum placabant pro pace communi, pro Eccleſia Dei, pro Imperatore, tot beneficiorum auctore, proque pientiſſimis liberis, preces Deo ſuppliciter offerentes.

rumque ejus salute, atque incolumitate. Idem fatentur Cyrillus (51), atque Chrysostomus, quorum hic postremus innuere videtur cum publice in Ecclesiis, tum vero etiam privatim veteres pro Imperatoribus adprecatos fuisse (52).

XXIV. 4. Pro Virginibus, Viduis castis, Infantibus, quique in nuptiis honestis liberis dant operam, proque urbe, inque ea habitantibus (53). Sunt vero affines his petitiones in plerisque Liturgiis, eaque præsertim, quæ Chrysostomi nomine audit (54). 5. Pro ægrotis, quavisque alia necessitate afflictatis (55). 6. Pro inimicis, & persequutoribus (56), quod confirmant etiam quampluria Tertulliani, Augustini, atque Cælestini Papæ testimonia (57). Immo & pro his quoque, qui peccatum peccarent in ipsum Spiritum Sanctum, quod docet Augustinus (58). Neque enim creditum ab Ecclesia umquam fuit esse aliquod peccatum, quod nullum umquam aboleret piaculum.

XXV. 7. Pro Catechumenis, Energumenis, & Pœnitentibus (59): quas quidem preces ter repetitas vides in eadem Clementina Liturgia. Primo quidem in Missa Catechumenorum: secundo ad initium Missæ Fidelium per Diaconi Προσφώνησιν: tertio hic post consecrationem. De his autem obsecrationibus pro Catechumenis loquuntur etiam Augustinus, Cælestinus, & Gennadius (60). 8. Pro aeris temperatura, frugumque ubertate (61): quod Chrysostomus quoque, longeque prius Cyprianus literis prodidere (62). 9. Denique pro absentibus justa de caussa Christianis

(51) *Cyrill. Catech. Mystag. V. num. VI.* Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus &c.

(52) *Chrysost. Hom. XX. ad Pop. Antioch.* Omnes amatores constituere, & persuadere, ut in regnum tuum benevole se habeant, ut non tantum *communes*, verum & *privatas* pro tuo preces imperio faciant &c.

(53) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XII.* Adhuc offerimus tibi .... pro iis, qui in virginitate, & castitate vivunt, pro viduis Ecclesiæ, pro iis, qui in nuptiis honestis, ac progeneratione liberorum degunt.

(54) *Chrysost. Liturg. Tom. III.* Memento, Domine, ovilis nostri hujus, in quo habitamus, & totius Civitatis, & in fide habitantium in ipsis.

(55) *Constit. Ibid.* Adhuc poscimus Te pro urbe hac, proque habitantibus in ea, pro ægrotis, pro dura servitute afflictis, pro exulibus, & proscriptis *&c.*

(56) *Ibid.* Adhuc rogamus Te pro iis, qui oderunt nos, & propter nomen tuum nos persequuntur, pro iis, qui foris sunt, ac errant, ut adducas ad bonum, & furorem eorum mitiges.

(57) *Tertull. Apolog. Cap. XXXI.* Qui putas nihil nos de salute Cæsarum curare, inspice Dei voces, literas nostras .... Scito ex illis præceptum esse nobis ad redundantiam benignitatis, etiam pro inimicis Deum orare, & persequutoribus nostris bona precari.

August. Epist. CVII. ad Vital. Audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem. *Vide etiam Epist. Cælestini ad Gallos Cap. II.*

(58) *August. Retract. Lib. I. Cap. XIX.* De quocumque *Pessimo* in hac vita constituto non est utique desperandum, nec pro illo impudenter oratur, de quo non desperatur.

(59) *Constitut. Apost. Ibid.* Iterum rogamus Te pro Ecclesiæ Catechumenis, & pro iis, qui ab Diabolo jactantur & pro pœnitentiam agentibus fratribus nostris: ut primos quidem perficias in fide, alteros vero mundes a vexatione mali, tertiorum autem pœnitentiam suscipias *&c.*

(60) *August. ad Vital. Epist. CVII.* Audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare .... & pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret.

Cælestinus Epist. I. ad Gallos Cap. II. Postulant, & precantur, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique Catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis, cælestis misericordiæ aula referetur.

Gennad. de Eccles. Dogmat. Cap. XXX.

(61) *Constitut. Apost. Ibid.* Adhuc offerimus Tibi pro aeris temperatura, & frugum ubertate, ut indesinenter bona a te collata percipientes, assidue laudemus Te, qui das escam omni carni.

(62) *Chrysost. Hom. II. in II. ad Corinth.* Pro terra, & mari, pro aeris temperie ... benignum Dominum adire jubemur.

Cy-

nis (63) . Quum enim omnes unius corporis membra simus , par æquumque est , ut peregrinantes quoque in nostrarum precum consortium veniant , modo ne vagi , extorresque huc illuc circumcurrent latronum ritu .

XXVI. Universas has petitiones claudebat Doxologia Trinitatis (64) , Patris scilicet , Filii , & Spiritus Sancti laudatio , adjectis illis etiam verbis *εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων in secula seculorum* : De hac Doxologia , velut quæ Eucharisticas preces claudebat , verba facit Tertullianus *Lib. de Spect. Cap. XXV.* *Εἰς αἰῶνας*, inquit , *alii omnino dicere , quam Deo Christo ?* Ac diserte omnino Irenæus affirmat Valentinianos inde Æonum suorum argumentum sumsisse , quod audiverant Catholicos *ἐπὶ τῆς εὐχαριστίας post Eucharisticam celebrationem solitos dicere εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων in secula seculorum* (65) . Doxologiæ una voce adclamabat populus *Amen* : quod innuisse videtur Paulus Apostolus *I. ad Corinth. Cap. XIV. 16. Si benedixeris* , inquit , *Spiritu* , i. e. Eucharistiam confeceris in Spiritu , non elata voce : *is , qui implet locum idiotæ , quomodo dicturus est* Amen *super tuam benedictionem ?* Justinus etiam Martyr (66) testatur populum fausta voce ad Eucharisticas preces *Amen* acclamasse . Ceterum universam hanc claudendæ Eucharistiæ rationem mire explicat Chrysostomus , uti & citatum supra Pauli locum (67) .

§. VI. *De Diptychis Mortuorum* .

XXVII. In Constit. Apostolicis nulla Diptychorum mentio occurrit : ex quo conjicias Diptychorum usum ejus Auctoris Ecclesiam non habuisse . Verumtamen quæ preces fundi per Diptycha consueverunt in aliis Ecclesiis , easdem complectitur Clementina Liturgia , nulla quamvis præeunte nominum recitatione . Jam vero de Diptychorum profano usu ad ravim usque , quod ajunt , inclamatum ab eruditis hactenus fuit : dictumque omnibus eorum etymon esse ab τοῦ πτύσσειν *plicare , circumvolvere* , inde *πτύχα plicaturæ* , *δίπτυχα* , *τρίπτυχα* , *πολύπτυχα* , prout bina , aut terna , aut etiam multiplex erat membranarum , chartarumve plicatio . Ergo *Δίπτυχα Diptycha* idem sunt , ac binæ membranæ in teretem formam sinuatæ . Dictum quoque est egregii ea operis fuisse aurati quandoque , aut eburnei : tum in iis Consulum nomina inscribi solita , donoque mitti Apophretorum vice : ad hæc & amantium carmina inscribi illis , non secus ac in Codicillis , quorum meminit Catullus . Vide Rosveidem in *Onomast. ad Vit. Patrum* , & Mazochium nostrum *de Dipt. Quirin. & Brix.*

XXVIII. At ad rem Ecclesiasticam quod attinet , Diptycha erant membranacea plerumque , aut chartacea (68) , ubi Christianorum nomina inscribebantur , pro quibus oratum volebant ad altare in Mis-

Cyprian. ad Demetr. p. 133. Pro arcendis hostibus , & imbribus impetrandis , & vel auferendis , vel temperandis adversis , rogamus semper , & preces fundimus .

(63) *Constitut. Ap. Ibid.* Etiam rogamus Te pro iis , qui ob probabilem caussam absentes sunt .

(64) *Constitut. Ap. Ibid.* Quoniam Tibi omnis gloria , veneratio , gratiarum actio , honor , adoratio Patri , & Filio , & Spiritui Sancto , nunc & semper , & in infinita , ac sempiterna secula seculorum . *Atque omnis plebs respondet* . Amen .

(65) *Irenæus Lib. I. Cap. I.* Sed & nos ipsos denique in Gratiarum actione dicentes *αἰῶνας τῶν αἰώνων in secula seculorum* illos Æonas significare .

(66) *Justinus M. Apol. II. p. 97.* Ubi preces , atque Gratiarum actionem καὶ τὴν εὐχαριστίαν finierit , universus populus fausta acclamatione applaudit dicens : *Amen* .

(67) *Chrysost. Hom. XXXV. in I. ad Corinth. ad v. 16.* Is qui implet locum Idiotæ &c. Idiotam dicit laicum , & ostendit eum non parvum damnum accipere , quando non potest dicere : *Amen* . Hoc est autem , quod dicit : *Si barbarorum voce benedicas* nesciens quid dicas , neque valens interpretari , non potest laicus respondere : *Amen* . Non audiens enim illud : *in secula seculorum* , quod est finis , non dicit : *Amen* .

(68) *Invenio tamen & eburnea quoque Diptycha apud Ecclesiasticos fuisse : apparet id ex Fortunato Lib. X. Carm. VII.*

Nomina vestra legant Patriarchis , atque Prophetis
Cui hodie in templo *Diptychus* edit *ebur* .

ſæ ſacrificio. Eorum duplex fuit genus. Nam Bonæ *Rer. Liturg. Lib. II. Cap. XII.* §. I. quique eum ſequuntur, Suicero, atque Dufreſnio non facile aſſentior opinantibus triplex illorum genus fuiſſe. Alterum Epiſcoporum defunctorum cujuſque Eccleſiæ, qui maxime ſanctitate inclaruerant: alterum vivorum hominum: tertium quorumvis vita functorum. Primum namque ab tertio genere diſtinctum minime fuiſſe declarat cum ejuſdem ſtatus conditio, tum conſtans Patrum loquendi modus, quibus, ſicubi de Diptychis ſermo occurrit, duo ſemper eorum genera memorantur, Vivorum ſcilicet, & Mortuorum. Vide præſertim Liturgiam Baſilii, & Epiſt. Attici Conſtantinopolitani ad Cyrillum, ubi perſpicue ait ob duplicem vivorum, mortuorumque ſtatum duplicia etiam Diptycha diſcreta fuiſſe (69). Nos primo de mortuorum, mox de viventium Diptychis agemus.

XXIX. Ergo in Diptychis mortuorum primo loco notabantur privatæ cujuſque Eccleſiæ anteceſſores Epiſcopi (70). Sic Georgius Alex. in vita Chryſoſtomi: *Jubet vero*, inquit, *nomen Chryſoſtomi*, *tamquam Patris digni*, *cujus fama celebraretur*, *tabulis ſacris* τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις *inſcribi*. Idem de Euſtachio Epiſcopo teſtatur Facundus Hermianenſis (71) ejus ſcilicet nomen inter anteceſſores ſuos recitari ſolitum. Hoc vero, quod dixi, ita demum accipiendum eſt, ut unaquæque Eccleſia non omnium, ſed ſuorum modo Epiſcoporum nomina exſcripta haberet. Nam ſi omnes meminiſſent, næ jam non Diptychis, ſed Polyptychis opus fuiſſet. Ceterum invenio privatas quandoque Eccleſias aliorum quoque Epiſcoporum nomina ſuis in Diptychis inſeruiſſe, qui magnam, atque inclitam ſui poſt mortem memoriam reliquerant. Id S. Martino inter occidentales accidiſſe puta, cujus nomen in plerìſque Liturgiis præſcriptum viſere eſt.

XXX. At omnes ne anteceſſores Epiſcopi ad Altare ex Dipthycis recitati? Falcuinus quidem Lobienſis Abbas, qui anno claruit DCCCCLXV. teſtatur Rhemenſem Eccleſiam omnium retro Epiſcoporum memoriam inter ſacra ſolemnia recoluiſſe (72). Sed ſi cui duriuſculum id videtur, illud certo ſtatuat, e defunctis Epiſcopis eos ſolum in Diptychis relatos fuiſſe, qui ſi minus ſanctitatem præ ſe inſignem tulerant, nihil certe admiſerant, quod vitæ integritati obeſſet, uti colligere eſt ex Georgio Alex. *in Vit. Chryſoſt.* (73) qui eum Epiſcopum inde dignum fuiſſe arguit, qui ſacris in Tabulis deſcriberetur, *quod dignus erat*, *cujus fama celebraretur*. Contra ea quicumque Epiſcopi ſive hæreſeos, ſive ſchiſmatis, ſive alicujus gravioris criminis rei fuerant, ii expungebantur e ſacris Diptychis. Quod ſi ſuc-

(69) *Liturg. Baſilii*. Diaconus in circuitu ſacram menſam thurificat, & defunctorum, ac vivorum Diptycha, ut illi lubet, percurrit.

Atticus Epiſt. ad Cyrill. Alex. Mentio namque ejus fit cum defunctis non ſolum Epiſcopis, ſed & Presbyteris, Diaconis, & laicis ipſis, mulieribuſque.... magna eſt enim inter defunctos, & ſuperſtites differentia, ut etiam libri propter differentem eorum, quorum memoria conſervatur, ſtatum, diſcreti ſint.

(70) *Atque hæc conſuetudo locum dediſſe videtur his Diptychorum denominationibus. Namque aliquando dicta ſunt* Epiſcopales Tabellæ: *aliquando* ἱεραὶ δέλτοι Sacræ Tabulæ, ἀπὸ τοῖς ἱεροῖς, ut puto, *ab ſanctis Sacerdotibus in iis recenſitis:* aliquando Κατάλογος τῶν Ἐπισκόπων Catalogus Epiſcoporum. *Sic in Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna*. Κατάλογος τῶν ἐν Κυρίῳ ἀναπαυσαμένων Ἐπισκόπων Catalogus Epiſcoporum in Domino quieſcentium. *Denique* Myſticæ Tabulæ *etiam audiero*. Atticus ad Cyrillum: Μυστικοῖς διπτύχοις ἐγγράφω Myſticis tabulis inſcribere.

(71) *Facundus Lib. II. Cap. I. de Euſtachio*: Solemniter inter ſuos deceſſores ac ſucceſſores ad ſacrificia nominatur.

(72) *Falcuinus de Geſtis Abbat. Lobien. Cap. VII.* Dixit etiam Epiſcopus ſupra nominatus (*Adalbero Rhemenſis*) prædeceſſorum ſuorum ductam uſque ad ſe conſuetudinem, ut inter Miſſarum ſolemnia, in ea ſpeciali commemoratione defunctorum, quæ ſupra Dipthyca dicitur, & in conſecratione Dominici Corporis ſolemniter agitur, quotidie in aurem presbyteri recitante ſilenter ſubdiacono, omnium ipſius ſedis nomina ſcripto viritim recitentur Epiſcoporum.

(73) *Georg. Alex. Vit. Chryſoſt.* Simul adhortatur ut Joannis nomen Tabulis ſacris juberet inſcribi, tanquam digni Patris, cujus fama celebraretur.

si successores Episcopi eadem fœdati labe eos recitassent, summi Antistitis Romani partes erant satagere, ut iidem abolerentur penitus. Quod Agathonem fecisse in Pyrrhum, Sergium, aliosque, testatur Anast. Bibliot. (74). Præterea & ipsos Imperatores deletos quandoque scimus e Diptychis, uti Zenonis, & Anastasii Augustorum nomina erasa dicuntur e Tabulis Ecclesiasticis in Gestis *Conc. Constantinopolitani* (75).

XXXI. Porro observes diversam fuisse formulam, qua utebatur celebrans, ac quandoque etiam Populus post Episcopalium nominum recitationem: recitatis quippe ceterorum defunctorum nominibus, sacerdos pro iis precabatur ea formula; quæ extat in Liturg. S. Marci: *Et horum omnium animabus dona requiem dominator Domine Deus noster, in sanctis tuis tabernaculis*. Lectis autem Episcopis demortuis, clamabat populus: *Gloria tibi, Domine;* quod factum fuit in *Conc. Œcum. V.* (76) ubi universa plebs Diacono nomina Macedonii, Leonis Magni, atque Euphemii recitanti succlamasse dicitur: *Gloria tibi Domine*. Erat sane illa Episcopalium nominum recitatio quædam quasi virtutum eorundem deprædicatio, quod docet diserte Dionysius Areopag. (77).

XXXII. Post fato functos Episcopos, ceterorum quoque demortuorum memoria recolebatur eo ferme ordine, ut primo Sacerdotes, reliquusque ordo Ecclesiasticus, tum Imperatores, postremo etiam laici sive mares, sive feminæ publice edicerentur. Sane Maximus (78) perspicue post Ecclesiasticos, memoratos dicit Imperatores *Constantinum*, *Constantem* &c. Præterea egregie universum hunc ordinem describit Atticus Constantinopolitanus *Ep. ad Cyrillum Alex.* de restituendo Diptychis Chrysostomo; *Mentio namque*, inquit, *ejus* (Chrysostomi) *fit cum defunctis non solum Episcopis, sed & Presbyteris, Diaconis, & Laicis ipsis mulieribusque*. Adhæc peculiariter & hi inter laicos recitati, qui Ecclesiam aliquam fundarant, vel quodpiam aliud beneficium in eam contulerant, uti jubet *Conc. Emerit.* (79).

§. VII. *De Diptychis Vivorum*.

XXXIII. Horum meminit Liturgia Basilii, Chrysostomi, aliæque passim (80): Ordo vero vivorum nomina recitandi hic fuisse videtur. Primo pro se, suoque Episcopo, ac Metropolita orabat Sacerdos; tum nomina legebantur quatuor Patriarcharum Alexandrini, Constantinopolitani,

(74) *Anast. in Agathone p.* 55. Deinde abstulerunt de Diptychis Ecclesiarum nomina Patriarcharum, vel de picturis Ecclesiæ figuras eorum, aut in foribus, ubi esse poterant, auferentes, id est, Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, Petri, per quos error orthodoxæ fidei pullulavit.

(75) *Vide eit. Conc.*

(76) Tempore Diptychorum cucurrit omnis multitudo cum magno silentio circa altare, & audiebant: & cum solæ lectæ fuissent a Diacono appellationes prædictarum sanctarum Synodorum & sanctæ memoriæ Achiepiscoporum Euphemii & Macedooii & Leonis, voce magna universi clamaverunt: *Gloria tibi, Domine*.

(77) *Dionys. Areop. Eccles. Hierarch. Cap. III.* Saerarum, *inquit*, tabularom recitatio deprædicat eos, qui sancte vixerunt; & ad studiosæ vitæ perfectionem constanter pervenerunt. Nos quidem eorum imitatione ad beatissimum illum statum quietemque deiformem adhortando, ac manuducendo: Illos vero ceu viventes celebrando; quippe ut Theologia docet, nequaquam mortuos, sed ex morte ad vitam divinissimam translatos.

(78) *S. Maximus Collatione cum Principib. in Secret.* Verumtamen quid volumus per multa discurrere? inter sacras oblationes supra sanctam mensam post Pontifices & Sacerdotes & Diaconos omnemque sacratum Ordinem, cum laicis Imperatores memorantur, dicente Diacono: *Et eorum, qui in fide dormierunt laicorum, Constantini, Constantis & ceterorum*. Sic autem & vivorum memotiam facit Imperatorum post sacratos omnes.

(79) *Concil. Emerit. anno DCLXVI. Can. XIX. ubi statuitur*, ut eorum nomina, a quibus Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sint, ante Altare recitentur tempore Missæ, quod si ab hac luce discesserint, nomina eorum cum fidelibus recitentur suo in Ordine.

(80) *Liturg. Basilii vide supra Not.* (69). *Liturg. S. Marci*. Diaconus legit Diptycha mortuorum. *Vide etiam Liturgiam S. Chrysost.*

ni, Antiocheni, atque Hierosolymitani. Post clerus omnis pro suo quisque ordine; ad extremum Imperatores, laicique qui insigne aliquod beneficium contulerant, quique oblationes dederant. Jacobus Goar e MS. ducentorum, & amplius annorum in Bibliotheca Christianissimi Regis asservato quoddam quasi Διπτυχον vivorum edidit (81), quod hunc ipsum, quem descripsi ordinem, servat. Omisit tamen Schismaticus Grapholiturgus nomen Romani Pontificis. Ceterum extra omnem controversiam positum est, illius nomen omnibus in Diptychis præscriptum olim fuisse, quod testantur vel ipsi Græci: Gregoras *Lib. V. Histor. Byzant.* & Pachymeres item *Lib. V.* Immo cum Romani Antistitis nomen ab nonnullis per incuriam legi desiisset e Diptychis, mos revocatus fuit per Gallias in Conc. Vasens. II. (82).

XXXIV. Præterea singulos quosque Patriarchas sua invicem nomina in Diptycha retulisse, ambigendum non est. Hinc in Conc. Œcum. VI. Theophilus Antiochenus de Euphemio antecessore suo testatus est: *Euphemius hic*, inquiens, *erat Patriarcha Antiochiæ, & recensetur in Diptychis sanctæ, quæ hic Constantinopoli est, Magnæ Ecclesiæ.* Hunc honorem Exarchis quoque tributum fuisse, conjicio ex actis *Conc. Calched. Œcum. III.* ubi Theophilus Constantinopolitanus Presbyter testatur Bassiani Ephesini nomen Constantinopoli in Diptychis exaratum ab Proculo ejus urbis Patriarcha ad altare recitatum fuisse (83). Sed tamen, quod de Diptychis mortuorum observatum etiam fuit, si qui e Patriarchis, aut e viventibus Episcopis labe aliqua hæreseos, aut schismatis tenerentur, ii omnino e Diptychis Catholicarum Ecclesiarum delebantur. Hinc Augustinus *Serm. XXXVII. ex editis a Sirm.* accusantibus Cæcilianum Donatistis eum e *Traditoribus* fuisse, concedit ultro delendum illum e sacris Tabulis esse, si verum id fuisse probarent, quod tamen nullo modo probari poterat. *Inventus sit*, inquit, *prorsus reus.... deinceps eum ad altare inter Episcopos, quos innocentes & fideles credimus, non recitabimus.*

XXXV. Duo tantum hic observatu digna supersunt. 1. Diptycha non solum in Missæ solemniis, sed alicubi etiam in aliis Ecclesiasticis conventibus lecta fuisse. Sic in statutis Ecclesiæ Parisiensis legitur: *Inde ad capitulum progrediuntur, ubi Gestis Sanctorum, & Diptychis defunctorum lectis, fiunt preces pro eorum requie.* 2. Fuisse in veteri Ecclesia aliud Tabularum genus, in quo recens Baptizatorum nomina recensebantur. Sed ex minime lectæ ad Altare, sed domi penes Episcopum asservatæ fuerunt, quo numerus Christianorum constaret. De his accipiendus Dio-

(81) *Jacobus Goar in Var. Lection. Liturg. Chrysost. p. 97.* Memento mei, & cunctorum, & cunctarum, Joseph sanctissimi, & universalis Patriarchæ (*nempe Constantinopolitani, nomen enim Papæ scriptor schismaticus omisit*) Philothei Alexandriæ, Marci Antiochiæ, Theophili Hierosolymorum, & pro offerente Domino Deo sancta dona honorando Sacerdote, etiam adstantium, venerandi Presbyterii, ministerii in Christo, & omnis sacris Ordinis cœtu. Pro salute, victoria, permanentia devotissimorum, & Christum diligentium Imperatorum nostrorum: devotissimæ, & Christum amantis Dominæ nostræ Hypomenes Monialis: devotissimæ, & Christum amantis Dominæ nostræ Eugeniæ Monialis: Devotissimorum Christum diligentium Imperatorum nostrorum Joannis, & Mariæ. Pro pace, & consistentia totius Mundi, & sanctarum Dei Ecclesiarum: Pro redemtione fratrum nostrorum captivorum: Prosperitate, & firmitate Christum diligentis exercitus: Residui populi salute: & cunctorum & cunctarum.

(82) *Concil. Vasens. II. Can. II.* Et hoc nobis justum visum est, ut nomen Domini Papæ, quicunque sedi Apostolicæ præfuerit, in nostris Ecclesiis recitetur.

(83) *Patriarcharum nomina Patriarchalibus in sedibus recitata fuisse e Diptychis, ex dictis a me superius sat confirmatur. At an in ceteris quoque Episcopalibus Ecclesiis, non ita certum reor. In eam inclinare mihi animus sententiam videtur, ut crediderim Episcopales Ecclesias Metropolitas solum suos, atque Patriarchas in Diptychis commemorasse. Metropoliticas vero cum suis alienos etiam Patriarchas: idque saltem apud Orientales obtinuisse. Hinc Joannes Antiochenus Epistolam scripsit ad Helladium Tharsensem Metropolitam, in qua cum graviter incusat quod allata sibi Maximini Constantinopolitani Patriarchæ Synodica, ejusdem nomen e Diptychis edicere noluerit. Vide Variorum Patrum ad Concilium Ephesinum Epistolas ab Cl. Christiano Lupo editas* Cap. XLVIII.

Dionysius (84) *Eccles. Hierarchiæ Cap. II.*

XXXVI. Sed illud pene exciderat, fuisse hanc Diptychorum praxim in Ecclesia antiquissimam, sic ut nonnulli illam usque ad Apostolicum ævum conjecerint. Profecto de hac consuetudine recitandi ad altare Christianorum nomina verba facit Cyprianus *Epist. ad Plebem Furnitanam* (85), ubi Geminii Victoris defuncti nomen ad altare recitari vetat, quod is tutorem ex testamento dixerat Presbyterum quendam. De eadem praxi loquitur Innocent. *I. Ep. ad Decent.* (86). Hinc maxima semper injuria credita est, maximumque supplicium alicujus nomen ab sacris tabulis deleri. Hinc ortæ sæpe gravissimæ controversiæ, ubi Episcopus sanctimonia conspicuus per invidorum hominum calumnias e Diptychis expungeretur, quod Joanni Chrysostomo accidisse scimus; cui tamen illatam injuriam usque eo propulsare conati sunt occidentales Episcopi; ut palam dixerint, nolle se prius cum Ægypto, atque Oriente communicare, quam Chrysostomi nomen Diptychis rescriptum foret. *Vide Theodoret. Lib. V. Cap. XXXIV.* (87)

§. VIII. *De* Symbolo, Oratione Dominica, *&* Benedictione *Communioni præmissa.*

XXXVII. Nulla in Clement. Liturgia mentio occurrit Symboli Nicæni, quippe quod nondum usus invaluerat illud recitandi in Missæ sacrificio. Est tamen in eadem liturgia quædam quasi Fidei professio, quæ symbolo respondet, quæque consecrationi præmittebatur, uti superius diximus. Ergo primum anno CCCCLXXI. per Petrum Fullonem Antiochiæ, mox etiam Constantinopoli per Timotheum anno DXI. in sacris Collectis symbolum recitari cœpit, ut tradit Theodor. Lector (88). Variatum tamen in Ecclesiis video ad ejus recitationis tempus quod spectat; Orientalibus illud post Euangelium, uti constat ex Conc. Constantinopolitano sub Menna (89): Occidentalibus post Consecrationem ante orationem Dominicam recitantibus,

(84) *Dionys. Areop. Eccles. Hierarch. Cap. II. Theor. IV.* Sacrorum Præsul Sacerdotibus mandat, ut & virum (*baptizatum*) & susceptorem describant. *Turpiter vero hallucinatus est in hunc locum Pachymerer, hæc commentatus :* Ταῦτα δὲ οἶμαι εἶναι τὰ τῶν ζώντων δίπτυχα: Hunc autem librum esse puto Vivorum Diptycha. *Confundit enim perperam Diptycha cum libris iis, in quibus recens baptizatorum nomina describebantur. Illa enim lecta ad altare, hi vero neque lecti umquam, neque si id collibitum foret, per temporum angustias licuisset.*

(85) *Cypr. Epist. LXVI. ad Cler. Furnit.* Ideo Victor cum contra formam, nuper in Concilio a Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio &c.

(86) *Innocent. I. Epist. ad Decent. Episc. Cap. II.* De nominibus vero recitandis, antequam preces Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, & ipse pro tua prudentia recognoscis, ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus.

(87) *Theodoret. Lib. V. Cap. XXXIV.* Et post mortem magni Doctoris orbis terrarum Occidentales Episcopi, Episcoporum Ægypti, & Orientis, & Bosphori, ac Thraciæ communionem non prius admiserunt, quam divini illius viri nomen una cum reliquis fato functis Episcopis consignassent. Et Arsacium quidem, qui post illum ordinatus est, ne salutare quidem dignati sunt. Atticum vero Arsacii successorem, qui multas ad ipsos legationes miserat, & pacem cum ipsis habere postulaverat, tandem susceperunt, postquam is nomen illius in sacras tabulas retulisset.

(88) *Theod. Lector. p. 563.* Timotheus symbolum fidei trecentorum & octodecim Patrum in singulis collectis recitari præcepit.

Tum p. 566. Petrum Fullonem dicunt instituisse, ut in singulis collectis symbolum recitaretur.

(89) *Conc. Constantinopolitanum sub Menna Act. I. p. 41.* Post lectionem sancti Euangelii ex more sacra Missa inchoata, & januis clausis ac sancto symbolo juxta consuetudinem lecto μαθήματος κατὰ τὸ συνῆθες λεχθέντος tempore Diptychorum tucurrit omnis multitudo cum magno silentio circumcirca altare & audiebant &c.

tibus, quod constitutum fuit in Conc. Tolet. III. (90). Sed vide quæ de symbolo fusius disseruimus hujus Part. *Cap. I.* §. *IV.*

XXXVIII. Neque etiam comemmoratam invenimus ab Auctore Const. Apostolicarum Orationis Dominicæ recitationem. At ambigendum non est eam in Missæ sacrificio plerasque omnes Ecclesias adhibuisse. Hinc recte dixit Augustinus (91) universam fere Ecclesiam Eucharisticas preces oratione Dominica conclusisse. Constans quippe Patrum omnium Chrysostomi præsertim, Cyrilli, Hieronymi, aliorumque sententia est, Dominicam orationem præcipuam Eucharistici Sacrificii partem constituisse (92). Ac Gregorius Magnus tanti illam fecisse videtur, ut singularem sententiam amplexatus sit, ad unam hanc scilicet orationem Apostolos Corpus Christi, & Sanguinem consecrasse (93). Donatistas etiam eam in liturgiis suis adhibuisse auctor est Optatus (94). Postremo Gallicana Ecclesia fidelibus interdixit, ne prius ab Ecclesiis discederent, quam orationem Dominicam audivissent. *Vide Conc. Aurel. III.* (95).

XXXIX. Horum duorum, quæ adnotavimus, nullum, ut dixi, extat in Apostolicis Const. vestigium. Jam vero, ut ad easdem revertamur, post preces pro universa Ecclesia seu militante, seu triumphante, Auctor Constitutionum precem quandam, seu *Benedictionem* præscribit, quam super populum recitat Episcopus (96). Quam ceteris quoque Ecclesiis, occidentalibus præsertim communem fuisse indicant quamplura Concilia Aurelianense, Agatense, atque Toletanum (97). Eam Græci passim Παράθεσιν vocant, Latini *Commendationem* aut *Bene-*

(90) *Concil. Tolet. III. anno DXXXVI. Can. II.* Consultu piissimi & gloriosissimi Domini nostri Reccaredi Regis, sancta constituit Synodus, ut pér omnes Ecclesias Hispaniæ & Galliciæ, secundum formam Orientalium Ecclesiarum Concilii Constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta Episcoporum, symbolum fidei recitetur, ut priusquam Dominica dicatur Oratio, voce clara prædicetur, quo & fides vera manifestum testimonium habeat, & ad Christi corpus & sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant.

(91) *August. Epist. LIX.* Precationes facimus in celebratione Sacramentorum . . . Orationes, cum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica Oratione concludit.

(92) *Chrysost. Hom. XXVII.* Si inimicis nostris condonaverimus, poterimus pura conscientia ad sanctam terribilemque mensam accedere, & verba illa, quæ precationi inserta sunt, fideliter dicere. Sciunt initisti, quid dicatur; *Illud scilicet*: Dimitte nobis debita nostra.

Cyrill. Catech. Mystag. V. num. VI. Postea dicimus illam Orationem, quam Salvator noster suis Discipulis tradidit, cum pura conscientia Patrem nuncupantes, atque dicentes: Pater noster, qui es in cælis, &c.

Hieronym. Lib. III. contra Pelag. Cap. II. Docuit Apostolos suos, ut quotidie in Corporis illius sacrificio credentes audeant loqui: Pater noster, qui es in cælis &c.

(93) *Greg. Magnus Lib. VII. Epist. LXIV.* Orationem Dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo Orationem oblationis hostiam consecrarent: *i. e. ut præter Christi Consecrationis verba hanc solam orationem dicerent*, *nullamque Ecclesiasticam præterea*.

(94) *Optat. Lib. II. p.* 57. Inter vicina momenta, dum manus imponitis & delicta donatis, mox ad Altare conversi, Dominicam Orationem prætermittere non potestis.

(95) *Conc. Aurel. III. Can. XXVII.* De Missis nullus laicorum ante discedat, quam Dominica dicatur Oratio &c.

(96) *Constitut. Ap. Lib. VIII. Cap. XII.* Deus qui magnus, & magni nominis es, magnus consilio, & potens operibus, Deus, & Pater Sancti Filii tui Jesu Salvatoris nostri; respice super nos, & super gregem tuum hunc, quem per eum delegisti ad nominis tui gloriam; & sanctificans corpus nostrum, & animam nostram, concede, ut effecti puri ab omni inquinamento carnis ac spiritus, propositis bona consequamur; neminemque nostrum indignum judices, verum sis noster adjutor, opitulator, propugnator, per Christum tuum; cum quo tibi gloria, honor, laus, glorificatio, gratiarum actio, & Sancto Spiritui, in secula. Amen.

(97) *Conc. Aurelian. III. Can. XXVIII.* De Missis nullus laicorum ante discedat, quam Dominica dicatur Oratio, & si Episcopus fuit præsens, ejus *Benedictio* expectetur.

Conc.

Benedictionem. In ea enim Sacerdos Deum orat ut adstantis fidelis populi cum corpora, tum animas sanctificet, dignosque efficiat, qui proposita dona suscipientes æternum beatæ Patriæ munus consequantur. Quamplures hujusmodi Benedictiones occurrunt in Liturgia Mozaraba, & in vetustis Missalibus Gallicanis ab Mabillonio editis.

XL. Est tamen in hac re peculiaris Menardi sententia (98) opinantis has benedictiones ab Conc. Agathensi, atque Arelatensi memoratas, post communionem ad extremum Missæ finem, non post Dominicam orationem dari solitas fuisse. At falli virum ceteroquin eruditissimum discas ex *Can. XXIII. Conc. Tolet. IV. Nonnulli Sacerdotes*, inquit, *post dictam orationem Dominicam statim communicant, & postea benedictionem in populo dant: quod deinceps interdicimus: Sed post orationem Dominicam, & conjunctionem panis, ac calicis, benedictio in populum sequatur, & tum demum Corporis, ac Sanguinis Domini Sacramentum sumatur.* Quid hoc Canone clarius interdicente, ne benedictio post communionem impertiretur? Ad hæc in Missali Mozarabo Benedictio ubique Communioni præmittitur, itemque in Gallicanis apud Thomasium. Licebat namque tum temporis iis qui non communicabant, accepta benedictione, ab Ecclesia egredi. Sed vide Mabillonium *De Liturg. Lib. I. Cap. IV.* §. 14.

Conc. *Agath. Can. XLVII.* Missas die Dominico a secularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus: ita ut ante *Benedictionem* Sacerdotis egredi non præsumant.

Conc. Tolet. IV. Can. XVIII. mox superna pagina afferetur.

(98) *Hanc opinionem, quam Menardi esse diximus, perperam Cardinali Bonæ appinxit Binghamus, velut qui id senserit* Rer. Liturg. Lib. II. Cap. IV. §. II. *Atqui eo in capite Menardum contra sentientem gravibus argumentis urget Cardinalis doctissimus, quod miramur non advertisse Henricum Grischovium diligentem ceteroquin Binghami adnotatorem.*

C A P U T III.

De ceteris Ritibus ab Communione ad extremum usque Missæ finem servatis.

§. I. *De Formula* Sancta sanctis, *de Hymno* Gloria in Excelsis, *ac de Psalmo ad Communionem invitante.*

I. Post Benedictionem Episcopi in Const. Apostolicis præscriptam, Diaconus populum ad Communionem hortatur, dicens Προσέχωμεν *Attendamus:* tumque plebem versus, Sacerdos: Ἅγια τοῖς ἁγίοις *Sancta Sanctis*, inquit: cui populus respondet: *Unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloriam Dei Patris: Benedictus in secula: Amen. Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax: in hominibus bona voluntas. Hosanna Filio David: Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, & apparuit nobis: Hosanna in altissimis.* Cyrillus Hierosolymitanus claram etiam hujus formulæ mentionem facit, atque illam orationem Dominicam subsequutam fuisse (1). Chrysostomus quoque Diaconum eam formulam edicentem comparat præconi ludorum Olympicorum, hoc tamen discrimine, quod ille unumquemque, num quis eum accusaret velut servum, aut furem, rogitabat, Diaconus vero singulos adstantes, ut se ipsos probarent,

(1) *Cyrill. Catech. Mystag. V. num. XVI.* Postea Sacerdos dicit, *sancta sanctis:* sancta scilicet ea, quæ in ara proposita sunt, adventu Spiritus Sancti sanctificata. Sancti & vos quum sitis sancto Spiritu donati, atque ita sancta sanctis conveniunt. Vos deinde respondetis: Unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus. Vere unus est ille Sanctus, qui est natura Sanctus: vos autem & Sancti sitis, non tamen natura, sed participatione, exercitatione, & precatione.

barent, hortabatur, *Sancta Sanctis* danda esse clamans (2).

II. Sequitur Hymnus *Gloria in excelsis* qui quidem verbis tantum constat e Scripturis desumtis: namque integer ille, qui nunc ad manus est, nondum tertio Ecclesiæ Seculo concreverat cum omnibus additionibus, quas merito *Ecclesiasticos Doctores composuisse* ajunt Patres *Conc. Tolet. IV. Can. XII.* Sed de ejus antiquitate plura parte superiori commentati sumus. Illud modo juvat hic animadvertere, Orientales hunc hymnum hic post consecrationem recitasse, illumque simul populum alta voce cecinisse, quod docet cum Auctor Constitutionum, tum Chrysostomus pluribus in locis (3). Contra tamen factum fuit in Occidentalibus Ecclesiis: ubi post Introitum, tum non a populo recitabatur, sed ab Episcopo Dominicis solum diebus, aliisque solemnioribus festis, a Presbyteris vero una Paschæ die, quod colligas ex Sacramentario *Greg. ap. Murat. Liturg. Rom. Vet. Tom. II. p.* 1. Idem *dicitur*, inquit, *Gloria in excelsis Deo, si Episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus festis; a Presbyteris vero minime dicitur, sed solo in Pascha*.

III. Demum, quo vehementius ad sanctam Eucharistiæ participationem fidelium incenderentur animi, Psalmus canebatur, qui est num. XXXIII. Cyrillus Hierosolymitanus ejus Psalmi v. 9. commemorat, velut qui ante communionem publice decantabatur (4). Ceterum hunc psalmum minime cum illis confundas, quos inter sumendum Domini Corpus, & Sanguinem recitabant, de quibus mox sermo redibit.

§. II. *Distributionem Eucharistiæ Fractio præcedebat, uti etiam Elevatio, & Adoratio.*

IV. Mos panem Eucharisticum in partes dispescendi & ab Christo institutus, & ab Ecclesia retentus perpetuo fuit. Ille enim in mystica cœna, *panem accepit, benedixit, & fregit, deditque discipulis suis*. Ejus vero discipuli die Dominico, quod legimus *Act. XX.* conveniebant ad *frangendum panem*. Hinc Patres omnes unanimi consensu de ea semper loquuti sunt, ut quæ distributionem ejusdem panis præcedebat. Sed tamen non eodem Sacrificii loco apud omnes Ecclesias fractus Eucharisticus panis fuit. Græci, ut videre est in eorum Liturgia, statim a consecratione comminuisse videntur. At secus accidisse apud reliquas Ecclesias conjicias ex Augustino, Clemente Alex., Dionysio Areop. (5), aliisque, qui fere fractionem cum distributione conjungunt. Uti contra ex Chrysostomo, & Greg. Nazianzeno edisças, Græcas Ecclesias

(2) *Chrysost. Hom. XVII. in Hebr.* Stat ergo nunc quoque, qui est apud nos præco, non unumquemque capite tenens & adducens, sed omnes simul interno capite detinens, non alios ipsis adhibet accusatores; sed ipsos sibi ipsis. Non enim dicit: Numquis eum accusat? Sed quid? Num quis seipsum accusat? Nam quando dicit, Sancta Sanctis, hoc dicit: si quis non est sanctus, non accedat: Non solum, inquit, a peccatis purus, sed etiam sanctus. Sanctum enim non facit solum liberatio a peccatis, sed etiam præsentia Spiritus, & bonorum operum copia. Non solum, inquit, volo vos a cœno esse liberatos, sed albos esse & speciosos.

(3) *Chrysost. Hom. III. in Coloss.* Deus Angelos primo huc deduxit, & tunc hominem ad eos sustulit. Cælum facta est terra, quoniam quæ erant terræ, cælum erat suscepturum. Propterea *εὐχαριστοῦντες λέγομεν*, gratias agentes dicimus, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas.

(4) *Cyrill. Mystag. V. num. XVII.* Post hæc audietis psallentem secundum divinam Melodiam exhortantem vos ad Communionem sanctorum mysteriorum, & dicentem: *Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus*.

(5) *Augustin. Epist. LIX. ad Paulin.* Cum benedicitur & sanctificatur, ac ad distribuendum comminuitur, &c.

Clement Alex. Stromat. Lib. I. p. 318. Ut nonnulli Eucharistiam divisere, ut mos est, permittunt quemvis e Populo ejus partem sumere.

Dionys. Areop. Eccles. Hierarch. Cap. III. §. XII. Pontifex operto, individuoque pane revelato & in multa diviso, singularique Calice omnibus impertito, veritatem symbolice multiplicat distribuitque, sacrosanctum in iis sacrificium consumando.

sias post consecrationem fregisse, quum illi de fractione loquantur consecrationem excipiente (6).

V. Praeterea de eadem fractione loquuntur ad unam omnes Liturgiae qua occidentales, qua orientales; tantumque differunt inter se cum in tempore fractionis, tum in numero particularum. Liturgia enim Chrysostomi Graeca frangi jubet, ut dixi, post consecrationem, Orientales dividunt ante orationem Dominicam, uti observat Clariss. Renaudotius *Tom. I. Comment. in Liturg. Orient. p.* 262. Id ipsum & Mediolanensem Ecclesiam consuevisse teneas ex Liturg. Ambrosiana: namque post orationem, *Per quem haec omnia*, Sacerdos hostiam dividit dicens: *Corpus tuum frangitur, Christe, Calix benedicitur*. Ecclesia autem Romana post dictam Dominicam orationem sanctam hostiam dividere consuevit. Ad particularum autem numerum quod attinet, non minor varietas occurrit. Latini enim in tres partes hostiam dispescunt, Graeci in quatuor, uti ex eorum Liturgia apparet. Quadrifariam quoque divisisse Orientales putat Card. Bona *Rer. Liturg. Lib. II. Cap. XIV. §. III.* At fallitur vir summus: hi enim, ut observat Renaudotius supra laudatus *p.* 259. multifariam hostiam secant (7). Mozarabes vero in novem partes dividunt, quarum unamquamque peculiare vitae Christi mysterium significare voluerunt. Vide Mabillon. de Liturg. Gallicana *Lib. I. Cap. II.* §. 12. (8). Hanc autem adeo constantem Corporis Dominici fractionis praxim retinuit Ecclesia ad repraesentandam ejusdem Domini passionem, atque crucifixionem.

VI. Praeterea panis Eucharistici fractionem mixtio etiam sequebatur, idque vetusta omnium Liturgiarum praxi. Eam praescribit Liturgia Jacobi: *Unio*, inquit, *sanctissimi Corporis, & pretiosi Sanguinis Domini, ac Salvatoris nostri Jesu Christi* &c. Addas etiam duos priores vetustissimos Romanos Ordines. Variant tantum in ipsa immixtionis formula. Codex Rotoldi apud Menardum habet: *Haec sacrosancta commixtio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat omnibus sumentibus salus mentis, & corporis & ad vitam capiendam aeternam praeparatio salutaris*. Codex Tilianus rursus aliam diversam praescribit, uti & Maronitarum Liturgia (9). Sed quam habet

(6) *Chrysost. Hom. XXIV. in I. ad Corinth.* Cur autem addit (Apostolus) quem frangimus? Hoc enim licet videre fieri in Eucharistia: in Cruce autem non itidem, sed utique ei contrarium: Os enim, inquit, ejus non conteretur. Sed quod non passus est in Cruce, hoc in oblatione patitur propter te: & patitur frangi ut omnes impleat.

Nazianz. Epist. CCXL. ad Amphiloch. O Dei cultor sanctissime, ne cuncteris orare & intercedere pro nobis, quando dicto allicis Verbum Dei; quando incruenta sectione Corpus, & Sanguinem Dominicum secas, vocem adhibens pro gladio.

(7) *Duplex fuit apud Orientales Fractio: altera ante ipsam Consecrationem, ubi Sacerdos verba illa pronuntiabat* Fregit &c. *altera proprie Fractio dicta ante orationem Dominicam post Diptychorum recitationem. In prima illa oblata, sive Hostia in tres partes divisa: in altera hae in multas eadem tres partes divisae sunt. Docet id Gabrielis Alexandrini Rituale, ubi, dicto ab presbytero* Pax vobiscum, *hae porro praescribuntur:* Inde incipiet Sacerdos recitationem orationis Fractionis, dividetque corpus in tres partes, sicut primo fecerat ad verba *Fregit* .... Ex superioribus autem particulis accipiet eam, in qua est *Isbodicon*, quam in medio disco collocabit. Tum incipiet fractionem tertiae, quam manu tenebit: qua finita accipiet tertiam primo collocatam, & eam franget. Finita fractione ejus accipiet tertiam, quam in medio posuerat &c. *Equidem fateor difficile quemvis assequi posse difficillimam hanc dividendi rationem, quam Gabriel tantopere describit. Sed enim illud certo constat, in secunda hac Fractione de qua loquimur, tres priores particulas Fractionis primae, rursus in alias divisas fuisse.*

(8) *Mabillon. de Liturg. Gallic. Lib. I. Cap. II. §. XII.* Sub haec frangit hostiam in novem particulas, quae his nominibus designantur, corporatio, nativitas, circumcisio, apparitio, passio, mors, resurrectio, gloria, regnum.

(9) *Codex Tilian.* Sancti sanguinis commixtio cum Sancto Corpore Domini nostri Jesu Christi prosit omnibus sumentibus ad vitam aeternam.

Missalis Maronitic. Conjunxisti, Domine, divinitatem tuam cum humanitate nostra, & humanitatem nostram cum divinitate tua. Tu nostrum tulisti, & dedisti nobis tuum in vitam, & salutem animarum nostrarum. Tibi gloria in secula. Amen.

Micrologus *Cap. XXIII.* maxime ad nostram, quæ nunc est, accedit. *Fiat*, inquit, *commixtio*, *&* *consecratio Corporis*, *&* *Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam*. Ex quo licet arguere eas formulas, ut verbis discreparint inter se, sensu certe easdem fuisse. Neque vero Liturgiæ modo Mixtionem meminere, sed etiam Concilia. *Conc. Tolet. IV. Can. XVII.* meminit *Conjunctionis panis*, *&* *vini*: Expressius autem Conc. Arausic. I. habitum *ann.* CCCCXLI. *Can. XVII.* (10).

VII. Ad hæc antequam Eucharistiam sumerent, ac propius ad illam formulam *Sancta sanctis*, accederent, consuevere Græci atque Orientales Eucharistiam populo ostentare, quod nos *Elevationem* dicimus. De ea loquitur Germanus Patriarcha, qui vixit ad *annum DCCXV.* in Contempl. Reg. Cœlest. sub finem, atque Anastasius Synaita Serm. de sacra Synaxi apud Canisium *Tom. I. Sacerdos*, inquit, *post sanctificatum sacrificium incruentum*, *attollit Panem vitæ*, *&* *omnibus illum ostendit*. Coptæ item Hostiam elevant post orationem Dominicam. Ita enim legitur in Liturgia Alexandrina S. Basilii: *Sacerdos elevat* Σπυδικὸν (11) hoc est *majorem Hostiæ partem*, *&* *voce elata clamat*: *Sancta sanctis*. Idque magis adhuc firmatur ex Regio Codice antiquissimo ejusdem Liturgiæ: Ο' ἱερεὺς, inquit, ὑψοῖ τὸ σπυδικὸν *Sacerdos elevat Corpus Dominicum*. Quid plura? tam generalis est religiosus hic ritus apud omnes orientis Ecclesias, ut merito Cl. Renaudotius *Tom. I. Comment. in Copt. Liturg. p.* 267. dixerit ne unam quidem esse Liturgiam, quæ formulam illam *Sancta sanctis* non recitarit, Hostiamque inter eam recitandam non sustulerit. Quam constantem elevandi Sacramentum praxim quum videas, fieri nequit, quin & antiquis etiam retro temporibus obtinuisse credas (12).

VIII. Fatendum tamen est serius demum hunc ritum attollendi sacramentum inter Occidentales increbuisse. Samuel Basnagius *Annal. Politic. Eccl. Tom. II. ad annum Christi CCXXXIII.* eum conjicit ad *ann. MLXXX.* At Cardinalis Bona *Rer. Liturg Lib. III. cap. XIII. §. X.* ad Seculum *XII.* Atqui ego putarim hoc quidem tempore universaliorem illum evasisse: ceterum primam eius originem posse etiam retro repeti. Siquidem Seculo *XII.* Statutum prodiit Gulielmi Parisiensis (13), ubi jam pridem statutum dicitur, ut ad Hostiæ elevationem campanulæ pulsarentur. Si ergo ante Seculum *XII.* jussus campanularum pulsus ad eleva-

(10) *Concil. Arausic. I. anno* CCCCXLI. *Can. XVII.* Quum capsa, & Calix offerendus est, admixtione Eucharistiæ consecrandus.

(11) Σπυδικὸν *vox Græco-Alexandrina corrupta ab* Δεσποτικὸν Dominicum. Δεσποτικὸν *autem* Dominicum *sæpe* ἁπλῶς *ponitur ad notandum Corpus Dominicum*, *cum subintelligatur* σῶμα Corpus. *Atque ex hoc* Δεσποτικὸν *vox altera Ægiptiaca manavit* Isbodicon *in Orientalibus Liturgiis frequentissima*, *quæ item Corpus Dominicum notat*, *seu Hostiam consecratam*. *Nihil enim facilius quam ut græcum Tau in Delta*, *Pi in Beta concederet*: *initio etiam vocabuli per* ἀφαίρεσιν *truncato*, *sic ut* Isbodicon *esset Coptis*, *quod* Δεσποτικὸν *Græcis*.

(12) *Contra stat tamen Cl. Basnagius*, *qui ad annum* CCXXII. Annal. Polit. Eccles. *putat sexto demum Seculo elevasse Græcos Sacramentum*. *Sunt enimvero ejus ætatis plures Patres*, *qui de illa loquuntur disertissime*, *uti præ ceteris S. Maximus Confessor*, *qui anno floruit* DCXL. *quique commentariis suis ad* Cap. 3. Dionysii Areopagitæ de Eccles. Hierarch. *perspicue indicat obtinuisse tum inter Græcos Elevationis ritum*. *Verum nimium in longum Basnagius rem trahit*. *Sunt quippe ejus praxis vestigia & in superioribus ætatibus*, *ex quo assequi liquet eam longe fuisse antiquiorem*. *Profecto Euthymius anno* CCCCLXXIII. *Sacramentum protensis in altum manibus elevavit*; *quod literis prodidit Cyrillus Scythopolitanus in ejus vita*: Sacerdos, *inquit*, Euthymius, qui incruentum sacrificium Deo offert, antequam incipiat omnibus testificatur, & denuntiat dicens: *Sursum mentem*, *&* *corda habeamus*, populique pollicitatione accepta, Deo oblationem offerre audet: qua perfecta, manibus in altum extensis ferens & cunctis ostendens dispensatum ad nostram salutem sacramentum, alta voce ita, ut omnis populus audire queat, ait: *Sancta sanctis*. *Videsis hic Hostiam elevatam inter dicendum* Sancta sanctis, *quem græcæ Ecclesiæ morem fuisse diximus*.

(13) *Gulielmus Paris. Episc. Statut. Part. I. Cap. XIV.* Sicut alias statutum fuit in celebratione Missarum, quando Corpus Christi elevatur, in ipsa elevatione, vel paulo ante Campana pulsetur.

elevationem, profecto & ipsa elevatio jam pridem obtinuerit necesse est, ad Seculum, scilicet *IX.* ut conjicio. Namque Missa Mozaraba, cujus usus demum inhibitus est post decimum Seculum per Gregorium *VII.* elevationem qua Panis, qua Calicis præscribit (14). Ad hæc Rabanus etiam Moguntinus Episcopus, qui floruit *anno DCCCXLVII. Lib. I. de Inst. Cleric. Cap. XXXIII. Elevatio Sacerdotis*, inquit, *& Diaconi Corporis & Sanguinis Christi Elevationem ejus ad crucem insinuat pro totius mundi salute*. Jam tum ergo inter Occidentales vestigia visuntur hujus moris, qui ceteroquin inter Græcos longe majorem habuit antiquitatem.

IX. Quod si non eodem tempore utraque simul Occidens, atque Oriens Ecclesia Sacramentum sustulit in Missæ Sacrificio, consensere tamen jam inde ab suis fere cunabulis ad Eucharistiam adorandam, eo præsertim Missæ loco, quo ad communionem accedebant. Quod eo diligentius persequemur ad usque prima Ecclesiæ tempora, quod ab illa fidem de *Reali*, ut ajunt, Christi præsentia in hoc Sacramento pendere, omnes fere fatentur recentiores Heterodoxi, quod adnotavit Clariss. Renaudotius *Comment. ad Copt. Liturg. Tom. I. p.266.* Igitur primo conveniunt Liturgiæ omnes, quas ad manus habemus. Latinas Adorationem præscripsisse docet Amalarius, cujus scripta prodiere anoum circiter *DCCCXX.* In suis namque Eclogis ab Baluzio, & Mabillonio editis: *Episcopus*, inquit, *postquam adoraverit Sancta, pergit ad dexteram altaris*. Idem præscribit apud Græcos Liturgia Chrysostomi (15): apud Orientales Coptæ Liturgiæ: uti docet id disertis verbis Gabriel Patriarcha (16): apud Syros Liturgia S. Gregorio tributa. Nam post Consecrationem clamat Diaconus: *Adorate Agnum Verbum &c.*

X. Neque vero si auctoritate Patrum certandum sit, eæ deerunt. Theodorus Studita, qui anno floruit *DCCXCVI.* testatur vel ipsos ævi sui hæreticos credidisse divina mysteria esse adoratione digna (17). Id quoque perspicue innuit vita Beati Lucæ inter græcos X. Seculi ascetas celeberrimi, edita ab Combefisio: ubi Corinthius Archiepiscopus eum edocet ritum Præsanctificata adorandi, sumendique (18). Sed ad antiquiora tempora progrediamur: Eucharistiam namque inter sumendum adoratam ab fidelibus fuisse docet cum primis Magnus Augustinus *Enarrat. in Psal. IC. num: X. Suscepit*, inquit, *Dominus de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Ma-*

(14) *Missal. Mozarab.* Prolatis verbis consecrationis, hic elevetur Corpus, & post hæc elevetur Calix coopertus cum filiola.

(15) *Liturg. Chrysost. ap. Goar.* Deinde adorat προσκυνεῖ Sacerdos in loco, ubi est, & Diaconus, dicentes secreto ter: *Deus propitius esto mihi peccatori*. Omnes ex populo pariter cum reverentia adorant προσκυνοῦσι.

(16) *Gabriel Patr. in Ritual.* Finita absolutione Sacerdos respicit ad Orientem, & Diaconus alta voce clamabit. populo interea nudum caput, & elevatas manus habente: Diaconus deinde dicet: *Amen. Sed & nonnihil his expressius habet, ad Coptas quod spectat, Auctor scientiæ Ecclesiast.* Sacerdos clamabat voce altissima, & quantum fieri poterit, contenta: *Sanctir sancta*. Omnes ex Ecclesiæ populo uno ore clamabunt: *Kyrie Eleison*: capite nudato in genoa pervoluti, si fuerit dies Dominica: si dies alia, omnes in frontem ad terram usque prosternentur, deposita capitum fascia.

(17) *Theod. Studit. in Antirrhetico II. Cap. XXXI. Orthodoxus:* Quo in numero habes Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi? *Hæreticus:* Sancta sunt proculdubio: Etenim *Sanctir sanctir* a Sacerdote pronuntiatur. *Orthod.* Hæc itaque etiam adoranda judicas? *Haret.* Et quia adeo impie sentiat, qui non sancta simul, & adoranda confiteatur? *Orthod.* Nonne igitur tecum loqueris pugnantia, qui quum ante dixeris: non statim quod sanctum est, idem etiam adorandum esse, nunc rursus affirmas, quod negasti: *Haret.* Atqui de Mysteriis mihi sermo non erat, quum de his omnes consentiant, ut dixi.

(18) *Combef. Vit. Beat. Lucæ Junioris*: Tum, *inquit Archiepiscopus Corinthius*, explicans velum minus, propones in eo sacras particulas, accensoque thymiamate Typicorum psalmos, aut Hymnum ter *Sanctus* cantabis cum symbolo Fidei, trinaque genuum flexione adorans manus quidem contrahes (*in formam crucis*) ore autem sacrum pretiosi Christi, ac Dei nostri corpus sumes *&c.*

Mariæ carnem accepit : & quia in ipsa carne & ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est quemadmodum adoretur scabellum pedum Domini : & non solum non peccamus adorando, *sed peccamus non* adorando. Augustino addas Ambrosium, Theodoretum, & Chrysostomum. (19); addas & tertii Seculi Scriptorem Cyrillum Hierosolym. (20).

§. III. *Quo ordine, quove ritu Eucharistiam distribuerint veteres.*

XI. Postquam, uti monuimus, Sacerdos, *Sancta sanctis*, proclamarat, tum suo quisque gradu atque ordine ad Eucharistiam accedebat: qui quidem ordo hic fere erat, ut præscribitur *ab Auct. Const. Apost.* (21). Primo sumebat Episcopus, post hunc Presbyteri, reliquusque clerus, & Asceta: tum e feminis Diaconissæ, Virgines, viduæ, & pueri: postremo vulgus omne adstantium. Ex hoc autem Constit. loco videtur unum Episcopum Eucharistiam populo, atque clero distribuisse. Ceterum discrepat ab hac reliquarum Ecclesiarum praxis. Justinus Martyr (22) testatur ævo suo ad Episcopum quidem consecrationem pertinuisse, Diaconorum vero partes fuisse consecratam Eucharistiam populo ministrare. Contra generalius per insequutas ætates obtinuit, ut Episcopus, vel Presbyter conficerent Eucharistiam, atque distribuerent etiam Panem, Diaconis una Calicis dispensatione relicta, quod cum ex aliis, tum ex Cypriano colligas (23). Id tamen non obstitit, quominus aut ex permissione Episcoporum, aut ex necessitate ordinarium quodammodo Diaconorum munus evaserit cum Calicem, tum Panem dispertiendi, quod eruas ex Conc. Ancyrano (24). Ceterum duo semper maxime caverunt prisci Patres: 1. ut ne unquam Diaconi Presbyteris darent, quod severe inhibuit Conc. Nicænum (25), 2. ut ne populo, præsente Presbytero, darent, nisi & necessitas urgeret, & Presbyteri id jussu fieret. Atque ita duo Canones conciliari invicem poterunt, alter *Conc. Arelat. II.* alter *Carthag. IV.* quorum ille adstante Presbytero numquam, hic vero etiam præsente concedit Diacono Eucharistiæ distributionem. Arelatensis quippe Canon nullam necessitatem supposuisse videtur. Sed adisis ipsos Canones (26).

XII.

(19) *Ambrof. Lib. III. de Spir. Sancto Cap. XI.* Caro Christi, quam hodieque in Mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adoraverunt.

Theodor. Dialogo II. de Eucharistia Symbolis: Intelliguntur, *inquit*, ea esse, quæ sancta sunt, & creduntur, & adorantur, utpote quæ illa sunt, quæ creduntur.

Chrysost. Hom. XXIV. in I. ad Corinth. Hoc corpus etiam jacens in præsepio reveriti sunt Magi, & cum multo metu, ac tremore adorarunt. Nos ergo longe majorem quam illi barbari ostendamus reverentiam.

(20) *Cyrill. Hierosol. Catech. Mystag. V. num. VI.* Accede, & ad sanguinis poculum non extendens manus, sed pronus κύπτων, & adorantis, venerantisque ritu dicens: *Amen*.

(21) *Constit. Apost. Lib. VIII. Cap. XIII.* Primum sumat, & communicet Episcopus, deinde Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Lectores, Cantores, & Ascetæ: & in feminis Diaconissæ, Virgines, & Viduæ: Postea pueri, tuncque omnis populus ordine.

(22) *Justin. M. Apolog. II.* Postquam Præsidens gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque ministri distribuunt unicuique præsentium, ut participent eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt.

(23) *Cyprian. de Lapsis p. 132.* Ubi vero solemnibus adimpletis, calicem Diaconus offerre præsentibus cœpit &c.

(24) *Conc. Ancyran. Can. II.* Diaconi similiter, qui immolaverunt, honorem quidem habeant, cessare vero ab omni sacro ministerio sive a Pane, sive a Calice offerendo, vel prædicando.

(25) *Conc. Nicæn. Can. XVIII.* Pervenit ad sanctam, & magnam Synodum, quod in nonnullis locis, & civitatibus Diaconi dant Presbyteris Eucharistiam, quod nec Canon, nec consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Christi.

(26) *Conc. Arelat. II. Can. XV.* Diaconi corpus Christi, præsente Presbytero, tradere non præsumant.

Conc. Carthag. IV. Can. XXXVIII. Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.

XII. Sed jam ad ordinem revertamur, quo communicantes accedebant; quem quidem juxta diversas Ecclesiarum praxes prosequamur necesse est, quum variatum in eo sit nonnihil apud omnes. Hispanam quidem Ecclesiam ad altare admisisse solos Presbyteros, atque Diaconos, intra Chorum clericos ceteros, ad cancellos vero universum populum constat ex Conc. Tolet. IV. habito *ann. DCXXXIII.* (27). Atque ante istud jam pridem Bracarense I. (28) mares item, feminasque communicantes arcuit ab altari, citatque ad id firmandum vetustiora statuta. Sane vero, ad Græcos quod attinet, est Canon Conc. Laodiceni (29), Bracarensi antiquior, ubi unis item Presbyteris & Diaconis ἱερατικοῖς venia datur θυσιαστήριον *sanctuarium* communicaturis introeundi. Igitur Græci item ut Hispani populum ab altari communicantem arcuerunt, excepto tamen Imperatore, quod ei privilegium Trullana Synodus ex antiqua traditione confirmavit (30). Quod tamen negatum eidem fuit in Italia ab Ambrosio: ex quo rite statuas Italicas etiam Ecclesias ejusdem moris fuisse tenacissimas, quæ ne ipsi quidem Imperatori id concesserint. Contrarius tamen mos inter Gallos inolevit. In *II.* namque *Conc. Turon.* (31) *Canon IV.* vetat populum choro psallentium admisceri: *ad orandum vero, & communicandum laicis, & feminis, sicut mos est, pateat Sancta sanctorum.* Vide Mabillonium *de Litur. Gallic. Lib. I. Cap. V.* §. 24. qui id etiam ex Gregorio Turonensi confirmat (32). Denique Orientales, maximeque Ægyptii non secus ac Galli ad sanctuarium laicis etiam aditum patefecisse videntur, quod colligit Valesius ex Dionysii Alexandrini Epistolis (33).

XIII. At quo adorationis exterioris indicio, quove corporis gestu sacrum Panem, Vinumque sumebant? Duplex omnino is fuit. Aut enim genu flexo de Eucharistia participabant, aut stantes. Atque ad primum quod attinet, id cum clare innuere Chrysostomus (34) videtur, qui communicantes, ut ad altare *procumbant*, hortatur, tum generalis praxis in stationariis diebus flexis genibus orandi. Si enim ille demissi animi gestus ceteras preces decere creditus est, multo idem magis communicantibus convenire credebatur. Alterum vero quod dixi, patet ex scriptorum quamplurium testimoniis. Dionysius *Alexand. ap. Euseb.* Fidelis cujusdam meminit, qui frequenter gratiarum actionem audierit, atque responderit: *Amen*, tum etiam ad mensam *adstiterit* &c. (35). Idem docet Chrysost.

(27) *Conc. Tolet. IV. Can. XVII.* Sacerdos, & Levitæ ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus.

(28) *Conc. Brac. I. Can. XXXI.* Placuit, ut intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris, vel mulieribus, sicut & antiquis canonibus sancitum est.

(29) *Conc. Laod. Can. XIX.* Unis sit venia clericis Sanctuarium ingredi, & communicare.

(30) *Conc. Trull. Can. LXIX.* Nulli omnium liceat, qui quidem sit in laicorum numero, intra septa sacri altaris ingredi, numquam tamen ab ea potestate, & auctoritate Imperiali prohibita, quandocumque voluerit creatori dona offerre, ex antiquissima traditione.

(31) *Conc. Tolet. I. Can. IV.* Ut laici secus altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter Clericos tam ad vigilias, quam ad missas stare penitus non præsumant, sed pars illa, quæ a cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium Clericorum pateat. Ad orandum vero, & communicandum laicis, & feminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum.

(32) *Gregor. Turon. Lib. IX. Cap. III.* Interea advenit festivitas sancti Marcelli, quæ apud urbem Cabilonensem mense septimo celebratur, & Guntcheramnus rex adfuit. Verum ubi peractis solemnibus ad sacrosanctum altarium communicandi gratia accessisset, venit quidam quasi aliquid suggesturus *&c.*

(33) *Dionys. Alex. Epist. ap. Euseb. Lib. VII. Cap. IX.* Qui gratiarum actionem frequenter audierit, & qui cum ceteris responderit, *Amen*, qui ad sacram mensam adstiterit & manus ad suscipiendum sacrum cibum porrexerit.

(34) *Chrysost. Hom. XXXI. in Natalem Christi:* Cum horrore accedamus, gratias agamus, procumbamus confitentes peccata nostra, lacrimemur mala nostra lugentes, intentas, ac largas preces Deo fundamus *&c.*

(35) *Vide supra Not. num.* (33).

sost. (36) aliique. Hinc intelligas vocem illam in Liturgiis frequentem, præsertim hic apud Auctorem *Const. Apost. Lib. VIII. Cap. XII.* ὀρθοὶ πρὸς Κύριον ἑστῶτες ὦμεν *Erecti ad Dominum stemus:* plerumque enim stantes communicabant. Atque hæc Græcorum disciplina, quæ fortasse etiam occidentalium fuit, sed satis firmis, atque indubiis argumentis fulciri hactenus non potuit. Morem tamen communicandi stantes soli Sacerdotes inter nos retinuisse videntur. Illud vero postremo observes, veteres, etsi stantes de Eucharistia participarint, id tamen non sine corporis, capitisque demissione adorantium ritu fecisse. *Accedit*, inquit Cyrillus Hierosolym. Catech. Mystag. V. *& ad sanguinis poculum non extendens manum, sed* κύπτων pronus, *atque adorationis, venerationisque ritu dicens: Amen.*

XIV. Porrectionem ipsam Eucharistiæ certa verborum formula, ab Sacerdote prolata, comitabatur. Initio autem hæc fuisse videtur, quam præscribunt Const. Apostolicæ (37): in tradendo scilicet Pane dicebat presbyter ἁπλῶς: *Corpus Christi;* populus: *Amen;* in Calice vero: *Sanguis Christi;* populus item: *Amen.* Namque & hanc ipsam formulam meminit Ambrosius, seu quis sit auctor *Sacram. Lib. IV. Cap. V. Dicit tibi Sacerdos: Corpus Christi; & tu dicis: A*men, *idest: Verum.* Sed & verus etiam Ambrosius idem habet in *de Initiandis Cap. IX. Post Consecrationem*, inquit, *Sanguis nuncupatur, & tu dicis: Amen.* Præterea ejusdem vocis *Amen* ab populo redditæ post gustatum utrumque sacramentum meminere Augustinus, Hieronymus, Leo Magnus, aliique plures (38). Atque præclarum etiam illud est ad hanc rem confirmandam quod Cornelius Papa scribit de Novatiano ad Fabium Antiochenum *ap. Euseb. Lib. VI. Hist. Cap. XLIII.* Novatianum scilicet in id arrogantiæ processisse, ut suos persuaserit dicere ad Hostiæ porrectionem: *Non revertar ad Cornelium*, pro eo, ac dicere debuerant: *Amen.* Sed vide Euseb. (39).

XV. Verum enimvero simplex illa antiquorum formula in longiorem processit insequenti tempore. Ad ætatem namque Gregorii M., ut ex ejus Βιογράφῳ (40) eruitur, hæc in usu erat: *Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam.* At sub ævum Caroli Magni, atque Alcuini (41) rursus hæc paulo productior, cui nostra, qua nunc utimur, magis accedere videtur: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.* Nos pro *te*, *animam tuam* addidimus: uti & in eo

quo

(36) *Chrysost. Homil. XX. in II. ad Cor.* Hoc altare horribilius est, quam illud cui tu laicus adstas......quemadmodum stat Sacerdos spiritum arcessens, ita tu quoque spiritum arcessis non quidem voce, verum verbis ipsis.

(37) *Constitut. Ap. Lib. VIII. Cap. XIII.* Episcopus tribuat oblatam dicens: *Corpus Christi:* & qui recipit respondeat: *Amen*. Diaconus vero teneat Calicem & tradendo dicat: *Calix Christi:* & qui bibit, *Amen* respondeat.

(38) *Augustin. contra Faustum Lib. XII. Cap. X.* Habet magnam vocem Christi sanguis in terra, quum, eo accepto, ab omnibus gentibus respondetur: *Amen.*

Hieronym. XLII. ad Theophil. Qua conscientia ad Eucharistiam accedam, & respondebo *Amen?* quum de caritate dubitem porrigentis.

Leo Magnus Serm. VII. de Jejun. VII. Mensis.

(39) *Corn. Roman. Epist. ad Fabium Antioch. apud Euseb. Lib. VI. Cap. XLIII.* Oblatione facta, portionem singulis dividens; dum eam tradit, miseros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus, qui portionem accepit, ambabus suis manibus comprehensas retinens, nec prius dimittens, quam jurati ista dixerint: (ipsis enim utar illius verbis) Jura mihi per Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te numquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium esse rediturum...... Et cum panem illum accipiens dicere debuisset *Amen*, ejus loco dicit: *Non revertar deinceps ad Cornelium.*

(40) *Joan. Diaconus Vit. Greg. Magni Lib. II.* Corpus Domioi nostri Jesu Christi conservet animam tuam.

(41) *Alcuinus de Officiis*: Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat Te in vitam æternam.

quoque priscæ derogatum disciplinæ, quod τὸ *Amen* apud illos ab populo reddi solitum, apud nos ab ministrante Presbytero respondeatur. Illud tamen hic observes, vocem illam *Amen* ab accipiente Eucharistiam prolatam quandam quasi fidei professionem fuisse, quidquid hujus fidei hostes acerrimi deblaterant. Est enim quasi contestatio de veritate Corporis Christi in Eucharistia. Vide quæso tria trium maximorum Ecclesiæ Patrum testimonia inferne adscripta Augustini, Leonis Magni, & Ambrosii (42), quæ dubitare nos haud sinunt dubitasse umquam veteres de Corporis Christi veritate in Eucharistia.

XVI. Accepta olim Eucharistia ab populo fuit, non uti nunc fit ad os, sed in manus. De Græcis testatur id Nazianz. Carm. *de Ornatu Mulier.*

Non horrent palmæ, quas Liba ad Mystica, *tendis*,
Et queis depingis triste, & inane decus?

Addas etiam Clem. Alexandrinum, Origenem, Cyrillum Hierosolymitanum, Basilium, atque alios (43). Neque dispar fuit occidentis disciplina, ut eruitur ex Tertulliano, Cypriano, Ambrosio, atque Augustino (44). Porro prisci Patres certam quandam ipsarum manuum formam in modum crucis jussisse videntur. Ita Cyrillus *Catech. Mystag. V. n.* 18. *Accedens ad communionem*, inquit, *non expansis manuum volis accede....sed sinistram veluti sedem quandam subjicias dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est*. Idem præscribit Synodus Trullana, & Damascenus (45).

XVII. Neque vero mireris, id quidpiam officisse venerationi, reverentiæque tanto Sacramento debitæ, quod illud quorumvis fidelium manibus attrectatum legas. Nam 1. id summa cum animi modestia fiebat, quod præscribunt passim Patres, & Concilia. 2. Erat & sua majoribus nostris sat commoda ratio, qua id ita factum vellent. Si enim inanima linteola Eucharistiam contingere poterant, quanto id magis Fidelium manus, qui *Templa sunt*, ex Apostolo, *Spiritus Sancti*, qui divinam summi opificis in se imaginem expressam gerunt? Hinc Trullana Synodus hanc praxim non probavit modo, sed ab communione segregavit & eos qui supra linteolum Eucharistiam excipiebant, & Presbyteros, qui id

(42) *August. Serm. de IV. Feria*. Quid dicit omnis homo, quando accipit sanguinem Christi? *Amen* dicit. Quid est *Amen?* Verum est.

Ambros. sive quis est Auctor de Sacram. Ambrosio certe coævus Lib. IV. Cap. V. Dicit tibi Sacerdos: *Corpus Christi*, & tu dicis: *Amen*, idest verum.

Ac verus Ambrosius de Initiandis Cap. IX. Post consecrationem sanguis nuncupatur, & tu dicis: *Amen*.

Leo Magnus Serm. VI. de Jejun. VII. Mensis. Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate Corporis Domini, & Sanguinis dubitetis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustra ab illis *Amen* respondetur, a quibus, contra id quod accipitur, disputatur.

(43) *Clem. Alex. Strom. I.* Nonnulli Eucharistiam ubi divisere, permittunt unicuique e populo illius partem sumere.

Basil. Epist. CCLXXXIX. ad Cæsaream Patric. Nam & in Ecclesia Sacerdos partem dat, & qui suscipit eam, retinet cum omni libertate, & sic propria manu ori admovet.

Cyrill. Hieros. Catech. Mystag. V. num. XVIII. Orig. Hom. XIII. in Exodum.

(44) *Tertull. de Coron. Milit. Cap. III.* Eucharistiæ sacramentum non de aliorum manu, quam præsidentium sumimus. *Et de Idolol. Cap. VII.* Eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt.

Cyprian. de lapsis: Jacens stantibus, & integris vulneratus minatur, & quod non statim Domini Corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini Sanguinem bibat, Sacerdotibus sacrilegus irascitur.

Ambros. Orat. ad Theod. ap. Theodoret. Lib. V. Cap. XVIII. Quomodo sacrosanctum Domini corpus ejusmodi manibus excepturus es? Quomodo pretiosum sanguinem admoturus es ori tuo?

August. sæpe, præsert. contra Lit. Petiliani Lib. II. Cap. XXIII.

(45) *Conc. Trull. Can. CI.* Si quis, immaculati corporis in synaxis tempore particeps esse voluerit, & offerre se ad communionem, manus in crucis formam figurans, sic accedat.

id finerent (46). 3. Illud etiam ex ea praxi qualecumque bonum colligi posse credebant, quod fideles facilius manus eas ab facinoribus continerent, quas sciebant esse quotidie velut parvum summi Dei templum. Hinc vehementes illæ Patrum reprehensiones, hinc frequentes invectivæ, Chrysostomi (47) præsertim, ex uno sæpe hoc fonte petitæ, quod manus, quibus paulo ante Christum contigerant, easdem paulo post fœda scelerum omnium labe inquinarent. Nullum scribendi finem facerem, si singula Patrum loca huc facientia corradere vellem. Illud juvat monuisse, minime, quæ nunc est, vituperandam esse disciplinam, qua hostia ori admovetur, non jam manui. Parum enim refert manuine an ori porrigatur, dummodo non inanimis linteolis (48), quod vetuit Trullana Synodus.

XVIII. Priscus tamen mos Eucharistiam ad manus porrigendi, saltem quod ad feminas attinet, diu in occidente non mansit. Quidam ab ætate usque Augustini desiisse colligunt ex ejus Sermone CCLII. *De tempore*, ubi: *omnes viri*, inquit, *quando communicare desiderant, lavant manus: & omnes mulieres exhibent linteamina, ubi Corpus Christi accipiant*. At falluntur. Est enim is sermo non Augustini, sed Cæsarii Arelatensis, quod adnotarunt Patres Maurini. Ergo sub Cæsarii tempore ea consuetudo per Gallias inolevit; reipsa quippe Concil. Antissiodorense ad *annum DXL.* habitum, quamvis *Linteaminum* non meminerit, vetat tamen ab mulieribus *manu nuda* Eucharistiam accipi (49). Quidam contendunt linteamina manus communicantium mulierum tegentia suo etiam nomine *Dominicalia* appellata fuisse ex *Can. XLII. ejusdem Conc. Antissiodorensis*. Perperam tamen. Est enim ibi Do-

(46) *Concil. Trull. ibid.* Eos enim qui ex auro, vel ex alia materia quædam loco manus receptacula efficiunt ad divini muneris susceptionem, & per ipsa immaculatam communionem recipiunt, minime admittimus, uti qui inanimatam subjectamque materiam Dei imagini præferant. Si quis autem deprehensus fuerit immaculatam communionem iis impartiens, qui ejusmodi receptacula afferunt, & ipse segregetur, & is, qui affert.

(47) *Chrysost. Hom. VI. contra Jud.* Quomodo excusaberis Christo? Quomodo illum implorabis precibus? Qua conscientia posthac ingredieris ecclesiam? Quibus oculis videbis Sacerdotem? Qua manu Sacram attinges mensam? *Eadem habet Hom. XXI. ad Populum Antioch. & in Eutrop. Tom. IV.*

(48) *Quis vero hic quantumvis patientissimus, ferre posset muliebrem ejulatum, elumbesque voces Binghami viri ceteroquin eruditissimi, sed partium studio prope dixerim fascinati, Romanos accusantis, quod contra veterum Patrum disciplinam, contra Trullanam sanctionem ori Eucharistiam tradant? Sed hic nullus locus his. Patres Eucharistiæ ad manus porrectionem commendarunt, Trullana etiam Synodus in Clericos animadvertit, qui eam super linteola porrigebant communicantibus. Esto. Atqui neque Romani linteamina umquam probavere, aut probant, sed ad os porrigunt. Neminem autem fore puto qui nobiliores, aut aptiores ore manus dicat sumendæ Eucharistiæ. Deinde prisci illi ad manus dabant, quum nondum usus Azimorum obtinuisset: neque enim facile uno haustu fermentatum accipere in os potuissent. Nunc mutata disciplina ac fermenta Azimis suffectis, aptius esse creditum est ori Eucharistiam admovere, quam manui. Sed scimus quo tandem decumani illi Binghami clamores ferant. Vult nempe eam mutationem porrigendi Eucharistiam tum demum ortam esse, cum nova de* Transubstantiatione *doctrina pullulavit. Sed in hoc quoque fallitur. Jam pridem enim, antequam ex eorundem sententia Transubstantiatio audiri cœperat, ori Eucharistia porrecta fuit. Gregorius Magnus* Dialog. Lib. IX. Cap. III. *narrat S. Agapetum I. quemdam claudum, atque mutum communicantem* Dominicum corpus in os immisisse. *Pontificatum vero iniit Agapetus anno DXXXV. Anno DCL. Concilium Rotomagense sub Clodoveo Francorum Rege Laicis hominibus Eucharistiam ad os dari præcipit:* Omnibus Presbyteris interdicimus, ut nullus in posterum id facere præsumat, sed ipsi cum summa reverentia.... Nulli autem laico, aut feminæ Eucharistiam in manibus ponant, sed tantum in os ejus. *Confer nunc hujus canonis epocham cum ætate Paschasii Ratberti Abbatis, qui floruit anno DCCCXVIII. quemque falso esse dicunt Calviniani Claudius, atque Albertinus auctorem doctrinæ de Transubstantiatione. Quantus hic ἀναχρονισμὸς erit?*

(49) *Conc. Antissiod. Can. XXXVI.* Omnes viri quando communicare desiderant, lavant manus: & omnes mulieres exhibent Linteamina, ubi Corpus Christi accipiant.

Dominicale velamen non manus, sed capitis (50).

XIX. Illa demum superest praxis laude dignissima psalmos canandi, interea dum populus communicabat. Hi vero Psalmi vel a Clericorum Choro, vel ab populo voce elata canebantur pro varia cujusque Ecclesiæ consuetudine. Difficile est vero statuere qui Psalmi apud omnes Ecclesias potissimum cantati fuerint. Satius erit uniuscujusque ritum persequi, prout se observanti dant monumenta. Const. Apostolicæ (51) cani jubent Psalmum *XXXIII. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.* Hieronymus (52) innuere videtur & hunc, & *XLIV. Eructavit cor meum verbum bonum*, cantatum fuisse. Refert quippe, vivideque describit psalmus ille cum laudes Christi, tum castam Ecclesiæ erga sponsum suum caritatem. Afros maxime præ ceteris psalmodiam commendasse inter communicandum, docet tum Tertullianus (53), qui meminit Psalmi CXXXII. *Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum!* tum Augustinus (54), qui librum contra Hilarium scripsit piam hanc Carthaginiensis Ecclesiæ praxim objurgantem. Chrysostomus (55) cantatum dicit Psalmum *CXLIV.* ob illud præcipue comma: *Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.* Neque dissonant Liturgiarum Rubricæ. Liturgia Chrysostomi ἀπλῶς a populo cantari jubet psalmos. Jacobæa præscribit Psalmum *XXXIII.* uti etiam Clementina. Denique Marci Liturgia Psalmum *XLI. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum &c.*

§. IV. *Olim adstantes omnes communicabant, ac subinde etiam usque ad XII. Ecclesiæ seculum ad utramque speciem admissi.*

XX. Nihil minus certum, quam tribus

(50) *Conc. Antissiodorense Can. XLII.* Ut unaquæque mulier quando communicat, Dominicale suum habeat; quod si qua non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet. *Est autem hic* Dominicale *non linteamen accipiendæ Eucharistiæ destinatum, sed muliebre capitis velamen. Namque ex Apostoli institutis semper feminis interdictum ecclesiam intrare nullo obnuptæ velo. At sane si Dominicale hic Eucharisticum foret, cur hunc canonem divisissent Antissiodorenses Patres ab Canone XXXVI, ejusdem Concilii, in quo jubetur ne mulieres nuda manu Eucharistiam sumerent? Deinde Dominicale capitis velamen fuisse, quo indutas mulieres ad Eucharistiam accedere oportebat, disertis verbis indicat Pœnitentiale vetus MS.* Si mulier communicans, *inquit*, Dominicale suum super caput suum non habuerit, usque ad alium diem Dominicum non communicet. *Hic vero hujus Pœnitentialis canon ita Antissiodorensem canonem explicare, atque illustrare videtur, ut cum ex eodem Concilio sumtus esse videatur, tum nullum deinceps relinquat dubitandi locum, Dominicale muliebre velamen fuisse.*

(51) *Constit. Apost. Lib. VIII. Cap. XIII.* Psalmus autem trigesimus tertius dicatur, dum reliqui omnes communicant.

(52) *Hieronym. Epist. XXVII. ad Lucin. Bœtium*: Utinam possimus Eucharistiam absque condemnatione nostri & pungente conscientia semper accipere, & psalmistam audire dicentem: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*; & cum eo canere: *Eructavit cor meum verbum bonum.*

(53) *Tertull. de Jejun. Cap. XIII.* Vide, quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. Hoc tu psallere non facile nosti, nisi quo tempore cum compluribus cœnas.

(54) *August. in Psalm. CXXXIII.* Psalmus brevis est, sed valde notus & nominatus. *Ecce quam bonum & jucundum* &c. Ita sonus iste dulcis est, ut & qui psalterium nesciunt, ipsum versum cantent.

(55) *Chrysost. Hom. in Psalm. CXLIV.* Hic psalmus est diligentissime attendendus. Hic est enim, qui habet hæc verba; quæ, qui sunt mysteriis initiati, assidue concinunt: *Oculi omnium in te sperant, & tu das cibum eorum in tempore opportuno.* Qui enim filius factus est & mensa spirituali fruitur, merito patrem gloria & honore adfecerit. Filius enim, inquit, glorificat patrem, & servus dominum suum timebit. Factus es filius, & mensa spirituali frueris, comedens carnem & sanguinem ejus, qui te regeneravit. Refer itaque gratiam pro tanto beneficio, & eum, qui hæc præbuit, gloria & honore adfice: & verba legens, compone mentem ad ea, quæ dicuntur: & cum dicit: *Exaltabo te, Deus meus, Rex meus*, (*quæ prima hujus psalmi verba sunt*) ostende magnam familiaritatem & conjunctionem, ut de te etiam dicas Deus, sicut & de Abraham, Isaac & Jacob, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob.*

bus prioribus Ecclesiæ Seculis fideles omnes sacræ præsentes synaxi de corpore Dominico, & sanguine participasse: huncque morem tenax servavit & occidens, & oriens Ecclesia. Ignatius Martyr (56) Fideles ut crebrius convenirent, hortatur *εἰς εὐχαριστίαν, καὶ δόξαν ad Eucharistiam sumendam, & laudes Deo decantandas*. Neque enim congregabantur, nisi & sumerent Eucharistiam. Dionysius Alex. (57) testatur, unicuique e populo sacramentum impertitum fuisse, ubi conventum fuerat ad synaxim. Justinus Martyr (58), cui orientis, occidentisque Ecclesiæ mores æque noti, ordinem ipsum Liturgicum Imperatoribus Paganis describens clare ostendit Eucharistiam fuisse omnibus adstantibus distributam. Cyprianus (59) quotidie fideles omnes communicasse dicit, propterea que dictum panem Eucharisticum in oratione Dominica *Panem quotidianum*; ut adeo ex iis, alisque innumeris veterum Patrum testimoniis, quæ longum esset huc omnia congerere, certum sit, atque indubium, neminem fidelium, qui quidem synaxi interesset, neque pœnitentiæ stadium decurreret, ab Eucharistica communione temperasse sibi.

XXI. Immo non una sunt Concilia, non unæ Patrum invectivæ in eos, qui Eucharistia abstinebant, nulla præpediti sat justa caussa. Sunt bini Canones (60) sic dicti Apostolici, quorum alter Ministros altaris, qui præter justam caussam communionem omitterent, laicum in ordinem redigi jubet: alter expellit ab Ecclesia i. e. excommunicat eos, qui Ecclesiam ad synaxim ingressi, de Eucharistia non participabant. Idem sanxit Conc. Antiochenum habitum ad medium Seculum *IV*. (61). Concilium Illiberitanum cavet, ne munera, & oblationes ab iis accipiant Episcopi, qui non communicarent (62), quod ipsum genus erat excommunicationis. Denique Chrysostomus (63) ait illos modo ab Eucharistica communione excusari, qui sunt

(56) *Ignat. M. Ep. ad Ephes. num. XIII.* Date operam ut crebrius congregemini, ad celebrandam eucharistiam Dei & ad eum laudandum. Quando enim sæpius in idem loci convenitis, labefactantur vires satanæ, & concordia vestræ fidei solvitur exitium, quod ille infert.

(57) *Clem. Alex. Strom. I.* Eucharistiam quum quidam, ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ea populo ejus partem sumere.

(58) *Justin. M. Apol. II.* Solis, qui dicitur, die omnium, qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit: & commentaria Apostolorum, aut scripta prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde lectore quiescente, Præsidens orationem, qua populum instruit & ad imitationem tam pulcrarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc consurgimus communiter omnes & precationes fundimus: & sicuti retulimus, precibus peractis panis offertur & vinum & aqua: & præpositus itidem, quantum pro virili sua potest, preces & gratiarum actiones fundit, & populus fauste acclamat dicens: *Amen*. Et distributio communicatioque fit eorum, quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti: absentibus autem per diaconos mittitur.

(59) *Cyprian. de Orat. Dominic.* Hunc panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes a cælesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur.

(60) *Canon. Apost. Can. IX.* Si quis Episcopus, presbyter, aut diaconus, aut ex sacri Ordinis catalogo, facta oblatione, non communicaverit, caussam dicat; quæ si rationi consentanea fuerit, veniam consequatur: sin vero non dixerit, segregetur; ut qui populo auctor fuerit offensionis, & suspicionem indiderit adversus eum, qui obtulit, quasi non recte obtulerit.

Can. X. Cunctos fideles, qui in sanctam Dei ecclesiam ingrediuntur, & sacras scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione & sancta communione, velut in Ecclesiam inducentes confusionem, segregari oportet.

(61) *Conc. Antioch. Can. II.* Omnes, qui in ecclesiam ingrediuntur, & sacras scripturas audiunt, orationi autem cum populo non communicant, vel sanctam eucharistiæ participationem propter aliquam insolentiam aversantur, eos ab Ecclesia expelli (*oportet*) donec, postquam confessi fuerint, fructusque pœnitentiæ ostenderint, & imploraverint, veniam adsequi possint.

(62) *Conc. Illiber. Can. XXVIII.* Placuit ab iis, qui non communicant, episcopos munera accipere non debere.

(63) *Chrysost. Hom. III. in Ephes.* Omnes, qui non participant, sunt in pœnitentia. Si es ex iis, qui sunt in pœnitentia, non debes participare. Nam qui non participat, est in pœnitentia.

sunt in pœnitentia constituti, ceteris omnibus, ni quidem vellent pœnitentia affici, participandam esse Eucharistiam.

XXII. Jam vero ex hoc illud etiam colligas, frequentissimas fuisse veterum Christianorum communiones: Namque illi sæpius in hebdomada sanctas synaxes celebrabant, e quibus, ut diximus per tria priora Secula, nemo sancto impastus Pane discedebat. Sed jam distinctius de frequentia Synaxium loquamur. Atque ut ab Oriente ordiamur, Cæsareensis Exarcharus Ecclesias quater singulis in hebdomadis conventus Eucharisticos egisse, id est feria IV. VI. Sabbato & Dominica auctor est Basilius (64). Constantinopolitana Ecclesia ter in hebdomada teste Chrysostomo (65), id est in Parasceve, Sabbato, & Dominica. Alexandrini solis Sabbato, & Dominica, feria vero IV. VI. & Sabbato conventus quidem agebant, Eucharistiam vero neque conficiebant, neque sumebant. Ægyptii, & Thebaidis accolæ Dominica item, & Sabbato pomeridianis horis, uti hæc fuse narrat Socrates (66). Cyprica Ecclesia, teste *Epiph. de Exp. fidei num. XXI.* feria IV. & VI. Ergo omnibus his diebus fideles in primis Ecclesiæ Seculis communicabant, id est omnis Oriens sæpius in hebdomada Eucharistiam participabat; namque etiam ea die, qua nullus agebatur conventus, puta in Lunæ, aut Jovis die, siquidem Martyrum memoriæ recurrebant, Eucharistia ex more conficiebatur, quod docent diserte Basilius, & Chrysostomus.

XXIII. Ceterum negari non potest in Occidente longe frequentiores fuisse communiones. Hinc sæpe Augustinus (67) dicit alicubi quaque die, alibi per intervallum sumi Eucharistiam. Ego vero existimo pene universas majores Occidentis Ecclesias singulis diebus communicasse, quodque secundo ait Augustinus ad Orientales maxime pertinuisse. Sane vero Carthaginiensem Ecclesiam jam inde ab ævo Cypriani quotidie Sacrificium celebrasse, docet sæpe (68) idem Cyprianus, præsertim *Epist. XXXVIII. ad Thibaritanos* ubi eos hortatur: *idcirco eos*, inquiens, *quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem*

(64) *Basil. Ep. CCXIX. ad Cæsariam Patris.* Quater in singulis Hebdomadis communicamus, in Dominica, & IV. Feria, & in Parasceve, & in Sabbato, & in aliis diebus, si quando memoria occurrit alicujus martyris.

(65) *Chrysost. Hom. V. in I. ad Timoth.* Unum quippe atque idem est, eadem est sancti spiritus gratia, semper pascha est. Nostis profecto, qui initiati estis, id quod dicimus, sive sexta feria, sive sabbato, sive Dominica die, sive in celebritate martyrum, eadem litatur hostia, idem sacrificium consumatur.

(66) *Socrat. Lib. V. Cap. XXII.* Nam cum omnes ubique terrarum ecclesiæ per singulas hebdomadas die Sabbati sacra mysteria celebrent, Alexandrini tamen, & Romani vetustam quamdam traditionem secuti id facere detrectant. Sed Ægyptii, qui Alexandrinis vicini sunt, & ii, qui Thebaidem incolunt, Sabbato quidem collectas calebrant: non tamen, sicut mos est Christianorum, sacra Mysteria percipiunt. Postquam enim epulati sunt, & omni ciborum genere saturati, sub vesperam oblatione facta communicant. Præterea Alexandriæ quarta feria, & ea, quæ dicitur Parasceve, leguntur sacræ Scripturæ, easque doctores interpretantur: & cuncta fiunt, quæ ad collectam pertinent, præter mysteriorum celebrationem. Atque hic mos Alexandrinæ Ecclesiæ vetustissimus est. *Hoc tamen loco nonnihil Socrates habere videtur contra quam quod supra dixi. At enim Alexandrinos Sabbato non communicasse, in eoque cum Romanis convenisse. At in eo lapsus est. Athanasius enim, cui profecto notior ecclesiæ suæ praxis esse debuerat, disertis verbis testatur Alexandrinos Sabbato, uti etiam Dominica, Christum adoraturos convenisse.* Sabbati, *inquit*, die congregamur, non quod Judaismi morbo laboremus: numquam enim falsa sabbata vel attigerimus; sed ad sabbatum accessimus Dominum Sabbati Jesum adoraturi. *Hæc ille Hom. De semente Tom. I. Sed adhuc clarius longe ante Athanasium Timotheus Epist. Canon. Can. XIII.* Necessario sabbato, & die Dominico abstinere oportet, quia spirituale sacrificium in eis Domino offeratur. *Quare mirari hic subit, Valesium hæc non advertisse.*

(67) *Augustin. Tract. XXV. in Joann.* Hujus rei Sacramentum, id est unitatis Corporis & sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica mensa præparatur & sumitur.

(68) *Cyprian. De Orat. Dom. Vid. Sup. Not.* (59).

nem fundere . Romæ item , uti & per Hiſpanias ſingulis diebus oblatam, diſpertitamque Euchariſtiam fuiſſe teſtatur Hieronymus (69). De Italia vero, ejuſque metropoli Mediolano illuſtre habemus Ambroſii teſtimonium *de Sacram. Lib. IV. Cap. VI. Si quotieſcumque*, inquit, *effunditur Sanguis , in remiſſionem peccatorum funditur, debeo illum ſemper accipere.... Qui ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam* . Ex quibus omnibus plane ſtatuas quotidianæ Communionis praxim majores fere Occidentis Eccleſias ſequutas fuiſſe.

XXIV. Atque utinam diu retinuiſſent, neque in tantum prolapſa foret diſciplina , ut iis in Eccleſiis , in quibus olim quotidie , nunc vix ſemel per annum fideles communicent ? Sed hujus declinationis gradus atque epochas inſpiciamus . Græci ſub finem IV. Seculi jam ex frequenti communione declinaſſe multis ſæpe in locis docet Chryſoſtomus , præſertim ubi ait , fuiſſe ævo ſuo qui vix in annum Euchariſtiam ſumerent (70) , quod ipſum in Græcis arguit Ambroſius (71): donec demum Seculo VII. eo res adducta eſt , ut qui ſemel per tres Dominicas non communicaret , is demum excommunicaretur , quod teſtatur apud Acherium *Spicil. Tom. IX.* Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus: *Græci*, inquit , *omni Dominica die communicant ſive Clerici, ſive Laici , & qui tribus Dominicis non communicaverit , excommunicetur*. Tenaciores quidem fuere Occidentales, quos VII. Seculo omnes ſi minus quotidie , pluribus certe hebdomadis diebus de Euchariſtia participaſſe apparet ex Homilia in Cœna Domini S. Eligii Noviomenſis, qui quæſtionem memorat Auguſtini item ætate agitatam, an ſcilicet rectius hi faciant, qui ſingulis, an qui per intervallum diebus communicant , eamque ſic ſolvit: *Et ille honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere*. Immo etiam per IX. Seculum nondum penitus abolita quotidiana communio . Namque Walfridus Strabo (72) hanc ſolvit quæſtionem, an qui pluribus eadem die miſſis intereſt, poſſit, debeatque etiam pluries participare :

(69) *Hieronym. Epiſt. I. ad Pammach.* Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem , ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant. *Et addit*: quod nec reprehendo, nec probo. Unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundet.

Idem Epiſt. XXVIII. ad Lucinium Boetium: De Euchariſtia, quod quæris , an accipienda quotidie, quod Romanæ Eccleſiæ & Hiſpanicæ obſervare perhibentur: ſcripſit quidem & Hippolytus, vir diſertiſſimus , & carptim diverſi ſcriptores e variis auctoribus edidere . Sed ego illud te breviter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant , ita obſervandas, ut a majoribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubverti. Atque utinam omni tempore jejunare poſſimus quod in actis Apoſtolorum, diebus Pentecoſtes, & die Dominico, Apoſtolum Paulum, & cum eo credentes feciſſe legimus. Nec tamen Manichææ hæreſeos accuſandi ſunt , quum carnalis cibus præferri non debuerit ſpirituali. Euchariſtiam quoque abſque condemnatione noſtri & pungente conſcientia, ſemper accipere, & pſalmiſtam audire dicentem: *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus* .

(70) *Cryſoſt. Tom. XVII. in Hebræos*: Multi hujus ſacrificii ſemel toto anno ſunt participes, alii autem bis, alii vero ſæpe. Quinam erunt nobis magis accepti , an qui ſemel , an qui ſæpe , an qui raro ? Nec hi, nec illi, ſed ii, qui cum munda conſcientia , qui cum mundo corde, qui cum vita, quæ nulli eſt affinis reprehenſioni . Qui ſunt hujuſmodi , ſemper accedant, qui non ſunt hujuſmodi, ne ſemel quidem.

(71) *Pſeudo-Ambroſ. De Sacram. Lib. V. Cap. IV.* Si quotidianus eſt panis , cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit . Sic vive, ut quotidie merearis accipere . Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere .

(72) *Walfrid. Strabo Cap. II.* Quia de communicandi varietate quædam præmiſimus , hoc addendum videtur, eſſe quoſdam, qui ſemel in die communicare, etiam ſi pluribus interfuerant miſſis, pro dignitate Sacramentorum ſufficere credant, eſſe vero alios , qui ſicut in una, ſic in omnibus, quibus adfuerint miſſis, in die communicare velint. Quorum neutros culpandos exiſtimo , quia ſicut Auguſtinus ait de his , qui quotidie communicant , & illis, qui rarius , iſtos reverentia ſanctarum retrahit rerum , illos vero amor ſalubrium invitat Sacramentorum . Nam & ipſe Sacerdos , quoties in die miſſas facit , communicare non omittit . Quod ſi non faciat , canonico eſt feriendus judicio.

re de Eucharistia. Ceterum jam pridem alicubi remitti cœperat. Namque ævo Leonis III. i. e. ad annum circiter *DCCXCV.* Canon *L. Conc. Turonensis* jubet laicos homines si minus frequenter, at ter certe in annum ad Eucharistiam accedere, Pascha nempe, Pentecoste, & Natali Domini: Donec tandem in Conc. Lateranensi sub Innocentio III. jussum fidelibus fuit, ut saltem solo Paschate communicarent.

XXV. Præterea & illud quoque æque certum, per duodecim priora Ecclesiæ Secula in publico solemnique Eucharistiæ ministerio sub utraque specie fuisse Eucharistiam qua Clericis, qua laicis ministratam. Præstat hic verba exscribere Cardinalis Bonæ id asserentis *Lib. II. Rer. Liturg. Cap. XVIII. §. I. Certum est*, inquit, *omnes passim Clericos, & laicos viros, & mulieres sub utraque specie sacra mysteria antiquitus sumsisse, quum solemni eorum celebrationi aderant, & offerebant, & de oblatis participabant. Extra sacrificium vero, & extra Ecclesiam semper, & ubique communio sub una specie in usu fuit. Primæ parti adsertionis consentiunt omnes, nec eam negare potest, qui vel levissima rerum Ecclesiasticarum notitia imbutus sit. Semper enim, & ubique ab Ecclesiæ primordiis usque ad seculum duodecimum sub specie panis, & vini communicarunt fideles: cœpitque paulatim ejus seculi initio usus calicis obsolescere, plerisque Episcopis eum populo interdicentibus ob periculum irreverentiæ, & effusionis, quod inevitabile erat, aucta fidelium multitudine, in qua deesse non poterant minus cauti & attenti ac parum religiosi... Hæc mutatio facta est primum a diversis Episcopis in suis Ecclesiis, deinde a Synodo Constantiensi canonica sanctione, pro omnibus stabilita.* Hæc vir eruditissimus, ex quibus & tempus, & caussam mutationis edisces.

XXVI. Hic tamen duo breviter animadvertas: nam fusior alibi habebitur sermo. 1. Nusquam Patres sub una specie communionem reprehendisse. Neque enim nostram, quæ nunc est, consuetudinem damnat Gelasius ap. Gratianum *de Consecr. Distinct. II. Cap. XII.* sed Manichæam impietatem respicit, quum air: *Comperimus quod quidam sancta tantummodo Corporis sacri portione contenti, a Calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio, quia nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra sacramenta percipiant, aut integris arceantur. Quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Manichæorum enim error ac superstitio fuit, credere vinum esse fel Diaboli, productumque a Principe tenebrarum fuisse, propterea que temperandum fore sibi ab Calicis sumtione. Vide Leonis Magni Sermonem IV. de Quadragesima, ubi id memoriæ prodit (73).

XXVII. 2. Nunquam Communionem sub utraque specie velut homini Christiano ad salutem penitus necessariam, aut divina institutione præceptam existimasse Patres veteres: aliter numquam sub una eam specie impertiri sivissent; quod tamen factum pluribus in casibus quis ignorat? Nam 1. ægrotantibus panis solummodo ministrabatur. Sic Dionysius Alex. apud Eusebium refert seni cuidam nomine Serapioni ab Presbytero per puerum missum Eucharisticum panem, quem ille aqua leviter intinctum deglutivit. 2. Panis item ab fidelibus domi servatus, ut cum vellent, communicarent. Tertullianus perspicue id docet *Lib. de Orat. Cap. XIV. Accepto Corpore Domini, & reservato: utrumque salvum est: & participatio sacrificii, & exequutio officii.* Addas etiam Cyprianum *Lib. de Lapsis: Quum quædam mulier*, inquit, *arcam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere*; aliosque. 3. Ad absentes in communionis mutuæ signum missus. Ita Martyr Irenæus *Epist.* *ad*

(73) *Leo Magnus Serm. IX. De Quadrag.* Quumque ad tegendam infidelitatem suam (*Manichæi*) nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno Corpus Christi accipiunt, sanguinem autem Redemptionis nostræ haurire omnino declinant.

ad Victorem P. apud Euseb. narrat hujus prædecessores solitos Eucharistiam, Panem scilicet, adventantibus Romam Episcopis transmittere (74). 4. Unum Christi Corpus ab peregre iter facientibus delatum, præsertim si in longinquas regiones concederent, itemque ab navigantibus. Aliter quippe, vinum ne acesceret, merito timendum erat. 5. Denique una panis Eucharistici species in Ecclesiis arculis ad id fabrefactis, turritis plerumque, marmoreis, argenteis, atque aureis servata. Venantius Fortunatus *Lib. III. Carm. XXV.* Corporis Christi meminit in turri aurea asservari quam Felix Bituricensis Episcopus construxerat:

> *Quam bene juncta decent, sacrati ut* Corporis *Agni*
> *Margaritum ingens, aurea dona ferant!*
> *Cedant Chrysolitis Salomonia vasa metallis:*
> *Ista placere magis ars facit, atque fides.*

Sed longe etiam prius Optatus Milevitanus *Lib. II.* narrat in Ecclesia reconditam Eucharistiam Donatistas per summum scelus canibus projecisse, qui rabie incensi homines ipsos vindice dente dilaniarunt. Denique, ut ne plura loco non suo congeram, eccui non auditæ argenteæ *Columbæ* in altari suspensæ, eccui non lectæ *Capsæ* illæ pretiosæ continendo utique Corpori Domini destinatæ, ut siqua id posceret necessitas, inde ad ægrotos Eucharisticus panis deferretur (75)? Id vero cum primis notarunt antiqui: cum non ita facile apud illos invenias vas aliquod nominatum Sanguini Domini ad plures dies servando fabricatum.

XXVIII. Jam vero ex iis omnibus id statuas, quod sanus quisque nullisque præjudicatis opinionibus irretitus lubens judicaret, antiquam scilicet Ecclesiæ praxim Eucharistiam sub utraque specie distribuendi ex eorum genere fuisse, quæ Ecclesiæ potestati relicta pro temporum, locorumque περιστάσεσι *circumstantiis* mutari possunt, prout fert Fidelium utilitas, sanctæque Religionis dignitas, salva semper tamen, tectaque fidei ipsius substantia. Hinc quippe sagax, atque provida omnium Mater Ecclesia gravibus, justisque adducta caussis veterem demum disciplinam mutandam merito censuit, quum id vidit magis fidelium utilitati, tantique Sacramenti dignitati expedire. At de his fusius alibi.

§. V.

(74) *Irenæus Epist. ad Vict. Rom. apud Euseb. Lib. V. Cap. XXIV.* Verum illi ipsi, qui te præcesserunt Presbyteri, quamvis id minime observarent, Ecclesiarum Presbyteris, τοῖς ἀπὸ τῶν παροικιῶν ἐπισκόποις qui id observabant, eucharistiam transmiserunt. *Eucharistiam hic unam panis speciem intelligas, necesse est. Sive enim οἱ ἀπὸ τῶν παροικιῶν ἐπίσκοποι sunt orientalium Ecclesiarum Episcopi, quod egregie probatum dedit Valesius in hunc Euseb. locum, qui Sanguis una cum Corpore ad longinquissimas regiones transmitti potuisset? Periculum enim erat aut effusionis, aut corruptionis. Sive sunt intra Urbem hospitantes Episcopi, quod perperam sensit Renbanus; his etiam Romani Antistites Panem solum, Lautiorum vice, transmisere ex antiqua ejus Ecclesiæ consuetudine, Fermentum jam pridem ab Pontifice consecratum per Acolythos mittendi cum peregre adventantibus aliarum Ecclesiarum Episcopis, tum Titularibus Urbis Presbyteris. De eo accipiendus Innocentius I. Epist. ad Decent. Eugub. Episcopum Cap. V.* De Fermento vero, quod die Dominico per Titulos mittitur, superfluo nos consulere voluisti, quum omnes Ecclesiæ nostræ sint intra urbem constitutæ, quarum Presbyteri, qui die ipso propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolythos accipitur, &c.

(75) *Concil. Arausic. Can. XVII.* Cum capsa & calix offerendus est, & admixtione Eucharistiæ consecrandus. *Mss. habent pro τὸ offerendus* Inferendus, *quod expressius esse puto. Notat enim id pressius universam ejus ritus rationem, qua Subdiaconi, vel Diaconi acceptam ab Episcopo Romano fermentati particulam ad titulares Episcopos in Capsis ad id destinatis deferebant, ex iisque illis celebrantibus particulam fermenti porrigebant. Ducangius videtur opinari Capsas unis sanctorum reliquiis continendis usitatas fuisse. Sed cum ex hoc, tum ex vetusto ordine Romano apparet Capsas eas etiam fuisse deferenda Dominico Corpori constructas.* Subdiaconus, ut est *in Ord. Rom. I. n. VIII.*, tenens manum suam in ore *Capsæ* ostendit Sancta Pontifici. *Sancta i. e. Corpus Domini.*

§. V. *Quid factum de Eucharistiæ reliquiis, quæ supererant.*

XXIX. Eucharistiam Clero, populoque ubi dispertiverant, si quid fragmentorum supererat, pueris innocentibus ministrabant, non ipsa quidem die, sed alia ex subsequentibus feriis. Hinc *Conc. Matisconense II. anno DLXXXVIII. Can. VI. Quæcumque*, inquit, *Reliquiæ Sacrificiorum post peractam Missam in Sacrario superfederint, quarta vel sexta feria innocentes ab illo, cujus interest, ad Ecclesiam adducantur, & indicto eis jejunio, easdem reliquias conspersas vino percipiant*. Eandem consuetudinem Constantinopoli fuisse tradit Euagrius: *Vetus est*, inquit, *consuetudo Constantinopoli, ut quoties ex sacris partibus immaculati Corporis Christi Dei nostri, magnus numerus superfuerit, pueri impuberes ex iis, qui Grammaticorum scholas frequentant, evocentur, qui eas manducent*. Ubi & puerum Hebræi hominis filium memorat, quem inter catholicos pueros idem fecisse quum compertisset pater, in vitream fornacem conjecit, quem tamen post triduum inter flammas innoxium, divinitusque servatum mater suscepit (76). Hanc ipsam historiam narrant Gregorius Turonensis, & Nicephorus Callixtus, qui addit, sibi quoque, quum nondum ex ephebis excessisset, sæpius contigisse (77), ut ex sanctis Eucharistiæ reliquiis comederet.

XXX. Nonnulli, uti Binghamus, addunt Eucharistica fragmenta fuisse etiam adstantibus Clericis, populoque didita, idque confirmant ex quodam Theophili Canone. At ut id verum fuerit, ex eo certe Theophili loco erui nequit: ubi de Eulogiis potius, seu de panibus ab populo oblatis, benedictisque loquitur. *Quæ in Sacrificii rationem adferuntur*, inquit Can. VII. *post ea, quæ in Mysteriorum usum consumuntur, Clerici dividant, & nec Catechumenus ex his comedat, vel bibat, sed solum clerici, & qui cum iis sunt fideles fratres*. Quis non videt vinum, panemque, de quibus hic agit Theophilus, discreta ab iis fuisse, quæ in mysteriorum usum consumebantur? Illud rectius ab nonnullis aliis observatum, consuevisse V. Seculo Hierosolymitanam Ecclesiam superstites Eucharistiæ reliquias igne absumere instar Judaicæ Synagogæ, quæ fragmenta sacrificiorum igni addicebat, ut est in Levitici *Cap. VII. v. 7.* Vide Hesychium ejus Ecclesiæ Presbyterum, qui Seculo V. floruit (78). Jam vero simile quidpiam etiam inter occidentales obtinuit. Namque Conc. Arelatense apud *Ivonem Parte II. Cap. LIX.* statuit, ut si forte Panis Eucharisticus per Ministrorum incuriam putresceret, igne combureretur, cinisque juxta altare seponeretur, idque passim obtinuisse docet Algerus *Lib. II. Cap. I.*

XXXI. Demum observes fuisse pueris jejunium indictum, qui de Eucharistiæ reli-

(76) *Euagr. Lib. IV. Cap. XXXVI.* Id eo tempore cum accidisset, una cum aliis pueris convocatus est filius vitriarii cujusdam, qui secta erat Judæus. Hic puer parentibus caussam moræ ex ipso sciscitantibus, id quod factum fuerat, exposuit, & quod ipse una cum reliquis pueris degustasset. Pater ira atque indignatione succensus, illico filium correptum in fornacem ardentem conjecit, in qua vitrum formare consueverat. Mater vero puerum quæritans quum reperire non posset, per totam Urbem circumibat, plorans atque ejulans. Tertio demum die ad ostium officinæ mariti sui stans, filium nominatim inclamare cœpit, flens atque se ipsam lacerans. Tum puer agnita matris voce ei respondit ex fornace. Statimque mater perfractis foribus introgressa, puerum inter carbones stantem videt, quem ignis nullatenus ambusserat. Qui postea interrogatus, quonam modo illæsus permansisset, mulierem purpurea indutam veste crebro ad ipsum ventitasse dixit, & aquam ipsi porrexisse, & carbones, qui juxta ipsum erant, restinxisse: cibum quoque esurienti præbuisse.

(77) *Niceph. Lib. XVII. Cap. XXV. toto.*

(78) *Hesych. in Levit. Lib. II.* Quod reliquum est de carnibus & panibus, in igne incendi præcepit. Quod nunc videmus sensibiliter etiam in Ecclesia fieri, ignique tradi, quæcumque remanere contigerint inconsumta, non omnino ea, quæ una die, vel duabus aut multis servata sunt.

reliquiis participaturi erant. Sanxit enim id Conc. Matisconense II. statim post relata superius verba, ubi & illud quoque addit, panis fragmenta vino esse conspergenda: *Et indicto eis (pueris) jejunio easdem reliquias conspersas vino percipiant*. Tanta adeo fuit in hoc sacramentum religio, ut ne ipsis quidem infantibus concesserint ad illud non jejunos accedere.

§. VI. *De veterum* Postcommunione: *ea duas partes complectebatur* Gratiarum actionem, *&* Populi Benedictionem.

XXXII. Sancta Eucharistia rite distributa, ut est in Constit. (79) populum hortabatur Diaconus, ut quandoquidem pretioso Domini Corpore, & Sanguine refecti erant, Deo gratias agerent, rogarentque etiam ut sacrorum Mysteriorum participatio sibi quidem cederet non in damnationem, sed in peccatorum remissionem, æternæque beatitudinis velut præceptionem. Tum vero Episcopus primo Gratiarum actionem exorditur (80), in qua Deo gratulatur pro adstante populo, quod dignos eos effecerit, qui de Corpore Christi sumerent, ac de sanguine biberent, porroque etiam rogabat pro singulis Ecclesiæ membris Sacerdotibus, Regibus, Virginibus, Conjugibus, Pueris &c. ut quod in eorum cum temporariam, tum æternam cederet felicitatem, propitius annueret. Deinde, rursus Diacono plebem monente, ut caput ad Episcopalem benedictionem inclinaret, ille populum benedicebat, eique bona omnia adprecabatur oratione magnifica admodum, Deique laudum plena quam describit Auctor Constit. (81). Hæc vero omnia ubi completa erant, tum demum Diaconus populum dimittebat formula illa Græcis fat usitata ἀπολύεσθε ἐν εἰρήνῃ *Ite in pace*. Atque hic finis est Liturgici ministerii, quod Auctor Constitutionum memoriæ prodidit. Illud modo reliquum

(79) *Constitut. Apost. Lib. VII. Cap. XIV.* Percepto pretioso corpore & pretioso sanguine Christi, agamus gratias ei, qui dignos effecit nos, ut participes essemus sanctorum ejus mysteriorum; rogemusque, id nobis non in judicium ac damnationem fieri, sed in salutem, in utilitatem animæ & corporis, in custodiam pietatis, in remissionem peccatorum, in vitam futuri seculi.

(80) *Ibid. Cap. XV.* Domine, Deus omnipotens, Pater Christi tui, benedicti filii, exauditor eorum, qui recte invocant te, cognitor precum etiam eorum, qui tacent, gratias agimus tibi, quod nos dignos censuisti, qui participaremus sancta tua Mysteria, quæ præbuisti nobis ad plenam eorum, quæ bene cognovimus, persuasionem, ad custodiam pietatis, ad remissionem delictorum; quoniam nomen Christi tui invocatum est super nos, & tibi adjuncti sumus. Qui segregasti nos ab impiorum communione, aduna cum iis, qui tibi sunt consecrati, firma nos in veritate per sancti Spiritus adventum, quæ ignoramus revela, quæ novimus corrobora. Sacerdotes inculpatos conserva in cultu tuo. Reges tuere in pace; Magistratus in justitia; aerem in temperie; fruges in ubertate; mundum in omnipotente providentia. Gentes bellicosas seda: errantes converte: populum tuum sanctifica: Virgines conserva; conjuges custodi in fide: castos robora: infantes ad maturam ætatem perduc: nuper initiatos firma: catechumenos erudi, ac dignos initiatione redde: nosque omnes congrega in Regnum Cælorum in Christo Jesu Domino nostro: cum quo tibi gloria, honor ac veneratio, & sancto Spiritui in secula. *Amen*.

(81) *Constitut. Ap. Ibid.* Deus omnipotens, verax & incomparabilis, qui ubique existis, ac omnibus præsens es, & in nullo instar eorum, quæ insunt, contineris; qui locis non circumscriberis, temporibus non vetustescis, seculis non terminaris, verbis non seduceris; qui ortui non es subjectus, & custodia non indiges, & supra, extraque interitum es, ac conversionem recipere nequis atque natura es immutabilis; qui lucem habitas inaccessam, & natura invisibilis es; qui omnibus naturis rationalibus, te benevole requirentibus, notus es, & deprehenderis ab iis, qui in benevolentia vestigant te: Deus Israelis, vere videntis, in Christum credentis populi tui; propitius factus, exaudi me propter nomen tuum ac benedic iis, qui tibi inclinarunt cervices suas: atque da eis cordis eorum petitiones, quæ utiles sunt, & neminem eorum abjici facias a regno tuo; verum sanctifica illos, custodi, protege, adjuva, libera ab adversario, ab omni inimico; domos eorum serva; eorum introitus & exitus tuere: quoniam tibi gloria, laus, majestas, cultus, adoratio, & filio tuo Jesu, Christo tuo, nostro Domino, Deo ac regi, & sancto Spiritui; nunc, & semper, & in secula seculorum: *Amen*.

liquum est, ut duas has *Postcommunionis* partes Gratiarum scilicet actionem, & Benedictionem Episcopalem ex aliis quoque scriptorum Ecclesiasticorum monumentis comprobemus.

XXXIII. Ac sane nihil frequentius antiquitus inculcatum, quam necessitatem hujus Gratiarum actionis post perceptam Christi Eucharistiam. Augustinus (82) universum sacrificium Gratiarum actione concludi dicit. Cyrillus Hierosolym. (83) Catechumenis recens baptizatis interdicit, ne post communionem de Ecclesia discedant, sed Deo gratias agant, qui ipsos tanto mysterio dignos fecerit. Sed omnium vehementior est Chrysostomus, qui multa, acrique oratione eos exagitat, qui vix ut Eucharistiam sumserant, Ecclesia excedebant Gratiarum actionem non expectantes, quos ille merito Judæ proditori comparat. Dignus est locus, qui inferne legatur (84). Idem vero de Benedictione statuas, quam Liturgiæ omnes præscribunt, uti & Gratiarum Actionem. Vide clarissimos viros Goarium, & Renaudotium, qui Græcas, atque Orientales Liturgias edidere, notisque illustrarunt.

XXXIV. De formula autem dimittendi populum *ἀπολύεσθε ἐν εἰρήνῃ abite in pace* loquitur sæpe Chrysostomus, præsertim *Hom. LII. In eos qui Pascha jejunant Tom. V. Hoc conventu*, inquiens, *vos dimittens* (Diaconus) *hoc vobis precatur, dicens πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ abite in pace*. Illud tamen omissum hic ab Auctore Constitut. merito quis dicet, divinam nempe Psalmodiam, quæ apud plerasque Ecclesias Gratiarum actionem comitabatur. Verumtamen si minus hoc, at alio loco id docet idem Auctor, ubi præter hanc Gratulationem, quosdam etiam Psalmorum versus præscribit post Communionem cantandos (85). Addas etiam Chrysostomum *Hom. VI. de Pœnitentia*, ubi innuit fuisse ad finem Liturgici conventus Psalmos etiam decantatos: *Primus*, inquit, *& medius, & novissimus est David*. Præterea Jacobæa Liturgia diversos hymnos ex psalmis, aut e reliquis Scripturis haustos præscribit e. g. e Psalmo *LVI. Exaltare super cælos, & super terram gloria tua. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Serva Deus populum tuum &c.* Denique Liturgia Chrysostomi cani jubet hæc Psalmi CXII. verba. *Sit nomen Domini benedictum ex hoc, & nunc, & usque in seculum*: atque integrum Psalmum XXXIII. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo &c.*

(82) *August. Epist. LIX. ad Paulin.* Quibus peractis & participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.

(83) *Cyrill. Catech. Mystag. V. num. XIX.* Exspectans (*recens Baptizatus*) orationem gratias agant Deo, qui dignum eum effecerit tantis mysteriis.

(84) *Chrysost. Homil. XXIV. de Bapt. Christi.* Vultis, dicam, unde tumultus, & clamor oriatur? Quod non toto sacri tempore vobis fores occludamus, sed ante postremam gratiarum actionem resilire vos, domumque redire patiamur, quod & ipsum non mediocrem contemtum habet. Quid facis mi homo? præsente Christo, adstantibus Angelis, proposita ista tremenda mensa, dum adhuc fratres tui Mysteriis initiantur, tu relictis illis abscedis. Atqui ad prandium quidem si vocatus fueris, tametsi prius saturatus sis, recumbentibus ceteris, non audes ante amicos discedere: hic vero dum Christi Mysteria celebrantur, dum sanctum illud Sacrificium adhuc peragitur, omnia in medio derelinquis, & abscedis? Quis hæc tandem venia digna censuerit? quis defensione purgarit? Vultis dicam cujusnam opus perficient illi, qui ante complementum finemque discedunt, neque cœna absoluta gratiarum actionis hymnos offerunt? Durum fortasse, odiosumque videbitur, quod sum dicturus, sed necesse est tamen ob plerorumque negligentiam dicatur. Quomodo ultimæ cœnæ communicavit Judas nocte illa postrema, ceteris omnibus recumbentibus, ipse se proripiens excessit. Illum imitantur & isti qui ante ultimam gratiarum actionem discedunt: nisi enim exiisset ille, proditor factus non esset, nisi condiscipulos deseruisset, non periisset, nisi seipsum extra ovile proripuisset, non eum lupus solum offendisset, atque devorasset. Idcirco nimirum ille cum Judæis, isti vero cum Domino hymno dicto exierunt. Vides, ut extrema illa post sacrificium oratio ad illud fiat exemplum?

(85) *Constitut. Apost. Lib. VII. Cap. XXVI.* Εὐχαὶ μετὰ τὴν μετάληψιν Preces post Communionem: Maranatha h. e. Dominus venit. Hosanna Filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini. Deus Dominus, qui apparuit nobis in carne.

APPENDIX I.

De variis Missarum Generibus.

§. I. *De Missa* Publica.

I. Missæ Publicæ ea fuit olim apud antiquos subjecta notio, ut esset incruentum Eucharistiæ Sacrificium publice, ac palam in Ecclesiis Dei oblatum, Sacerdotibus, atque Episcopis sacrificantibus, Diaconis, Hypodiaconis, ceteroque clero, pro suis quisque muniis, ministrantibus, populo vero offerente, respondente, & communicante. Hæc, inquam, Publicæ Missæ notio est, siquidem de primis Ecclesiæ Seculis sermo sit. Namque in nostris, qui nunc sunt mores, Publicis Missis, neque jam populus universus offert, neque communicat, neque respondet vicissim, ejus vices fungente clero. At contra apud antiquos, ad ordinarium Liturgiæ ministerium quod attinet, in Ecclesiis, qua Orientalibus, qua Occidentalibus, Missæ celebratæ sunt publico Fidelium conventu, publica sacrificantium voce; semper populus panem, vinumque obtulit, Sacerdotum vocibus respondit, propositique Eucharistici Panis, ac Vini particeps fuit. Quod quamvis ex dictis hactenus perspicuum cuique esse possit, juvat tamen & hic breviter singula persequi.

II. Ergo 1. publice olim sive Episcopi cum Episcopis, sive cum Episcopis Sacerdotes simul celebrabant. Hinc antiquus ille in Ecclesiis consessus, Episcopi quidem ad medium Apsidis postica altaris parte, Sacerdotum vero hinc inde ad latera, uti graphice illum descripsit Gregorius Nazianz. (1). Simul enim cum Episcopo considebant Sacerdotes, assurgebant simul, sacrificabant simul. Hinc in *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XII.* ubi Liturgicum ministerium describitur, videas semper Presbyteros, Diaconos, atque Hypodiaconos una cum Episcopo ministrantes, a quo etiam communionem accipiebant, quod tradit idem Auctor *Ibid.* (2). Ad hæc *Conc. I. Toletan.* jubet Presbyteros omnes atque Diaconos sacrificio quotidiano interesse, eo profecto consilio, ut una cum Episcopo celebrarent (3). Immo postremis etiam temporibus, quod frequentior esse cœpit Missarum privatarum numerus, quilibet Sacerdos post peculiarem privatis in oratoriis Missam, ad publicam Missam convenire jubebatur, quod sanxit Canon ab Gratiano relatus (4). Denique Bassianus Ephesinus Exarcha *in Act. Conc. Chalced.* de Stephano Presbytero suo sibi per vim suffecto: *Stephanus*, inquit, *Presbyter meus fuit*; *quatuor annis Missas mecum celebrabat*, *mecum* com-

(1) *Greg. Naz. in Somn. Anast.*

Sede alta, haud alta cooſiſtere mente videbar,
Nam neque per somoum mente superbus eram:
Presbyterique graves sellis utrinque sedebant
Demissis: ætas lecta, ducesque gregis.

(2) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XIII.* Primum sumat, & communicet Episcopus, deinde Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi.

(3) *Conc. Tolet. I. Can. V.* Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intra civitatem fuerit, vel io loco, io quo Ecclesia est, aut castello, aut vico, aut villa, & ad Ecclesiam ad sacrificium quotidianum non accesserit, Clericus non habeatur, si castigatus, per satisfactionem veniam ab Episcopo noluerit promereri.

(4) *Grat. Distinct. I. Cap. Et hoc attendendum.* Ut Missæ peculiares, quæ per dies Dominicos a Sacerdotibus fiunt, non ita in publicum fiant, ut per eas populus a publicis Missarum solemniis, quæ hora tertia canonice fiunt, abstrahatur: & Sacerdos per altaria nequicquam Missas, ante secundam horam celebret, nisi tam caute ut populus a publicis solemnibus noo abstrahatur, sed sive Sacerdotes, qui in circuitu Urbis, aut in eadem Urbe sunt, sive populus ad unum ad publicam Missarum celebrationem conveniant.

communicabat. Idem colligas ex *Conc. Ephes. Relat. ad Cælest. P.* ubi dicitur, Ephesinos Patres una cum Memnone, & Cyrillo Episcopis sacris operatos fuisse (5). Denique hic mos per multa secula Romæ etiam obtinuit, ubi una cum Cardinalibus Presbyteris celebrasse Pontificem, testis est vetus Pontificale Rothomag. apud Menardum (6).

III. 2. Populus offerebat, respondebat, communicabat. Offerebant quidem quisque panem, & vinum, cujus pars sacrificio conficiendo usui foret, reliquum clero, & pauperibus dispertiretur, quod docent Patres omnes Latini, atque Græci, Augustinus præsertim (7), qui indignum homine Christiano, & ad offerendum idoneo esse dicit de alieno pane ad Eucharisticam mensam participare, nihilque ipsum ad Ecclesiam offerre. Respondebant vero sacrificantium Sacerdotum vocibus ad omnium Orationum clausulas, atque adeo ad ipsam Consecrationem *Amen* succinebant, quod e Latinis præ ceteris docent Tertullianus, atque Ambrosius (8), e Græcis passim omnes, quorum disciplinæ secularem etiam Sanctionem adjecit Justinianus (9). Communicabant denique omnes: cujus rei indicium luculentissimum sunt illæ latinarum Liturgiarum orationes post Communionem recitatæ, in quibus ita pro populo oratur, velut si omnes Eucharistiam sumsissent. Hinc illa: *Satiasti familiam tuam muneribus sacris: Quod ore sumsimus, pura mente capiamus &c.* Quæ profecto orata ab Sacerdotibus minime fuissent, nisi plerique omnes adstantium communicassent. Hinc jussum per Patres Antiochenos fuit (10), ut Christiani Ecclesiam ingressi communicarent, secus, qui id nollent, ejicerentur, atque excommunicarentur.

IV. Denique magna populi frequentia peragebatur sacrificium. Hinc liturgicæ preces omnes plurium semper nomine factæ. *Oremus*, inquit Sacerdos; *Dominus vobiscum*: cui populus: *& cum Spiritu tuo*. Hinc illa: *Supplices rogamus, & petimus*: *Hanc Oblationem cunctæ familiæ tuæ: Nobis quoque Peccatoribus: Unde & memores, Domine, nos Servi tui, sed & Plebs tua sancta &c.* Denique Christianorum frequentiæ in Ecclesiasticis conventibus illud etiam argumento esse potest, quod priscis ætatibus plerumque una Missa dicebatur, cui omnes Fideles interfuisse oportet. Quod si non omnes præ Ecclesiæ angustiis, proque populi turba audiendo fuissent, tum demum aliæ repetebantur Missæ, sed eadem pompa, eodem-

(5) *Conc. Ephes. Relat. ad Cælest. P.* Fratribus itaque nostris, & comministris Cyrillo, & Memnoni, quos contumelia affecerunt, communicamus omnes, & post temerariam illorum sententiam, una cum ipsis sacris operamur.

(6) *Vet. Pontif. Eccles. Rothomag. ap. Menard. Not. ad Sacram. p. 81.* Mos est Romanæ Ecclesiæ, ut in confectione Corporis & Sanguinis Domini adsint Presbyteri, & simul cum Pontifice verbis, & manibus conficiant. *Hic autem locus indicare videtur Presbyteros una cum Romano Pontifice celebrantes suis & ipsos verbis consecrasse: quod clarius expressit IX. seculi Scriptor Amalarius Lib. I. Cap. XII.* Presbyteri cum Pontifice verbis conficiunt: *quodque fit adhucdum in Ordinationum diebus*.

(7) *August. seu quis sit Auctor Serm. CCXV. de tempore*. Oblationes, quæ in altario consecrantur, afferte: Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit.

(8) *Tertull. Lib. de Spect. Cap. XXV.* Eo ore, quo *Amen* in Sanctum protuleris, gladiatori &c.

Ambros. Lib. de Initiandis: Ante consecrationem aliud dicitur: post consecrationem Sanguis nuncupatur, & tu dicis *Amen*, hoc est, verum est.

(9) *Justinianus quid multa sanxit ad Liturgicam rem, atque Ecclesiasticam pertinentia, quæ tamen ab nonnullis improbari solent, præsertim quod præscripsit Novel. CXXXVII. Cap. VI.* Jubemus omnes Episcopos, & Presbyteros non in secreto, sed cum ea voce, quæ a fidelissimo Populo exaudiatur, divinam oblationem facere .... Sic enim & divinus Apostolus docet, dicens in priore ad Corinthios Epistola: Ceterum si solum benedicis Spiritu, is qui idiotæ locum implet, quomodo tuæ gratiarum actioni subjiciet Deo sanctum illud *Amen?*

(10) *Concil. Antioch. Can. II.* Omnes, qui in Ecclesiam ingrediuntur, & Sacras Scripturas audiunt, orationi autem cum Populo non communicant, vel sanctam Eucharistiæ participationem propter aliquam insolentiam aversantur, eos ab Ecclesia expelli (*oportet*), donec postquam confessi fuerint, fructusque pœnitentiæ ostenderint, & imploraverint, veniam adsequi possint.

demque cultu: quod Leo Magnus præscripsit ad Dioscorum Alexandrinum: *toties scilicet iterandum esse sacrificium, quoties Basilicam præsentia novæ plebis impleverit*.

V. Hæc ergo fuit apud veteres Missæ Publicæ ratio, ritusque, quam etiam passim *Solemnem*, *Legitimam*, & *Generalem* appellitarunt. *Legitimam* quidem, quod Sacrificium publico hoc ritu oblatum propius, immo penitus ad primævam Ecclesiæ institutionem accedere visum est. *Generalem* vero, quod omnes generatim aderant. Denique *Publicam*, & *Solemnem*, quod ad illam magna populi multitudo confluebat, eratque cuique adeundi, audiendique jus & potestas. Hinc *Conc. Lateran. sub Callixto II.* Anno MCXIX. ut ne Abbates Missas Publicas in Monasteriis agerent, vetuit (11); ac longe prius Gregorius Magnus *ad Castorium Episcop.* (12) sanxit id ipsum; non quod ἁπλῶς *Privatas* jusserint; erant enim quotidie Publicæ, sed unis Monachis Missæ in ipsis Monasteriis; sed ut ne populi undecumque accurrentis frequentia, mulierumque maxime accessu Monachorum pietas uspiam interturbaretur. Ceterum hunc, quem descripsimus, Publicæ Missæ ritum sequuta deinde tempora plane non retinuere. Namque populi respondentis partes, uti & Oblationes sensim e publica Missa sublatæ sunt. Ad hæc, tepescente demum caritate, Magno sane Christianæ pietatis detrimento, in eo etiam publicæ antiquorum Missæ derogatum est, quod quum olim omnes, aut fere omne communicarent, nunc frequentes illæ communiones aliquanto remissæ sint.

§. II. *De Missa* Privata, *&* Solitaria.

VI. Missa Privata Publicæ opponitur, utque illa per plures ministros ab pluribus sive Episcopis sive Sacerdotibus peragebatur, populo offerente, respondente, & communicante; ita contra hæc ab uno Sacerdote, unoque ministrante celebrabatur, nulla populi frequentia, nullis communicantibus, præter ipsum Sacerdotem. Quamvis autem diffiteri nequimus antiquitus non ita frequentes eas Missas fuisse, ac nunc sunt, nullas tamen penitus fuisse, numquam conficiene Misolitergi Heterodoxi, sive Privatam Missam eam dicant, quæ non in Ecclesiis, sed privatis in oratoriis celebratur, sive quæ ab uno Sacerdote, unoque ministrante fit, sive cui nec frequens populus adsit, neque communicet.

VII. Igitur 1. Missæ antiquitus celebratæ sunt non publice in Ecclesiis, sed privatim per domos. Gregorium Nazianzi Episcopum Nazianzeni Patrem sacrificium sæpe intra domesticos parietes celebrasse tradit eius Filius *Orat. XIX. in laud. Patr.* Paulinus Presbyter scribit (13), Ambrosium Romæ rogatu Feminæ amplissimæ intra ejus domum sacrificium immolasse, additque etiam balneatricem quamdam paralysi laborantem tactu viri sanctissimi e vestigio sanitati restitutam fuisse. Uranius in *Vit. Paulini Episc. Nolan.* tradit eum morti proximum jussisse, ut sibi ante lectulum altare qualecumque appararent, moxque sacrificio peracto, in Domino obdormivisse. Cyprianus *Epist. IV.* Sacerdotum meminit, *qui apud Confessores in carcere constitutos offerunt*. Incredibile est autem his sacrificiis intra domesticos parietes aut plures Sacerdotes una adfuisse, aut diaconos, ceterumque clerum ministrasse, quum plerumque in unius gratiam conficerentur. Denique Constantinum Magnum Oratorium privatim sibi in Palatio extruxisse, ac militare etiam in expeditionibus circum-

(11) *Concil. Later. Cap. XVII.* Interdicimus Abbatibus, & monachis publicas pœnitentias dare, & infirmos visitare, & unctiones facere, & missas publicas cantare.

(12) *Gregor. Lib. IV. Epist. XLIII. Ubi publicas missas in monasteriis vetat:* Ne in Servorum Dei secessibus occasio præbeat popularibus conventibus, & simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scanalum trahat: frequentior quoque introitus mulieribus arceatur.

(13) *Paul. Presb. in Vit. Ambrof.* Per idem tempus, cum trans Tyberim apud quamdam clarissimam invitaretur, ut sacrificium in domo offerret, quædam balneatrix, quæ paralytica in lecto jacebat, sellula eamdem domum portari se fecit &c.

congestasse tradit Eusebius (14). Atque hinc origo manavit privatorum Oratoriorum, quæ ab Palatinis primo Constantini exemplo recepta, ut tradit Sozomenus (15), mox in tantum excrevit, ut Justinianus inhibenda ea lege lata censuerit.

VIII. 2. Ab uno Sacerdote, nullis publice ministrantibus, nisi uno: quod cum adducta superius exempla, tum Tertullianus ipse antiquissimus Scriptor innuit *Lib. de Fuga Cap. XIV.* Quum enim Christianorum nonnulli quererentur non posse se interdiu per dominicos dies gentilium metu sacris synaxibus interesse, respondet ille: *Si colligere interdiu non potes, habes noctem: non potes discurrere per singulos: sit tibi & in tribus Ecclesia*: i. e. si minus potes cum multis synaxin celebrare, privatim id facito vel cum tribus. Illustre etiam in hanc rem nobis suppeditat monumentum *August. Lib. XXII.* de Civit. Dei (16), ubi narrat Tribunitium quemdam Hesperium nomine, quum domum fundumque Zubedi haberet, molesta dæmonum infestatione turbatum, ipso absente Augustino, Hipponenses rogitasse Presbyteros, ut unus eorum illuc pergeret sancta oratione Dæmones fugaturus, unumque deinde illuc digressum *sacrificium Corporis Christi obtulisse, statimque vexationem cessasse.*

IX. 3. Denique sine ulla populi frequentia, nullo communicante, præter solum presbyterum. Id fecisse vidimus Gregorii Nazianzeni Patrem, & Paulinum Nolanum: neque enim eorum privatis in domibus populus esse poterat, qui communicaret. Sed & Barlaamum Presbyterum solum celebrasse, atque communicasse, testis est Joannes Damascenus in ejus Vita. Leontius item in *Vit.* Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini memoriæ prodidit eum quadam die, quum populum videret post Euangeliorum lectionem Ecclesia egredientem, communionemque mysteriorum negligentem, ipsum quoque egressum alte inter turbam inclamitasse: *Ego propter vos descendo in Ecclesiam: nam Missas poteram mihimet in Episcopio facere.* Additque deinde idem Biographus reipsa Joannem quotidie uno ministrante celebrasse (17). Quod quidem præclarum est Missarum Privatarum, quæ nunc sunt, monumentum. Ceterum privata sacrificia quamvis minus frequentia, numquam tamen illegitima habita fuisse, docet cum primis *Conc. Tolet.* habitum *anno DCLXXXVII.* (18) quod solius saltem Sacerdotis commu-

(14) *Euseb. Vit. Const. Lib. IV. Cap. XVII.* Verum his longe augustiora perspiciet, quicunque attendere voluerit, qualiter ille in palatio quamdam velut Ecclesiam Dei constituit. *Negandum tamen non est domesticam illam Constantini M. Ecclesiam plerumque solemnes etiam conventus habuisse Episcoporum, Sacerdotum, Diaconorum, atque Aulicorum una cum pientissimo Imperatore orantium, atque psallentium, quod tradit ibid. Euseb. Quodque etiam observatum fuit ab excellentissimo atque doctissimo Clemente de Arostegui* de Cappella Regia *Vol. II. inedito de Concord. Pastor. quod quidem utinam evadat tandem rigidissimam Auctoris sui Limam!*

(15) *Sozom. Lib. I. Cap. VIII.* Porro .... quoties ad bellum proficisceretur, tabernaculum ad Ecclesiæ similitudinem fabricatum circumferre consueverat .... Atque ex eo tempore Romanorum legiones, quæ nunc *Numeri* vocantur, singulæ proprium sibi tabernaculum facere cœperunt, & Sacerdotes ac Diaconos proprios, ac peculiares habebant.

(16) *August. De Civit. Dei Lib. XXII. Cap. VIII. num. VII.* Vir Tribunitius Hesperius apud nos est, habet in Territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, ubi cum afflictione animalium, & servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, Presbyteros, ut aliquis eorum illo pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium Corporis Christi, orans quantum potuit, ut cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessavit.

(17) *Leont. in Vit. Joannis Eleemosyn.* Et facit missas in Oratorio nullum habens, nisi Ministrum suum.

(18) *Conc. Tolet. XII. Can. V.* Quicunque ergo Sacerdotum deinceps, divino altario sacrificium oblaturus accesserit, & se a communione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter privavit, gratia communionis anno uno repulsum se noverit. Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? Ergo modis omnibus est tenendum, ut quotiescunque sacrificans corpus & sanguinem Jesu Christi Domini nostri in Altario immolat, toties perceptionis Corporis & sanguinis Christi se participem præbeat.

munionem ad Sacrificii integritatem necessariam esse indicavit, cum in eos Sacerdotes graviter animadvertit, qui Sacrificium quotidie celebrabant, Eucharistiam autem non sumebant.

X. Ad Missas vero *Solitarias* quod spectat, rectius sentire videntur, qui eas esse dicunt, in quibus unus Presbyter nemine ministrante celebrat, atque communicat. Harum porro vestigia per VIII. ac IX. Ecclesiæ Seculum obtinuisse colligas ex *Act. Ordin. Benedict.* ubi *in Vit.* S. Wenebaldi Abbatis Heidenheimensis Presbyteri cujusdam mentio occurrit, qui cum summo mane celebrans pergratum odorem sacra mysteria efflare sensisset, *exivit inde ad consortem miraculi inveniendum*, quod incassum fecisset, si ministrans quisquam adfuisset. Rursus eadem Acta Eremitæ cujusdam meminere ab latronibus interfecti, interea dum solus sacris operam dabat. Ceterum subinde inhibitæ fuerunt per Concilia Missæ Solitariæ, eo quod vero absonum videbatur, nullis licet arbitris, Presbyterum tamen dicere: *Dominus vobiscum*, *Sursum corda* &c. Vide *Conc. Mogunt. sub Leone III. anno* DCCXCV. & Nannet. *ap. Ivon.* (19).

§. III. *De Missis* de Sanctis, pro Defunctis, Votivis: *tum quis earum olim Ritus fuerit.*

XI. Origo Missarum *de Sanctis* antiquissima est. Consuevere enim majores nostri incruento Eucharistiæ Sacramento Martyrum memorias conjungere, ut & Deo Martyrum auctori debitæ grates rependerentur, & ex gloriosa eorumdem commemoratione juvarentur etiam fideles, excitarenturque ad similes triumphos, uti fusius alibi demonstravimus. Hinc jam inde ab anno CXLVIII. Smyrnensis Ecclesia ad diem obitus S. Polycarpi frequens coibat, ejusque martyris memoriam recolebat inter sanctæ oblationis sacrificium; quod eorumdem epistola ad Philomelienses testatur *ap. Euseb. Lib. IV.* (20). Gregorius item Thaumaturgus, teste *Nysseno in ejus Vit.* omnes circa regiones assiduus peragrabat fideles exhortans, ut solemnes conventus *Martyrum nomine* agerent, qui pro fide strenue decertarant (21). Denique Cyprianus *Epist. XXXIV.* Clero suo mandavit, ut diem diligenter notarent, quo quisque martyrium oppetiisset: *ut celebrentur hic*, inquit, *a nobis oblationes, & sacrificia ob* com-

(19) *Conc. Mogunt. sub Leone III. Cap. XLIII.* Nullus Presbyter, ut nobis videtur, solus Missam cantare valet recte. Quomodo enim dicet *Dominus vobiscum*, vel *Sursum corda* admonebit habere, & alia multa his similia, cum alius nemo cum eo sit?

Conc. Nannet. ap. Ivon. P. III. Cap. LXX. Definivit sanctum concilium ut nullus Presbyter solus præsumat Missam celebrare, cui etenim dicit *Dominus vobiscum*, *Sursum corda*, aut *Gratias agamus Domino Deo nostro*, cum nullus sit qui respondeat? Aut in canone, *& omnium circumstantium*, cum nemo adsit? Aut quem invitat ad orationem cum dicit *Oremus*, cum nullus sit qui secum oret? Aut ergo ista penitus reticenda sunt, & non solum non erit perfectum sacrificium, verum etiam incurret, quisquis est ille, illam terribilem sententiam: *si quis tulerit de hoc, tollat Deus partem ejus de Libro vitæ: Apoc.* XXII. Aut si hæc muris, & parietibus insusurraverit, ridiculosum erit. Quapropter illa periculosa superstitio, maxime a Monasteriis Monachorum, exterminanda est. Provideant autem Prælati, ut Presbyteri in Cœnobiis, & in aliis Ecclesiis cooperatores habeant in celebratione Missarum. Si quis hæc transgressus fuerit, ab officio suspendatur.

(20) *Euseb. Hist. Lib. IV. Cap. XV.* Atque ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis cariora, & quovis auro puriora colligentes ubi decebat condimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet Deus natalem ejus Martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos, & confirmandos.

(21) *Nyss. in Vit. S. Gregorii Thaum.* Descendit rursus in urbem, & omni circa regione peragrata, ac perlustrata additamentum, & quasi corollarium studii sui erga Numen divinum instituebat, apud omnes ubique populos sanciens, ut nomine eorum qui pro fide certassent, dies festi, atque solemnes conventus celebrarentur, cumque alii in alium locum corpera Martyrum deduxissent, per anniversarii circuli ambitum congregari lætabantur in honorem Martyrum ferias agentes.

commemorationes eorum. Idem tradunt Augustinus, Tertullianus, Cyrillus, aliique (22). Porro citati Patres Missas meminere pro unis Martyribus celebratas, cum nondum Confessorum quoque cultus solemnis increbuisset, quo sub finem IV. Seculi in Ecclesiam recepto, Missæ pro iis etiam peractæ sunt.

XII. Neque vero minorem præseferunt originem, quæ pro Defunctis offeruntur sacrificia. Tertullianus sæpe memorat sacrificia pro mortuis oblata: *Oblationes*, inquit de Coron. Mil. Cap. III. *pro defunctis annua die facimus*. Post hunc Cyprianus Epistola ad Clerum Furnitanum, vetuit ne sacrificium offerrent pro Victore laico homine, qui Presbyterum Geminium Faustinum tutorem testamento dixerat, eamque pœnam jam pridem decreto prædecessorum suorum statutam fuisse dicit (23). Augustinus integrum librum edidit hoc præscriptum titulo, *De cura pro Mortuis*, ubi passim generalem esse consuetudinem totius Ecclesiæ testatur orandi, offerendique sacrificia pro mortuis (24). Eandem fuisse Græcorum praxim, testantur vetustissimi quique Scriptores, *Constit. Apost. Lib. VIII. Cap. XLII.* Cyrillus Hierosolym. Chrysost. aliique (25), ut merito dixerit Isidorus Hispali Episcopus ejus originem ab ipsis Apostolis esse derivandam (26).

XIII. Fuit vero aliud Missarum genus, quibus *Votivarum* nomen dedere sequutæ ætates, erantque sacrificia sive pro aliqua necessitate, sive pro gratiarum actione ob acceptum beneficium. Harum vestigia per quartum, quintumque Ecclesiæ Seculum offendere licet. Scimus quippe Constantinopoli non secus ac Alexandriæ publica festa instituta fuisse ob liberationem earum urbium ab horrendo terræmotu, quod memoriæ prodidere *Marcellin. ap. Euseb.* (27) & Sozo-

(22) *Augustin. Lib. XX. Contra Faustum Manic.* Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate & concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: Ita tamen ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo martyrum sacrificemus.

Tertul. Lib. De Coron. Milit. Cap. III. Oblationes pro Defunctis, pro natalitiis annua die facimus.

Cyril. Hieros. Catech. Mystag. V. num. VI. Mentionem facimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt. Primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus propter illorum orationes, & deprecationes nostras suscipiat preces.

(23) *Cyprian. Epist. LXVI. ad Clerum Furnitan.* Ideo Victor cum contra formam, nuper in concilio a Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio.

(24) *Augustin. Lib. de Cura pro Mortuis Cap. I.* In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis Sacrificium. Sed & si nusquam in Scripturis veteribus legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum habet etiam commendatio mortuorum.

(25) *Cyrill. Hieros. Catech. Mystag. V. num. 6.* Deinde pro defunctis sanctis patribus, & Episcopis, deinde pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt: maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio, dum sanctum illud & tremendum Mysterium in altari positum est,

Chrisost. Homil. XLI. in I. ad Cor. Si peccator excessit, propterea etiam lætari oportet, quod intercissa sunt peccata, & vitia non adjecit, & quoad ejus fieri potest, ei succurrere non lacrimis, sed precibus, & supplicationibus, & eleemosynis, & Oblationibus. Non sunt enim hæc temere excogitata, neque frustra eorum, qui excesserunt, in divinis Mysteriis meminimus, & pro ipsis accedimus, rogantes Agnum propositum, qui mundi peccatum tulit: sed ut inde eis aliqua sit consolatio: neque abs re, qui adstat altari, dum veneranda peraguntur Mysteria, clamat: *Pro omnibus, qui in Christo dormierunt, & iis, qui pro ipsis celebrant memorias.*

(26) *Isid. Lib. I. de Offic. Cap. XLVIII.* Sacrificium pro defunctorum Fidelium requie offerri, hoc est orari, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis traditum sit.

(27) *Marcellin. apud Euseb. Chronic.* Urbs Regia per LX. continuos dies assiduo terræmotu quassata magnopere sese afflicta deplanxit. Ambæ Troadenses porticus corruerunt, aliquantæ Ecclesiæ, vel scissæ sunt, vel collapsæ. Statua Theodosii in foro Tauri super cochlidem columnam posita corruit, duobus fornicibus ejusdem collapsis. Hunc formidolosum diem Byzantii celebrant VII. Kal. Octobris.

Sozomenus (28). Quæ festa ob id etiam *γενέσια τοῦ σεισμοῦ Natalem Terræmotus* appellitarunt, uti Martyrum festa *Natalitia* dixere. In his autem festis votiva Sacrificia obtulisse, quibus Deo gratulentur, ambigendum non est. Apud Augustinum quoque *Lib. XXII. de Civit. Dei* Presbyteri Hipponensis mentio injicitur, qui intra privatam domum peculiare sacrificium immolavit ad abigendos dæmones (29). Extra omnem vero dubitationis aleam ponas, has votivas Missas sexto fere Seculo frequentissimas fuisse maxime inter Occidentales; quandoquidem earum plures præscribit *Sacram. Gelasianum ap. Murat.* uti: *Pro salute Fidelium vivorum: Pro sterilitate: Ad petendam pluviam: Pro sterilitate Mulierum* &c.

XIV. At quo, inquies, ritu hæ Missæ, sive Votivæ, sive pro Sanctis, sive pro Defunctis actæ sunt? Quidve singulare habuerunt? Ego vero perperam eos Auctores facere arbitror, qui nullo discrimine harum originem jam inde ab primis Ecclesiæ Seculis arcessunt, velut si eædem tunc essent, ac nunc sunt. Fuit quidem praxis vetustissima eas celebrandi: at ritus qui nunc est, non ita vetustus, sed gradus quosdam habuit, donec tandem per temporum intercapedinem ad hanc, qua nunc est, formam redactus est. Atque, ut ab Missis Sanctorum exordiamur, cum ad eas celebrandas conveniebant antiqui, duo maxime præstabant. 1. Martyrum Acta lectitabant, ut innuit *Conc. Carthag. II.* (30) orationesque Panegyricas in eorumdem laudes habebant, quo acrius tuendæ Fidei desiderium conciperent Fideles, quod passim indicant opera Chrysostomi, Basilii, Nazianzeni, aliorumque. 2. Eorumdem commemoratio fiebat inter ipsum sacrificium. Quæ vero ea fuerit commemoratio, an per peculiares Orationes, quibus per Martyrum merita auxilium ab Deo, precabantur, an per solam eorum in *Α'ναφορᾷ Canone* commemorationem, fateor me ignorare: facile tamen postremum hoc statuerim, quum phrases hæ apud vetustiores Patres frequentissimæ: *Commemorationem habere, Memorias facere, mentionem celebrare* &c. *ἁπλῶς* significent unam Martyrum memoriam peculiam fuisse, sive solum eorum nomen nominatum fuisse inter Sacrificii solemnia.

XV. Ceterum subinde binæ accessiones factæ sunt Sanctorum Missis, maxime inter Occidentales, uti videre est in Sacramentariis Gelasiano, & Leoniano, ubi illæ habent peculiares orationes, & Præfationes. Immo *Secretas* quoque, & Præfationes Sancto proprias præscribit Sacramentarium Gelasianum. Vide speciminis loco ad infernam paginam quidquid ultra panem, ac quotidianum Sacrificii ordinem præscribit pro Missa S. Petri Apostoli *cit. Sacram.* (31). Hæc autem si demeres, cetera quæque, prout tempus Ecclesiasticum ferebat, juxta statutum ordinem gerebantur. Itaque non apparatus ministrorum

(28) *Sozom. Lib. VI. Cap. II.* Atque, ut ex iis, quæ auditione accepi, conjecturam facio, vel eo (*Juliano*) imperante, vel certe Cæsaris dignitatem adhuc obtinente, clades illa Alexandrinis in Ægypto contigit: Tunc cum mare, quod recesserat, iterum subito impetu revertens, extra proprios terminos excessit, & continentem longe, lateque inundavit.... Alexandrini certe eum diem, quo hæc contigerunt, quem etiam *Natalem terræ motus* appellant, ad nostram usque memoriam quotannis festum agunt. Et plurimis lucernis per universam urbem accensis, preces cum gratiarum actione offerentes Deo, splendide simul, ac religiose eum diem celebrant.

(29) *August. de Civit. Dei Lib. XXII. Cap. VIII. Vide not.* (16) §. II.

(30) *Concil. Carthag. III. Can. XLVII.* Liceat legi passiones Martyrii, cum anniversarii eorum dies celebrantur.

(31) *Sacram. Gelas. ad III. Kal. Jul. in Natali sancti Petri*: Deus, qui beato Petro Apostolo tuo collatis clavibus regni cælestis, animas ligandi, ac solvendi Pontificium tradidisti, concede, ut intercessionis ejus auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. *Per &c.*

Secreta.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces, & Hostias beati Petri Apostoli commendet oratio: ut quod pro illius gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. *Per.*

Post Commun.

Lætificet nos, Domine, munus oblatum, ut sicut in Apostolo tuo Petro te mirabilem prædicamus, sic per illum tuæ sumamus indulgentiæ largitatem. *Per.*

rum diversus, non *Tractus*, qui nunc sunt, præcipui, non Euangelia propria notabantur, quam quidem praxim postremis temporibus adjudicandam censeo. Quamquam non negarim quandoque Euangelium peculiare iis Sanctis destinatum fuisse, quorum historia in Euangeliis continebatur: quod minime factum reor in Missis S. Joannis Baptistæ, SS. Innocentium, S. Petri, aliorumque.

XVI. Idem fere statuas de Missis defunctorum. Fuere quidem semper antiquitus oblata sacrificia pro defunctis sive super ipsum cadaver, sive nona, sive quadragesima, sive annua quaque die, quod docet Auctor Constitut. (32). At ea nihil quicquam singulare habebant, præter ipsius defuncti nominis recitationem, Sacerdotisque pro eo precem, quam eædem *Constitut. Apost.* præscribunt (33). Hinc Sacramentarium Leonianum ad diem obitus S. Silvestri Confessoris binas pro ejus animæ requiete preces posuit, nihilque præterea (34). Ergo ignotum plane majoribus nostris Missarum *Vivorum*, *defunctorumve* discrimen, invisa lugubria ministrorum integumenta. In iisdem namque sacrificiis, cum pro vivis, tum pro defunctis precabantur; proindeque merito faciunt, qui postremis demum temporibus defunctorum Missam, quæ nunc est, attribuendam vel ex ipso precum contextu, atque ordine conjiciunt. Negari tamen non potest jam inde ab VI. Ecclesiæ Seculo nonnihil singulare in defunctorum Missis affectari cœpisse. In Conc. namque Vasionensi II. stulta nonnullorum superstitio coercita est, in sacrificiis pro defunctis Angelicum Trisagion *Sanctus &c.* non recitantium (35). Tum *Can. V. Conc. Tolent. XVII. anno DCXCIV.* defunctorum Missæ ab vivorum Missis discriminantur, atque jam tum certum earum ritum, atque ordinem fuisse, ejusdem Canonis verba indicant (36).

§. IV. *De Missis* Præsanctificata, Nautica, *seu* Sicca, Bifaciata, Trifaciata *&c.*

XVII. Τῶν Προηγιασμένων λειτουργία *Præsanctificatorum Missa* Græcorum peculiaris fuit. Id autem nominis ex eo nacta est, quod in illa minime Corpus, ac

 San-

(32) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap.* CXII. Quod spectat ad mortuos, celebratur dies tertius in psalmis, lectionibus, & precibus ob eum, qui tertia die resurrexit; item dies nonus in recordationem superstitum, & defunctorum, atque dies quadragesimus juxta veterum typum; Mosen enim ita luxit populus: Denique anniversarius dies pro memoria ipsorum.

(33) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XLI. Ubi Diaconus sic plebem ad orandum pro defuncti anima excitat:* Pro fratribus, qui in Christo requieverunt, oremus, ut hominum amans Deus, qui animam defuncti suscipit, ei remittat omne peccatum voluntarium, & non voluntarium, & propitius, clemensque factus collocet in regione Piorum quiescentium in sinu Abrahami, Isaaci, & Jacobi cum omnibus, qui a seculo placuerunt Deo, atque ejus voluntatem fecerunt, unde aufugit dolor, tristitia, & gemitus. *Porro Episcopus sic precatur*. Qui natura es immortalis, ac fine carens, a quo *&c.*

(34) *Illud tamen etiam defunctorum missis accessisse video VI. Ecclesiæ seculo, ut præter orationes proprias & secretas peculiares* Infra Actionem *quoque recitarent. Hinc Sacramentarium Gelasianum* ap. Murat. Lit. Vet. Rom. p. 445. *Hoc* Infra actionem *posuit in Missa septima, trigesima, aut etiam anniversaria depositionis diei, juxta antiquam funebrium justorum praxin.*

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi offerimus pro anima famuli tui illius, cujus depositionis diem VII. *vel* XXX. celebramus; quod deposito corpore, animam tibi Creatori reddidit, quam dedisti: pro quo petimus divinam clementiam tuam, ut mortis vinculis absolutus transitum mereatur ad vitam. *Per*.

(35) Conc. *Vasion. II. an. CIII.* ut in omnibus Missis seu matutinis, seu quadragesimalibus, seu in illis, quæ pro defunctorum commemoratione fiunt semper *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* eo ordine, quo ad Missas publicas dicitur, dici debeat.

(36) *Conc. Tolet. XVII. Can. V.* Nam Missam pro requie defunctorum promulgatam fallaci voto pro vivis student celebrare hominibus non ob aliud, nisi, ut is, pro quo id ipsum offertur sacrificium, ipsius Sacrosancti libaminis interventu, mortis ac perditionis incurrat periculum &c. *Jam tum ergo i. e. anno DCXCIX. Mortuorum Missa in certum veluti corpus coaluerat, promulgataque etiam per Hispanas Ecclesias fuit.*

Sanguis Christi consecraretur, sed e consecrato pridem participabant. Hujus vero Missæ ritus egregie illustravit Leo Allatius Dissert. ad Bertoldum Nihusium ad calcem *de Eccles. Occid. atque Orient. perpet. Consensu*. Illud tamen hic monuisse satis erit, eam ab Græcis, juxta Conc. Trullanum (37), omnibus quadragesimæ diebus celebratam fuisse, excepto Sabbato, Dominica, sanctoque Annunciationis die. Cum enim quadragesimæ luctus, mœrorisque dies sint, contraque Eucharistiæ confectio maximum ab Majoribus nostris lætitiæ argumentum habitum sit; hinc per eos dies de Præsanctificatis participant, atque ab ipsa consecratione abstinent. Atque hanc quidem fuisse hujus Missæ præscribendæ originem multis recentium Græcorum testimoniis probat laudatus Allatius (38). Ergo Græci per quinque primos hebdomadis dies Ecclesiam adeunt pomeridianis horis, recitatoque vespertino officio, Psalmis, lectionibus, atque orationibus de more præmissis, Eucharistiam die Dominico consecratam sumunt, gratiasque rite Deo agunt, uti videre est in eorum Euchologio *pag.* 187.

XVIII. Porro ad hujus Missæ antiquitatem quod spectat diversi in diversa abeunt. Leo Allatius *cit. Dissert.* eam Apostolicis temporibus accenset, eo maxime ductus argumento, quod in ejus Missæ liturgia extat oratio, quæ innuere videtur omnes tum adstantes communicasse; quod Apostolicorum temporum proprium fuisse constat. At ut verum fatear, haud tantum ei argumento pondus subesse potest, quantum ille opinatur. Fuere enim recentiores quæque liturgiæ ex antiquioribus compactæ, sic ut in singulis earum nonnulla semper antiquitatis vestigia offendere liceat. At perperam facit, qui ex uno vel altero loco de earundem antiquitate pronuntiare velit. Sunt enimvero adhucdum in Romanis Missalibus orationes, maxime in Dominicis diebus post communionem recitari solitæ, quæ item adstantium omnium communionem portendunt. Neque recte quisquam hunc, qui illorum est, Liturgicum ordinem Apostolicæ ætati accensebit.

XIX. Alii vero, ut Cardinalis Bona, tempus contrahunt, ad ætatem scilicet Conc. Laodiceni, quum ejus *Can. XLIX.* vetetur oblatio Sacrificii per quadragesimam, exceptis Sabbatis, & Dominicis. (39). At neque ibi ulla τῶν Προηγιασμένων *Præsanctificatorum* Missæ mentio occurrit, sed tantum per luctuosos quadragesimæ dies augustissima Eucharistiæ oblatio inhibetur, sic uti, qui in eo Canone Missam Præsanctificatam expiscari velit, eo demum compingatur, ut de suo supponat. Ergo rectius omnino faciunt, qui hujus Missæ usum sensim obtinuisse conjiciunt ante tempora Conc. Trullani, cujus *Can. LII.* (40) diserta occurrit mentio. Jam vero Præconsecratorum Missa Græcorum peculiaris fuit, neque ab Occidentalibus recepta, nisi uno Parasceves die.

XX. Fuit tamen & inter Occidentales superioribus ætatibus quædam Missa *Nautica*, aut etiam *Sicca* dicta, quam merito *Larvam*, & *Simulationem* veri sacrificii insignes quippe Theologi appellandam censuerunt. Namque in ea Introitus, Epistolæ, Euangelia, ceteraque recitantur præter Canonem: quippe hic Consecrationem secum fert, quam iis, qui Nauticæ Missæ operabantur, conficiendi animus non erat. Vide Durandum, qui ejus ritum ævo suo i. e. Seculo XII. usitatissimum fusius describit (41). *Nauticæ* autem nomenclaturam nacta est, quod

ab

(37) *Conc. Trull. Can. LII.* In omnibus sanctæ quadragesimæ diebus, præter quam Sabbato, & Dominica, & sancto Annuntiationis die, peragatur sacrum Præsanctificatorum mysterium.

(38) *Leo Allat. de Missa Præsanct. §. XII. ubi id fusius probat productis Alexii Aristeni, Mattæi Blasteri, Balsamonis, Zonaræ, Michaelis Cerularii, & Simeonis Thessalonicensis testimoniis.*

(39) *Conc. Laodic. Can. XLIX.* Non oportet in quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, & solis Dominicis.

(40) *Vide supra Not.* (37).

(41) *Durandus in Rationali Lib. IV. Cap. I.* Sacerdos si ex devotione, non ex superstitione velit.

ab navigantibus maxime celebrabatur, metuentibus ne pelagi æstuantis motus calicem concuteret, vinique elementa effunderet. Hoc vero Missæ genus omnium fere sagaciorum Theologorum judicio damnatum, jam ferme ubique gentium Christianarum abolitum est, si paucas excipias Ecclesias. Testatur quippe Edmundus Martene *Tom. I. de Antiq. Eccl. Rit.* Missam *Siccam* audivisse se in Pictavorum Diœcesi. In Belgio etiam obtinere adhucdum auctor est Matthæus Galenus in *Promtuario*.

XXI. Huic demum accenseas Missas Bicipites, aut Tricipites, quas illi barbare *Bifaciatas*, aut *Trifaciatas* &c. dixere, quarum origo ab Sacerdotum avaritia repetenda est, qui ut plura simul stipendia acciperent, plures simul Missas in unam congerebant, hoc ferme pacto. Primo enim Missam unam *de Tempore* usque ad offertorium recitabant, tum aliam de Sancto occurrente, deinde aliam, atque aliam, quantas aut avaritia suaderet, aut recitantis anhelitus pati posset. Mox sub uno Canone Liturgiam absolvebant additis totidem, quot ante, collectis. Has autem Missas velut monstrosas, Ecclesiasticæque institutioni pugnantes nusquam non reprobavit Ecclesia.

velit totum officium Missæ sine sacrificio dicere, accipiat omnes vestes Sacerdotales, & Missam suo ordine celebret usque ad finem offerendæ, dimittens Secreta, quæ ad Sacrificium pertinent. Præfationem vero dicere potest, licet in eadem videantur Angeli invocari ad consecrationem Corporis, ac Sánguinis Christi. De Canone vero nihil dicat, sed orationem Dominicam non prætermittat, & quæ ibi sequuntur sub silentio dicenda non dicat. Calicem, vel hostiam non habeat, nec de his quæ super Calicem, vel Eucharistiam dicuntur, vel fiunt aliquid dicat, vel faciat. Potest etiam dicere: *Pax Domini sit semper vobiscum*. Et exinde Missæ officium suo ordine peragat. Sed melius est alia omittere.

APPENDIX II.

De Canone Latinorum.

I. Quamvis quæ supra de Missæ sacrificio scripsimus, sat justam augustissimorum Christiani Sacrificii rituum notitiam contineant, tamen quoniam Clementinæ Liturgiæ, ut quæ omnium antiquissima est, vestigiis insistentes, Occidentalium etiam ritus omnes eodem tempore persequi non potuimus, juvabit hic eos breviter perstringere, atque sub unum velut aspectum proponere, hac tamen lege, ut ne quæ prius attigimus, refricemus, sed indicta alias explicemus. Hinc ritibus omnibus ad Præfationem usque omissis, quorum plerosque omnes, ut se dedit occasio, explanavimus, Latinorum hic tantum Canonem: reliquosque ritus commentabimur, qui eundem Canonem excipiunt ad extremum usque Missæ finem, ut ita angustissimæ hujus Occidentalium Liturgiæ partis cum antiquitas, tum mira cum Græcis *Anaphoris* consensio constet omnibus.

§. I. *De Canonis Antiquitate, & nominibus, tum de veterum in eo recitando, exscribendoque diligentia.*

II. Dolendum sane est, nullum esse aut Liturgicum antiquissimi ævi librum, qui Canonis verba, ordinemque præscripserit, aut inveniri in occidentalibus Partibus aliquam saltem ejus lacinias, quod Græcorum liturgiæ accidit, cujus partes, ritus, ac cæremonias passim interspersas nusquam non legere est in Græcis Scriptoribus, Cyrillo Hierosolymitano præsertim, atque Chrysostomo. Hinc quandoquidem hæc indubia antiquitatis monumenta desunt, Canonis saltem vestigia persequemur, si quæ in vetustis Latinorum Scriptoribus offendere licet. Offen-

fenduntur autem non pauca. Optati namque Milevitani *Lib. II.* verba hæc: *offerre vos dicitis pro Ecclesia toto terrarum orbe diffusa*, ad primam Canonis orationem spectare videntur, in qua item pro *Ecclesia Sancta Catholica .... toto orbe terrarum* adprecamur. Auctor Librorum *De Sacramentis*, qui si minus Ambrosius ipse est, Ambrosio certe aut coævus, aut suppar fuit, *Lib. IV.* ipsissimis pene verbis recenset quatuor has Canonis orationes: *Quam Oblationem: Qui pridie quam pateretur: Unde & memores, Domine*: & *Supra quæ propitio &c.* Postremo Auctor *Quæstionum Vet. & Nov. Test.* qui *Quæst. XLIV.* scribere se dicit trecentis annis post elapsas Danielicas Hebdomadas, i. e. Seculo IV. asserit *Quæst. CIX.* Melchisedech esse quidem Sacerdotem, sed non summum, ut, inquit, *in Oblatione præsumunt Antistites.* Quibus ille verbis clare Orationem illam indicat: *Supra quæ*, ubi Melchisedech *Summum Sacerdotem* dicimus. Observandum est autem Auctorem *de Sacram.* quaternas Canonis orationes recitasse ad hæreticos refellendos, tamquam antiqua traditione receptas: ex quo conjicere licet hunc, qui nunc est, Canonem majori ex parte antiquissimis etiam temporibus obtinuisse.

III. Atque hinc etiam colliges decipi eos, qui opinantur, Canonis Auctorem fuisse aut Gelasium Pontificem, aut Voconium Castellanensem in Mauritania, aut Musæum Massiliensem Presbyterum, quod hos Gennadius *de Script. Eccles.* Libros Sacramentorum scripsisse autumat. Auctores quippe quos supra retuli, recentes hos aut uno, aut duobus amplius seculis præcessere. Neque minus inscite facit Basnagius *Hist. Eccles. Lib. XV. Cap. IV.* §. *I.* qui Canonis originem ab Scholastico quodam Gregorio Magno æquali arcessendam esse putat, quod idem Gregorius (1) dicat, ab eo *Precem* oblationis compositam fuisse. Namque 1. Scholastici nomen ibi non proprium est, sed appellativum, ut ajunt, iis fere indi solitum, qui eloquentia, atque eruditione ceteros antecellerent, quod ex Augustino, Hieronymo, ipsoque etiam Gregorio colligitur (2). 2. Tempus non definit Gregorius, quo Scholasticus ille vixerit. 3. Perperam omnino Scholasticum velut Auctorem Latinorum Canonis venditat Basnagius, quum longe ante Gregorii ætatem orationum Canonis meminerint Auctor *Quæst. Novi, & Vet. Test.* atque Ambrosius *Lib. IV. de Sacram.* Ergo Scholastici illius partes in componendo Canone has fuisse puto, ut scilicet aut unam ejus precem post consecrationem composuerit, aut omnes preces jam pridem receptas, sed pro varia Ecclesiarum consuetudine nonnihil inter se aut verbis, aut contextu variantes suppleverit, atque in certum statumque ordinem digesserit.

IV. Ad hæc Canonem integrum ipsissimis, quæ nunc sunt, verbis refert Codex Gelasianus ab Thomasio editus, qui quidem Codex licet VII. Seculo in Galliis scriptus videatur, omnium tamen consensu ipsi Gelasio adjudicandus est anno circiter CCCCXCV. Gelasius autem integro Seculo Gregorium M. præcessit. Hinc merito Vigilius Papa Epist. ad Profuturum Canonem *Apostolica*, inquit, *traditione suscepimus*. Quod ipsum asseruit etiam Isidorus Hispalensis (3). Id tamen non ita accipiendum est, quasi vero,

(1) *Greg. M. Epist. CII. ad Joannem Syracusanum Lib. IX. ubi quod rumor inter Siculos increbuerat contra Gregorium, eum statuisse* Pater noster dici mox post Canonem, *sic ille se excusat*: Et valde mihi inconveniens visum est, ut *Precem*, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam Traditionem, quam Redemtor noster composuit, super ejus Corpus, & Sanguinem non diceremus.

(2) *Augustin. Tract. VII. in Joann.* Qui habent caussam, & volunt supplicare Imperatori, quærunt aliquem *Scholasticum* Jurisperitum, a quo sibi preces componantur.

Hieron. de Viris Illust. Serapion Episcopus ob elegantiam ingenii cognomen *Scholastici* meruit.

Gregorius Magnus Lib. X. Epist. II. Matthæum appellat Scholasticum virum Clarissimum.

(3) *Isidorus Hisp. Lib. I. De Offic. Cap. XV.* Ordo Missæ, vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur, primum a S. Petro institutus est.

vero, quem nunc habemus, Apostoli ipsi conscripserint, sed quod conceptæ ab illis primo certæ incruentæ Oblationis preces, mox nonnullis adjectis per insequentes Pontifices, eam demum formam accepere, qua nunc sunt. Ceterum Canonem ante IV. Seculum exaratum, atque compositum fuisse, præter dicta supra, duobus etiam conjecturis confirmatur. Namque primo nulla in eo Confessorum fit mentio, sed Martyrum, qui mos fuit trium priorum Ecclesiæ Seculorum. Deinde ibi Apostolorum catalogus texitur, contra quam quod in vulgatis prostat Euangeliis. Quod argomento est Canonem compositum fuisse ante ævum Hieronymi; perturbatus enim erat antea ordo verborum in Euangeliis, quem deinde Hieronymus ad Græca exemplaria correxit, digessitque, ut idem fatetur in *Præf.*

V. Ad ejus vero nomina quod spectat, jam usque ab VII. Ecclesiæ Seculo preces tam quæ Eucharistiæ confectionem præcedunt, tam quæ subsequuntur, *Canon* dictæ fuerunt, uti illas nominavit Gregorius M. *Lib. IX. Epist. XII.* alibique. Canon vero vocatur, *quia in eo est legitima, & regularis Sacramentorum confectio*, teste Walfrido Strabone *De Reb. Eccles. Cap. XXII.* Illum etiam appellarunt quandoque *Precem κατ' ἐξοχὴν per excellentiam*, uti idem Gregorius, atque Augustinus (4), aut *Actionem*, & *Agenda*, uti Conc. Carthag. II. (5), quod eo Mysteriorum maximum peragebatur. Hinc quoties aliquid addendum Canoni est, quod in Christi Domini Solemnitatibus accidit, id hoc titulo notant Missales: *Infra Actionem*, i. e. intra Canonem. Denique & *Secreta* aut *Secretum* dixere, uti Capitul. Caroli Magni, & Patres Conc. Eboracensis sub Cæl[e]st. III. (6): quandoquidem illum *Secretus* i. e. solus, demissaque voce recitat Sacerdos.

VI. Quanta vero religione illum custodierint, recitarintque veteres vel ex eo apparet, quod nulli umquam privato homini fas esse creditum est, quidquam ad arbitrium addere, vel minuere. Itaque ejus additiones, si quæ subinde accesserunt, ab unis Romanis Pontificibus factæ sunt, contraque qui faceret, merito temerarius habitus est, quod egregie explicat Micrologus (7). Ad hæc, ut Canonis exemplaria emendata essent, erroribusque per inscitiam irrepentibus purgata, curatum quam diligenter ab antiquis fuit, eamque curam Archidiaconis demandarunt Conc. Eboracensis, atque Oxoniensis Patres (8). Immo quandoque

(4) *Greg. M. Lib. IX. Epist. XII.* Orationem Dominicam idcirco mox post *Precem* dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo Orationem Oblationis hostiam consecrarent. *August. De Trin. Lib. III. Cap. IV.* Corpus Christi dicimus illud, quod ex frugibus terræ acceptum, & mistica *Prece* consecratum rite sumimus ad spiritualem salutem in memoriam Dominicæ pro nobis Passionis.

(5) *Conc. Carthag. II. sub Cælest. Can. IX.* In quibusdam locis sunt Presbyteri qui .... complurimis in domiciliis agant *Agenda*, quod disciplinæ incongruum cognoscit esse Sanctitas vestra. *Atque infra*: Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo *Agenda* in quolibet loco voluerit celebrare. *&c.*

(6) *Cap. Caroli M. Lib. IV. Cap. CXCIII.* Secreta non incipiatur, nisi hymno finito: *Te igitur* non inchoent, nisi post Angelicum hymnum finitum.

Decret. Conc. Eborac. sub Cælest. III. Quia *secretum* Missæ frequenter invenitur, aut scriptorum falsitate, aut librorum vetustate corruptum *&c.*

(7) *Micrologus Cap. XII.* Nimis temerarium videtur, ut ne aliqua Canoni ad nostrum arbitrium adjiciamus, nisi quæ a sanctis Patribus adjecta, vel adjicienda esse cognovimus: præcipue cum inter ipsos sanctos Patres nulli aliquid adjecisse legantur, nisi qui Apostolica auctoritate præditi, hoc facere potuerunt. Optimum ergo videtur, ut in hac caussa terminos Patrum nostrorum non excedamus, nec nos Apostolicæ auctoritatis reos efficiamus, si quod soli Apostolicæ auctoritati competit, Canonem nostris interpositionibus augmentare præsumamus.

(8) *Decret. Conc. Eborac. sub Cælest. III.* Quia secretum Missæ frequenter invenitur, aut Scriptorum falsitate, aut librorum vetustate corruptum, ita ut distincte legi non possit, Archidiaconorum sollicitudo provideat, ut singulis Ecclesiis ad verum, & probatum exemplar Canon Missæ cum omni diligentia corrigatur.

Conc. Oxon. sub Honor. III. Can. XXIII. Ut Archidiaconi in sua visitatione provideant, ut Canon Missæ emendetur, si sint in eo defectus,

que nitidissimis characteribus, aureis etiam, aut argenteis conscriptus est. Probant id Codex Canonis Ecclesiæ Turinensis ante nongentos annos scripti, alterque S. Germani a Pratis. Addas etiam Sacramentarium Gregorii M. ab Joanne Episcopo Aretino Monasterio Nantulensi donatum circa medium Seculum IX. sed vide Martene *Lib. I. Cap. IV. Art. VIII.*

§. II. *De Orationibus* Te igitur, Memento, Hanc igitur Oblationem, *& Consecratione.*

VII. Postquam populus olim, nunc Chorus, ad Præfationem respondit: *Sanctus, Sanctus, &c.* tum inde Sacerdos initium capit Canonis, atque ad eumdem Deum versus: *Te igitur*, inquit, *Clementissime Pater &c.* Quæ prima est Canonis oratio. Hanc ipsissimam habet Codex Gelasianus apud Muratorium *Tom. I. Liturg. Vet. Rom.* Hanc velut omnibus notam citat Missa Latina ab Flacco Illyrico vulgata, quam quidem Missam ante VII. Seculum conscriptam plerique omnes liturgici scriptores fatentur. Ad hanc demum respexisse videntur cum Optatus Milevitanus, & Capitularia Caroli M. (9), tum Vigilius Papa *Epist. ad Justinianum*, ubi ejus etiam orationis sensum ab Apostolica traditione præscriptum docet: *Omnes*, inquit, *Pontifices antiqua in offerendo sacrificia traditione deposcimus, ut Catholicam fidem adunare, regere Dominus & custodire toto orbe dignetur.*

VIII. Orat porro in ea Sacerdos pro universa Ecclesia toto orbe diffusa. Semper quippe fixum id, statutumque majoribus nostris fuit, ut indesinenter adprecarentur, maxime in Eucharistiæ Sacramento, pro Ecclesiæ incolumitate, pace, ac sanctitate. Quod fecere unanimi consensu Græci, Latinique, ut vidimus. Deinde orat ex antiquissimo ritu pro summo Pontifice ac Regibus. Ac pro Regibus quidem perpetuo preces fusas fuisse in Missæ Sacrificio, supra monuimus. Ad Pontifices vero quod spectat, fuit hic antiquissimus mos, ut eorum præcipue mentio fieret ab Catholicis Ecclesiis inter Missæ sacrificium ob Catholicæ Communionis vinculum, quod in illis, velut in centro, ut loquuntur Patres, contineri creditum fuit semper. *Cum Ecclesia Catholica communicat*, inquit Cyprianus Epist. LII. & LV. *qui cum Romano Pontifice consentit*, & *a Petri Cathedra unitas Sacerdotalis exoritur.* Hinc merito Pelagius I. qui Pontificum iniit anno DLV. de nonnullis Episcopis questus est, quod nomen suum ad altare secundum antiquos mores minime recitabant (10). Denique orat pro Episcopo proprio: quod etiam vetustissimis temporibus factitatum fuisse colligas ex Auctore *Constit. Apost.* (11), ubi pro Episcopo ab Diacono præscribitur oratio. Sed & longe prius Paulus Apost. *ad Hebræos Cap. XIII. v. 7. Mementote*, inquit, *præpositorum vestrorum.*

IX. Mox fidelium meminit, qui dona obtulerant. Nam verba illa: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum*, si cum iis, quæ sequuntur, conferantur, disparem sensum, atque improprium

(9) *Capit. Caroli M. Lib. IV. Cap. CLXXIII. Te igitur* non inchoent, nisi post Angelicum hymnum finitum.

Optatus Milev. Lib. II. Offerre vos dicitis pro Ecclesia toto orbe terrarum diffusa.

(10) *Pelagius P. ap. Agobardum Editionis Baluzianæ Tom. II.* Divisionem vestram a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo. Quum enim Beatissimus Augustinus Dominicæ sententiæ memor, quæ fundamentum Ecclesiæ in Apostolicis sedibus collocavit, in schismate esse dicat, quicumque se a Præsulum earumdem sedium auctoritate, vel communione suspenderit, nec aliam manifestet Ecclesiam, nisi quæ in Pontificalibus Apostolicarum sedium est solidata radicibus; quomodo vos ab universi orbis communione separatos esse non creditis, si mei inter sacra mysteria, secundum consuetudinem, nominis memoriam reticetis, in quo, licet indigno, Apostolicæ sedis per successionem Episcopi præsenti tempore videtis consistere firmitatem?

(11) *Constitut. Apost. Lib. V. cap. IX.* Pro Episcopo nostro Evodio, & Parœciis ejus oremus.

prium efficiunt, nisi statuas post prima verba offerentium nomine recitata fuisse, proque iis oratum aliquantisper: quod ipsum suboluit Alcuino (12). De nominum recitatione plura diximus superius. Duo hic Occidentalium Ecclesiarum propria notabimus. 1. Consuevisse Gallicanas, atque Hispanas Ecclesias offerentium nomina Deo commendare non in hac Canonis oratione, sed statim post Panis, Vinique oblationem ab Populo factam: quod Decentio Engubiensi Episcopo, id an rite fieret, efflagitanti, interdixit Innocentius I. indignum esse dicens ejus nomen recitari, cujus oblatio nondum Deo commendata fuerat (13). Atque hoc ipsum sanxit longo post tempore Conc. Francofordiense *Can. LI.* cujus hic est titulus: *De non recitandis nominibus, antequam oblatio offeratur*.

X. 2. Græcos plerumque offerentium nomina per Diaconum, ex ambone, altaque voce recitasse: contra ea occidentales per Subdiaconum ad ipsum altare (14), submissaque voce: *in aurem Presbyteri, recitante silenter subdiacono*, ut loquitur Fulcuinus *de Gestis Abb. Lobiensium Cap. VII.* Quin immo sequioribus ætatibus, ubi offerentium numerus excrevit, eorum nomina chartulis præscripta, atque altari imposita fuere, tacite interim Sacerdote pro iis apprecante (15). Atque ob id ipsum vetita erat Dominicis diebus vocalis nominum recitatio, ceteris vero, maxime privatis in Missis, non item: quod per eos dies non tanta afforet offerentium turba. Hinc pervetustum Pontificale Salisburgense post *Memento* hæc notat: *Hic nomina vivorum memorentur, si volueris, sed non Dominica die, nisi reliquis diebus*, Idem observatum Micrologo etiam fuit XI. Seculi Scriptori. Post commemorationem vero offerentium, vel etiam ante, pleræque Liturgiæ peculiarem orationem præscribunt pro ipso Sacerdote, uti videre est apud Bonam *Rerum Liturg. Lib. X. Cap. IV.* §. 5. & Martenem *de antiquis Ecc. Rit. Lib. I. Cap. IV. Art. VIII. §. XV.* Quod indicat hunc esse locum maxime precibus pro ipso Sacerdote destinatum.

XI. Deinde meminit Sacerdos ceterorum adstantium Fidelium: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis &c.* Huic vero disjunctivæ particulæ *vel*, quæ hic otiari videtur, locum dedit mutata oblationum disciplina. Olim namque usque ad X. Ecclesiæ Seculum cum omnes fideles panem, & vinum altari porrigerent, ea opus non fuit. Hinc in omnibus fere Sacramentariis ante

(12) *Alcuinus de Div. Offic.* Cum dicitur: *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum*, & sic deinde subjungitur: *& omnium circumstantium*, manifestum est, quod quasi quidam locus sit, ubi aliquibus specialiter nominatis, etiam ceterorum, qui assistunt in Ecclesia, commemoratio adjungatur. In quo loco liberum est Sacerdoti, quos desideravit, peculiariter nominare. Aut certe illud ab antiquis est observatum, ut ibi offerentium nomina recitarentur.

(13) *Innoc. I. Epist. ad Decent, Engubiensem*: De nominibus recitandis antequam Sacerdos preces faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quam superfluum sit, & ipse per tuam prudentiam recognoscis, ut cujus hostiam nec dum Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Prius ergo oblationes sunt commendandæ (*quod prima Canonis oratione facimus*) ac tum eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria (*i. e. inter ipsum Canonem*) nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus.

(14) *Quandoque vero & ex postico altari nomina vivorum, aut mortuorum enuntiata sunt, quod colligas ex libro Sacramentorum edito ab Menardo p. 264.* Subdiaconi a retro altari, ubi memoriam, vel nomina vivorum, & mortuorum nominaverunt, & recitarunt, procedunt post Diaconum.

(15) *Edmundus Martene vidisse se testatur antiquum Sacramentarium ante annos fere DCCCC. exaratum, in quo hæc praxis perspicue memoratur.* Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum: eorum quoque, qui nostri memoriam habent in conspectu divinæ Majestatis tuæ, quorum etiam speciem, & nomina contemplamur, vel voce depromimus. *Addas huic alterum Sacramentarium apud Pamelium Tom. II. Liturg. p. 280.* Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, & eorum, quorum nomina ad memorandum conscripsimus, ac supra sanctum Altare tuum conscripta adesse vides.

ante id Seculum exaratis unicum illud comma præscriptum visas: *Qui tibi offerunt*. Mox abolitis sensim oblationibus, subsectoque Missæ, quod ajunt, *Honorario*, quandoquidem ex adstantibus essent, qui offerent, essent, qui secus, hinc præscripta est ea distinctio in Missalibus: *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*; ut prius illud comma non offerentes, posterius offerentes respiceret. Cujus quidem rei argumentum indubium est, quod omnia ferme Sacramentaria post X. Seculum scripta distinctionem illam admittunt. Nihil vero obstat, quominus particula *vel* conjungendi quoque vim habeat, quod usitatum medii ævi scriptoribus sæpe fuit (16).

XII. Progredimur deinde ad commemorationem sanctorum: *Communicantes, & memoriam venerantes* &c. ut in hoc maxime caritatis mysterio illud etiam Communionis vinculum exprimatur, quod inter militantem, triumphantemque Ecclesiam intercedit. Estque id commune omnibus Græcorum Liturgiis, ut sanctorum Martyrum memoriam recolant. Canon vero Latinorum primo Beatæ Virginis meminit, quippe quæ teste *Ephrem Syro Orat. de Laud. B. Virg.* Sanctis omnibus excelsior est, tum duodecim Apostolorum, pro Matthia suffecto Paulo, postremo duodecim aliorum Martyrum, qui aut Romæ, vicinisque Urbi provinciis martyrium subiverant, aut certe intra eam urbem præcipue celebrabantur. Quod de Cypriano Carthaginiensi Episcopo, Cosma & Damiano Arabibus fratribus omnino dicendum est (17).

XIII. Hic autem observatione dignus est titulus *Infra Actionem* in Missalibus ante *Communicantes* præscribi solitus: quod idem est, ac *intra Canonem*, posito *infra*, pro *intra* (18). Namque *Actio* etiam Canon olim dictus fuit, ut supra monuimus. Cur autem titulus ille in Canonem irrepserit, docet Petrus Le Brun *T. I. P. IV. Art. IV.* eum nempe primo præfixum fuisse sex illis specialibus *Communicantes* Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Natalis, Epiphaniæ, quintæque Feriæ Majoris Hebdomadæ, uti videre est in Sacramentariis Gelasiano, atque Gregoriano; mox eundem titulum Librariorum inscitia velut jure suo communi etiam *Communicantes* prænotatum. Omittendum autem non est quædam antiqna Sacramentaria pro *Infra Actionem* habere *in Fractione*. Ita duo Anglicana Sacramentaria, sex MSS. Missalia Monasterii Gemmetensis, multaque præterea, quæ vidisse se testatur Edmundus Martene *loc. cit.* Quæ quidem scriptura proprior est, ac rectior præ prima illa.

(16) *Fortunatus in Vita S. Germani Parisiensis Cap. XXV.* Debilitatem manuum, *vel* pedum incurrit. *Tabul. Rothon.* Regnantibus Hlotario, & Carolo, *vel* Hlodovvico, & Numinoe duce Britanniæ, *vel* Susanno Episcopo in Venodia. *Sed etiam antiquiorum Auctorum exempla prostant vel pro & ponentium: Vide Jacob. Gothof. in Gloss. ad Cod. Theodos. Schilterium in Anastasi Childerici Cap. VII. & Marcam Lib. IV. Cap. V.*

(17) *Cardinalis Bona Rerum Lit. Lib. II. Cap. XII. §. III. aliique, eo medicis fratribus Cosmæ, & Damiano locum patuisse volunt in Canone Romano, quod hi Romæ passi sunt. Exstitisse enim ajunt tria paria fratrum ejusdem nominis item, ac professionis, quorum unum Romæ, alterum Asiæ, tertium Hegææ martyrium subiverint, quod colligi ajunt ex* Menologio Basilii, Menæis, ac Typico Sabæ. *At durius id est, quam ut facile credi possit. Ecquis enim id sibi umquam persuadeat, fuisse revera duos fratres Arabes, duos item Romanos, Asianos duos, omnes medicos anargyros, ac singula etiam eorum paria Cosmam, & Damianum appellata? Neque vero tanta fides eorum Actis esse potest, tum quod confusa ea sunt, atque implexa admodum: tum quod facile fieri potuit, ut cum primo unorum Arabum fratrum cultus variis in provinciis obtineret, mox, ut est indoles populorum patria Sanctorum Natalitia ambientium, ab sua quisque cretos eos gente vellet, scriberetque etiam in eorumdem Actis. Hæc per conjecturam rimanti pergratum fuit eadem quoque sensisse pridem* Cl. Tillemontium Tom. V. Not. 83.

(18) *Quod usurpatum ab medii ævi Scriptoribus sæpe fuit. Conc. Vasion. Can. IX. habitum anno* CCCCXLII. Infra dies decem. *Pontificale Virdunense MSS.* Quando ponitur vinum, & aqua infra Calicem .... Crux infra Calicem. *Acta S. Cæciliæ apud Laderchium Tom. I.* Tunc Valerianus respiciens cœpit infra se legere...., Cumque hoc infra se legisset. *Atque alia passim.*

illa. Namque ipsa Eucharistiæ confectio sæpe *Fractio* nuncupata est in novo Testamento, uti *Act. II. & XX.*

XIV. Sequitur hæc altera Canonis oratio: *Hanc igitur oblationem servitutis &c.* in qua Presbyter protensis super calicem manibus (quem quidem sacrificantium ritum apud Hebræos etiam obtinuisse app ret ex Levitico (19)) orat Deum, ut sui ipsius, omniumque adstantium oblationem accipiat, eaque iis proficiat ad pacem, æternæque vitæ adeptionem. Duo autem hic notanda sunt: 1. vetusta Sacramentaria, ac præsertim Gelasianum, quibusdam in Missis peculiares has orationes præscribere, uti in Missis pro Defunctis, in dedicatione novæ Ecclesiæ, in Natali consecrationis Presbyteri (20). 2. Postrema hujus orationis verba: *Diesque nostros in tua pace disponas* &c. ab Gregorio Magno adjecta fuisse, quod testatur Beda (21).

XV. Hic autem locus esset, ut Consecrationis ritus prosequeremur. At quoniam affatim de ea egimus *Cap. III.* illud modo monemus, orationem illam: *Quam oblationem*, quæ velut aditum aperit ad ipsam consecrationem, antiquissimam esse, atque ipsi Ambrosio memoratam *Lib. IV. de Sacram. Cap. IV. num. 2.* uti & Paschasio IX. Seculi scriptori (22) a quo etiam explicantur verba illa: *Adscriptam*, *Ratam*, *Rationabilem*, *Acceptabilemque* &c. Porro ritus etiam signandi calicem, & oblata vetustissimus esse videtur. De eo quippe loquitur Augustinus (23), immo VIII. Ecclesiæ Seculo S. Bonifacium quot, quoque loco fieri deberent cruces, expostulantem accurata responsione edocuit Zacharias Papa (24): extatque etiam Leonis IV. Seculo IX. decretum (25) non esse eas Cruces præpostera, levique digitorum inflexione signandas.

§. III. *De ceteris Canonis Orationibus.*

XVI. Consecratione perfecta, quandoquidem Christus præceperat Apostolis, ut in hujus augustissimi sacrificii confectione sui semper meminissent: hinc statim ab Consecratione hanc posuit orationem Ecclesia: *Unde & memores, Domine, nos servi tui, sed & plebs tua sancta* &c. Quod quam consonum sit universæ antiquitati, elucet ex Liturgiis

(19) *Levit. Cap. I. 4.* Ponetque manum super caput Hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens.

(20) *Sacram. Gelas. apud Murat. Tom. I. Lit. Vet. Rom.* In Natali consecrationis Presbyteri, qualiter sibi debeat Missam celebrare: *Mos enim fuit antiquis Presbyteris singulis annis diem ordinationis suæ recolere.* Hanc igitur oblationem, quam tibi offero ego tuus famulus hodie ob diem, quo me nullius dignum meriti, sed solo tuæ misericordiæ dono ad hunc locum perducere dignatus es Presbyterii, quæso, placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas *&c. Videsis idem Sacrament.*

(21) *Beda Lib. II. Hist. Anglic. Cap. I. ubi hæc de Gregorio scribit:* Sed in ipsa Missarum celebratione tria verba maximæ perfectionis plena superadjecit: Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in Sanctorum tuorum jubeas grege numerari.

(22) *Paschas. Lib. de Corp. & Sanguine Christi Cap. XII.* Rogamus hanc oblationem Benedictam, per quam nos benedicamur: Adscriptam, per quam nos omnes in cælo adscribamur: Ratam per quam in visceribus Christi censeamur: Rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur: Acceptabilemque facere dignetur: quatenus & nos per hoc, qui in nobis displicuimus, acceptabiles in ejus unico Filio simus.

(23) *August. Tract. CXVIII. in Joan.* Quod signum (*Crucis*) nisi adhibeatur sive in frontibus credentium ..... sive in sacrificio, quo aluntur, nihil eorum recte perficitur.

(24) *Zacharias P. Epist. ad Bonifac. Mogunt.* Flagitasti a nobis, Sanctissime Frater, in sacri Canonis celebratione quot in locis Cruces fieri debeant, ut tuæ significemus sanctitati. Votis autem tuis clementer inclinati in Rotulo dato Lullo religioso Presbytero tuo per loca signa sanctæ crucis, quanta fieri debeant, infiximus.

(25) *Leo IV. Homil. ad Presbyt. Tom. VIII. Conc.* Calicem, & oblata recta cruce signate, id est, non in circulo, & in variatione digitorum, ut plurimi faciunt ..... istud signum ✠ recta facere studete.

Clementina, Chrysostomi, Petri, Basilii, Jacobi, aliorumque (26); quæ omnes similes huic preces præscribunt. Hinc vero conjicias, quam falsus sit Auctor Pontificalis, qui *in vit. Alexandri I.* eum auctorem fuisse autumat, ut *memoria Passionis Domini* in Sacrificio recoleretur: quum de hoc extet Christi ipsius præceptum apud Paulum *Ep. I. ad Corinth. Cap. II. Quotiescumque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Sed fortasse id sibi voluit Auctor ille, Alexandrum I. stata verba, certumque ordinem ejus precis præscripsisse; quod haud moramur.

XVII. Habent & sat justam antiquitatem duæ, quæ sequuntur orationes: *Supra quæ propitio, ac sereno vultu,* & *Supplices Te rogamus.* Ad primam namque respexit Auctor *Quæstionum Novi, & Vet. Testam.* (27). Huic autem orationi duo postrema verba: *Sanctum Sacrificium, Immaculatam Hostiam* per Leonem Magnum accessisse scribit Anastasius (28). Est & apud Maronitas affinis huic oratio, in qua item Deus rogatur, ut sacrificium Filii sui ratum habeat, uti hostias Abel, Abrahæ, Noe, Davidis, & Heliæ; non quod hæ nostro gratiores, augustioresque fint, sed ut tanta in Christianos offerentes gratia redundet, quanta in illos redundavit (29).

XVIII. Ad alteram vero quod attinet, ejus meminit Ambrosius *Lib. cit. de Sacram.* Immo ejusdem vel sensum expressit Irenæus *Lib. IV. Cap. XXXIII. Est altare*, inquit, *in cælis: illuc preces, & oblationes nostræ diriguntur.* Postulat autem hic Sacerdos, ut in sublime altare suum per manus S. Angeli sui Oblationem suscipiat Deus, non ipsam quidem, quippe quam jam Christus sui, ac Spiritus S. illapsu sacrarat, sed vota precesque offerentium. Observes præterea preces, ac vota offerentis populi perferri in conspectum Domini per manus Sancti Angeli. Credidere siquidem Patres vetustissimi interesse Christianorum precibus, maxime Eucharisticis, Angelum Domini, qui eas Deo offerat. Hinc *ap. Auct. Constitutionum Apost.* sæpe audire est Diaconum clamantem: *Angelum pacis postulemus &c.* Hinc illud Tertulliani *Lib. de Orat. Cap. XII.* ubi eos, qui sedendo orant, acriter arguit; *Sub conspectu*, inquit, *Dei, Angelo adhuc orationis adstante.*

XIX. Post has binas autem Orationes ad mortuorum commemorationem gradum facit Presbyter: *Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo Fidei,*

(26) *Lit. Clement. in Const. Apost. Lib. VIII. Cap. XII.* Quare memores Passionis ejus, & mortis, ejusque resurrectionis a mortuis, & reditus in cælum, atque adventus ejus secundi .... offerimus Tibi Regi, & Deo Panem hunc *&c.*

Liturg. Chrysost. Memores igitur salutaris hujus mandati, & omnium, quæ pro nobis facta sunt, Crucis, Sepulcri, Triduanæ Resurrectionis, in cælos Ascensionis, a dextris sessionis, secundi, & gloriosi rursus adventus, tua ex tuis Tibi offerimus per omnia, & in omnibus. *His similia habent Liturgiæ S. Petri, Basilii, Jacobi, aliæque.*

(27) *Vide num. II. §. I. supra. Præterea ad hanc orationem respexisse mihi videntur Patres Conc. Matisc. II. Can. IV.* Propterea decernimus, ut omnibus Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur tam panis, quam vini, ut per has Immolationes, & peccatorum suorum fascibus careant, & cum Abel, vel ceteris juste offerentibus promereantur esse consortes.

(28) *Anast. in Vit. Leonis.* Jussit, ut intra Actionem sacrificii diceretur: Sanctum Sacrificium, Immaculatam hostiam.

(29) *Liturg. Maronit.* Deus, qui acceptasti sacrificium Abel in planitie, & Noe in Arca, Abrahæ in summitate Montis, & Davidis in area Ornan Jebusæi, & Heliæ in monte Carmelo, & quadrantes viduæ in Gazophylacio, Tu Domine Deus accipe oblationes istas, quæ offeruntur Tibi per manus meas infirmas, & peccatrices, & fac in eis Domine Deus memoriam bonam vivis, & defunctis, pro quibus offeruntur, & benedic habitationem offerentium eas: *Amen.*

dei, *& dormiunt in somno pacis*. Ad quæ verba statim, ut ait Florus (30), recitantur nomina e Diptychis, de quibus nos supra ad justam notitiam scripsimus. Juvat tamen hic exscribere unum ex his Diptychis Mortuorum relatum in vetusto Ordine Romano scripto ad annum MCXX. *Memento etiam, Domine, & eorum nempe Firmini Confessoris, Honorati, Salvii, Berhundi, Leodardi, Audoeni, Bertefridi, Dadonis, Beati, Deodati, Ursimani, Dominici, Christiani, Rumberti, Alulfi, Georgii, Jesse, Sigebardi, Reginari, Hermeradi, Geroldi, Olgeri, Deraldi, Ramboldi, Teurbodi, Almanni, Godesmanni, Fulconis, Widonis, Ratdulfi, Borgonis, Gervini, qui præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*. Atque hinc factum, ut hæc oratio *Super Diptycha* in plerisque Sacramentariis inscribatur, aut etiam sic: *Oratio post nomina* i. e. post defunctorum nominum recitationem.

XX. Lectis vero nominibus e Diptychis, ac pace pro illis expostulata, subdit Sacerdos: *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis &c.* qua prece futuræ beatitudinis possessionem sibi, adstantique populo adprecatur, nec non æternam cum Sanctis in cælo communionem: ac tum quindecim SS. Martyrum nomina pro diversi militantis Ecclesiæ ordinibus, recenset; uti e Prophetis Joannem non Euangelistam quidem, cujus mentio in viventium *Memento* facta est, sed Præcursorem; ex Apostolis Matthiam, e Discipulis Barnabam, ex Episcopis Ignatium, e Pontificibus Romanis Alexandrum, ex Presbyteris Marcellinum, ex minoribus Clericis Petrum exorcistam, ex conjugatis Felicitatem, & Perpetuam, e Virginibus Agatham, Luciam, Agnetem, Cæciliam, & Anastasiam; quas quidem virgines Canoni addidisse Gregorium M. auctor est Aldelmus Episcopus *Lib. de Virg. Cap. XXV.* Sunt autem nonnulla medii ævi Sacramentaria, quæ præter hos sanctos Martyres, nonnullorum etiam Confessorum ponunt nomina, Martini puta, Hilarii, Gregorii &c. uti constat ex vetusto codice Turinensi, cujus characteres fere noni Ecclesiæ Seculi scripturam produnt (31). Denique postrema hujus Orationis verba: *Intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte*, Hieronymum non latuisse, ex ejus commentariis in Psalmos suspicatur Petrus Le Brun (32).

XXI. Neque vero hic prætereunda est vetus Ecclesiæ praxis post hanc precem benedicendi quidquid oblatum esset sive panis, sive frugum, sive primitiarum, sive cujusvis alius fructus. Statim namque, ut est in Missali Lugdunensi (33), Diaconus ad partem Sacerdotis dexteram super

(30) *Florus Magister Duplic. Missæ:* Usus antiquorum fuit, sicut usque hodie Romana agit Ecclesia, ut statim recitarentur ex diptychis, i. e. tabulis nomina defunctorum, atque ita post lectionem nominum subjungerentur verba sequentia: *Ipsis Domine*; ipsis videlicet, quorum nomina memorantur.

(31) *Cod. Turinensis apud Mart. Tom. I. de Rit. Ant. Eccl.* Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam, & societatem largiri digneris cum tuis Sanctis Apostolis, & Martyribus, & Confessoribus, nec non & Virginibus, cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Dionysio, & Mauritio, Laurentio, Quinto, Martino, Hilario, Gregorio, Germano, Brictio, Perpetuo, Sulpitio, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, Euphemia, Scholastica.

(32) *Hieron. in Psalm. LXXII.* Ad capessendam futuram beatitudinem cum electis ejus, in quorum consortium, nos non meritorum inspector, sed veniæ largitor admittet Christus Dominus.

(33) *Missale Lugdun. ad diem S. Sixti:* In Canone missæ antequam Sacerdos dicat: *Per quem hæc omnia, Domine, bona creas*, ponantur a Diacono super altare ad partem dexteram prope manum Sacerdotis dexteram acini uvarum in vaso mundo, & Sacerdos dicat: *Benedic Domine hos fructus novos uvæ, quos tu Domine, rore Cæli, & inundantia pluviarum, & temporum serenitate, atque tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es, & dedisti eos ad usus nostros cum gratiarum actione percipere in nomine Domini nostri Jesu Christi*. Deinde Sacerdos aspergat acinos uvarum aqua benedicta, & postea subjungat: *Per quem hæc omnia*.

per altare novas fruges ſeponebat, easque ille peculiari oratione ſacrabat, adjectaque ſolita clauſula: *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, ſequentia Canonis verba addebat: *Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas &c.* ita, ut verba iſta propoſitas etiam fruges, non ſecus, ac Sacrificii hoſtiam, reſpicerent. Similes frugum Benedictiones complures habet Sacramentarium Gelaſianum ad hunc ipſum Canonis locum. Majores quippe noſtri exiſtimarunt, eccleſiaſticas quaſcumque Benedictiones tum demum plane ratas, ſacrataſque fore, ſi inter ſanctæ oblationis myſteria benedicerentur. Atque hic non poſſum mihi temperare, quin inferius deſcribam egregiam Cardinalis Bonæ in id ſententiam (34).

§. IV. *De Reliquis Ritibus, ac Precibus poſt Canonem ad finem uſque Miſſæ.*

XXII. Putant nonnulli Canonis etiam partem conſtituiſſe Orationem Dominicam. Sed movet me Gregorii Magni *Lib. IX. Epiſt. XII.* auctoritas aſſerentis illam recitari *poſt Precem*, i. e. Canonem. Ergo Canone abſoluto Dominicam Orationem orſurus Sacerdos præfatiunculam præmittit, qua ſe indignum licet, degeneremque filium, Chriſti tamen præcepto, monitiſque confirmatum auſurum dicit Deum Patrem compellare. Hanc autem Præfationem habent etiam aliæ Liturgiæ (35). In ipſa autem Dominica oratione præter obſervata alias, illud advertas, conſueviſſe veteres Chriſtianos, immo ipſoſmet Epiſcopos ad illa verba, *Dimitte nobis debita noſtra* pectus manu tundere, teſte Auguſtino (36). Eandem porro orationem excipit ſtatim altera Eccleſiaſtica Oratio: *Libera nos, quæſumus Domine, &c.* quam veteres Liturgici Scriptores paſſim appellant græco nomine *Embolismum*, quod diceres *Explicationem*: eſt enim ea quædam quaſi diffuſa ejus poſtulatio, quod noviſſimo orationis Dominicæ loco petimus: *Sed libera nos a malo*, ut nempe liberet nos Deus a malis *præteritis, præſentibus, & futuris*, intercedente maxime Beata Maria Virgine, ſanctiſque Apoſtolis Petro, Paulo, atque Andrea. Fuit autem antiquis venia & alios hic Sanctos ad arbitrium nominare, teſte Micrologo (37).

XXIII. Porro autem poſt hanc orationem locus olim erat Epiſcopalibus benedictionibus: ſtatim quippe monente Diacono plebem, ut benedictionem Epiſcopi acciperet, Epiſcopus illis publica oratione benedictionem impertiebatur, uti fuſe ritus hic de-

(34) *Card. Bona Rer. Liturg. Lib. II. Cap. XIV. §. V.* Hæc nimirum majorum noſtrorum religio fuit, ut omnes ſacræ, & Eccleſiaſticæ functiones, Sacramentorum adminiſtrationes, & quæcumque benedictiones intra miſſarum ſolemnia peragerentur: Omnium enim ultima perfectio, & conſummatio Euchariſtia eſt, a qua vim energeticam, & ſanctitatem accipiunt. Sive fœdus faciendum foret, ſive ineunda concordia, ſive aliquid Deo offerendum, ſive Hæretici excommunicandi, ſive Sanctorum Natalitia, aliæque feſtivitates denuntiandæ, ſive indicenda jejunia & litaniæ, ſive reconciliandi Pœnitentes, ſive imponendæ manus ſuper initiandos, ſive Epiſcopi conſecrandi, ſive Reges inungendi, ſive Chriſma conficiendum: Hæc, & alia ejuſdem generis ab Euchariſtia auſpicari ſolebant, nec quidquam ſine Sacrificio recte inſtitui exiſtimabant. Sed tepeſcente ſucceſſu temporis fervore, multa ex his, ne Miſſa prolixior evaderet, ab ea paulatim ſejuncta ſunt: Adeo ut etiam ipſa communio poſt Miſſam differatur, non ſine magna rituum Eccleſiaſticorum perturbatione.

(35) *Liturgia Baſilii*: Dignare nos te Patrem Cæleſtem invocare, & dicere: *Pater noſter &c.*

Liturgia Chryſoſtomi: Dignos nos redde Domine, qui cum fiducia abſque condemnatione audemus invocare te Deum Patrem cæleſtem, & dicere: *Pater noſter &c.*

Liturgia Mozaraba ad diem Natalis Domini: Quod via, ut ſequeremur, oſtendit: Quod vita, ut loqueremur, edocuit: Quod veritas, ut teneremus inſtituit, tibi ſumme Pater, cum tremore cordis proclamamus e terris: *Pater noſter &c.*

(36) *Auguſt. Serm. CCCLI.* Quod ſi falſum eſt, unde quotidie tundimus pectora? Quod nos quoque Antiſtites ad Altare adſiſtentes cum omnibus facimus.

(37) *Microl. Cap. XIII.* Aliorum Sanctorum nomina annumerare non debemus, niſi quos in Canone invenimus antiquitus deſcriptos, excepto poſt *Pater noſter*, in illa oratione *Libera nos*, ubi juxta ordinem quorumlibet ſanctorum nomina internumerare poſſumus.

describitur in *Codice Vatic. MS. num.* 4743. (38). Erant porro Benedictiones illæ certis formulis conceptæ pro diversis anni solemnitatibus. Nos unam inferne appingemus speciminis ergo (39): eratque tum fidelibus facultas ex Ecclesia abeundi, siquidem communicare nollent, uti colligitur ex Conc. Agathensi (40).

XXIV. Post hæc olim Sacerdos dicto: *Pax Domini sit semper vobiscum*, pacem dabat Ministris primo, deinde populo reliquo, quod apparet ex vetusto *Ord. Rom. I.* (41): ac tum partem oblatæ frangebat, inque Calicem immittebat dicens: *Hæc Commixtio, & Consecratio &c.* At post annum millesimum usus obtinuit, uti colligitur ex recentiore *Ord. Rom. V.* (42) ut fractæ oblatæ particulam unam Calici infunderet dicens *Pax domini &c.*, quod nos demum retinuimus. Præterea ille etiam mos obtinuit antiquis temporibus, quem notat *Sacram. Gelas. apud Murat. Liturg. Vet. Rom. Post hæc* i. e. *Pax Domini &c. commonenda plebs de jejuniis quarti, septimi, & decimi mensis temporibus suis, sive pro scrutiniis, vel aurium apertione, sive orandum pro infirmis, vel adnuntiandum Natalitia Sanctorum*. Ad hunc ergo Missæ locum indicebant veteres sive jejunia quatuor temporum, qua scilicet mensis hebdomada jejunandum esset; nam licet certa esset eorum praxis, incertum tamen erat quibus diebus ea celebranda forent pro varia Ecclesiarum consuetudine; sive *scrutinia* i. e. diem, quo solemnes Catechumenorum interrogationes fiebant, an Satanæ abrenuntiarent, an fidem tenerent, quam didicerant, &c. sive denique SS. Martyrum festa, quo majori religione, atque frequentia ad Ecclesiam convenirent. Juvabit hic unam harum Annunciationem subtexere (43).

XXV. Jam vero ubi Hostiæ pars Calici commixta est, recitatur Hymnus *Agnus Dei &c.* Qui quidem hymnus ut inter frangendum hostiam ab Sacerdote, populoque decantaretur, præcepisse Sergium I. qui Pontificatum iniit anno DCLXXXVII. auctor est Anastasius Bibliothecarius *in ejus Vita*. Observandum est autem cum eruditissimo Edmundo Martene *De Ant. Eccles. Rit. Lib. I. Cap. IV. Art. VIII.* in antiquis Sacramentariis subjici versum *Agnus Dei* semel quidem in nonnullis, in aliis ter repeti: ad hæc post XI. demum Seculum ad tertium hujus hymni versiculum adjectam hanc precem: *Dona nobis pacem*, cum antea quivis eorum desineret cum solo *miserere nobis*. Postremo sequuntur tres orationes Sacerdotis pro pace, ac pro se orantis, quo dignus tanti Sacramenti participatione efficiatur: quarum orationum origo non ab summis Pontificibus repetenda est, sed Monachorum privatæ religioni accepta referenda est, ut inquit Micrologus *Cap. XVIII.*

XXVI.

(38) *Cod. MS. Biblioth. Vatic. Num.* 4743. Responso *Amen*. Post orationem *Libera nos* Pontifex ponit particulam super patenam. Tum Diaconus ad Populum conversus Cambucam (*id est Baculum Pastoralem*) in manibus tenens, dicit alta voce: *Humiliate vos ad benedictionem*: Et Chorus respondet *Amen*.... Quibus dictis Pontifex convertit se ad Populum ante medium altaris, & legit benedictionem solemnitati congruentem.

(39) *Benedictio in adventu Domini ap. Pamelium Tom. II. Liturgicorum*: Omnipotens Deus, cujus Unigeniti adventum, & præteritum creditis, & futurum exspectatis, ejusdem adventus nos illustratione sanctificet, & sua benedictione locupletet. *Respondet Chorus*: Amen.

(40) *Concil. Agath. Can. XLVII.* Missas die Dominico a secularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus: Ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi Populus non præsumat.

(41) *Ordo Rom. I.* Archidiaconus pacem dat Episcopo priori, deinde ceteris per ordinem.... Tunc Pontifex rumpit oblatam.

(42) *Ordo Rom. V.* Episcopus rumpit unam oblatam, & ex ea particulam unam in Corporale mittit, & aliam in Calicem, dicendo: *Pax Domini*.

(43) *Cod. Gelasianus*: *Denunciatio pro natalitiis Sanctorum*: Noverit vestra devotio, Sanctissimi Fratres, quod B. Martyris *illius* anniversarius dies intrat, quo Diaboli tentationes exsuperans universitatis Creatori gloriosa passione conjunctus est. Ideoque Dominum collaudemus, qui est mirabilis in sanctis suis; ut illis victoriæ coronam contulit, nobis eorum meritis delictorum indulgentiam largiatur. In illo igitur loco, vel in illa via, illa feria eamdem festivitatem solita devotione celebremus.

XXVI. His vero ita absolutis Sacerdos Corpus, ac Sanguinem sumit, ac deinde populum communicat, nunc quidem solo pane, olim usque ad XII. fere Ecclesiæ Seculum utraque specie. Ad communionis vero ritum quod attinet, id unum dictis supra addimus, triplicem scilicet Calicis porrectionem apud occidentales usitatam fuisse. Aliquando enim Calicem propinabant *calamo*, sive *fistula*, quæ nomina sæpe in vetustis Sacramentariis legere est. Aliquando ipso Calice, ut apparet ex *Greg. Turon.* (44) qui Arianorum hanc fuisse consuetudinem dicit alio calice Regem, alio plebem communicare. Aliquando demum per Corpus Sanguine intinctum, maxime cum aut pueris, aut infirmis calix propinandus esset, uti præscribit *Conc. Turonense* (45). Sed tamen numquam ut id generali praxi fieret, permissum. Hinc Conc. Bracarense III. id generatim vetuit (46). Donec tandem is ritus abolitus est suffecta communione sub una specie.

XXVII. Quoniam vero solebant antiqui Psalmos, atque hymnos decantare, interea dum populus communicabat; hinc origo manavit ejus Antiphonæ, quæ *Communio* inscribitur in Romanis Missalibus. Mos enim erat integrum Psalmum canere cum antiphona, & Doxologia *Gloria Patri &c.* uti præscribit Ordo Romanus (47). Jam vero, ubi populus omnis communicaverat, Orationem recitabat Sacerdos: *Quod ore sumsimus Domine, pura mente capiamus &c.* quæ quidem oratio antiquissima est; siquidem eam præscribunt, præter Micrologum *Cap. XXIII.* vetus Missalæ Gothicum ante ævum Caroli Magni scriptum, tum Sacramentaria Leonianum, atque Gelasianum, hoc tamen discrimine, quod pro voce *pura*, *quæsumus*, substituunt. Alterius vero Orationis, *Corpus tuum, Domine, quod sumsi &c.* meminititem Missa Latina ab Flacco Illyrico edita. Cavesis tamen credas has orationes antiquitus manuum ablutionem, uti nunc, comitatas esse. Namque ante Seculum XII. nulla ablutionis manuum occurrit in Sacramentariis mentio, licet ceteroquin diligentem Calicis purgationem præceperint. Ac primo quidem post id Seculum usu receptum fuit, ut Sacerdos ablueret quidem manus, ab ablutionis vero sumtione abstineret, quum illa plerumque in piscinulam propter dextrum Altaris cornu fabrefactam projiceretur; quod constat ex nonnullis Monachorum Ritualibus (48): mox tandem obtinuit, ut Sacerdotes ablutionem ipsam reverentiæ caussa sumerent, atque inter abluendum binas illas orationes recitarent.

XXVIII. Tum sequitur oratio *Postcommunio* dicta, quod illa grates Deo rependuntur post acceptam Eucharistiam. Hanc *Complendam* etiam, aut orationem ad *Complen-*

(44) *Greg. Turon. Lib. III. Hist. Cap. XXXI. ubi hanc esse scribit Arianorum consuetudinem*, ut ad Altarium venientes de alio Calice Reges communicent, & de alio Populus minor.

(45) *Concil. Turon. ap. Buchardum Lib. V. Cap. VIII.* Sacra oblatio intincta debet esse in sanguine Christi, ut veraciter Sacerdos possit dicere infirmo: *Corpus, & Sanguis Domini proficiat tibi*.

(46) *Concil. Bracar. III. hab. Anno DCLXXV. Can. I.* Illud vero, quod pro complemento communionis intinctam tradunt Eucharistiam populis, nec hoc prolatum Testimonium ex Euangelio recipit, ubi Apostolis Corpus suum, & Sanguinem commendavit. Seorsum enim Panis, & seorsum Calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus.

(47) *Ordo Rom.* Mox ut Pontifex cœperit communicare populum in senatorio, statim schola incipit antiphonam ad communionem, & psallunt usque dum communicato omni populo etiam in parte mulierum, redit in sedem, & repetito versu quiescunt. Pontifex vero contemplans populum communicatum esse, innuit per Subdiaconum primo scholæ, & ille, resalutato eo, dicit *Gloria Patri*, & *sicut erat*, & versum. Et finita Antiphona surgit Pontifex cum Archidiacono, & veniens ad altare dat orationem &c.

(48) *Liber Usuum Ord. Cisterciensis Cap. LIII.* Si quid residuum fuerit de sanguine, bibat illud Diaconus cum Calice, postquam fistulam reddiderit Subdiacono. Quam fistulam antequam reddat, in quantum potuerit, ab utraque parte sugendo, a Sanguine Domini evacuet, Subdiaconus vero tenens fistulam contra faciem suam in transverso, eat ad Sacerdotem per retro altare ministrare vinum in Calice. Qui recepto Calice, respergat digitos suos in ipso, quem ponens super altare, eat ad Piscinam abluere in ipsa digitos aqua.

plendum appellat Sacramentarium Gregorianum, quod est Eucharistici Sacrificii velut complementum. Hinc statim post hanc Orationem populum dimittebat Diaconus hac formula: *Ite Missa est:* posita *Missa* pro *Missione*, ut illud ævum ferebat. Eaque plebem dimittendi formula V. etiam Ecclesiæ Seculo obtingisse videtur, cum ejus meminerit Avitus Viennensis (49). Porro olim, uti testatur Micrologus (50) festis quidem diebus dicebatur *Ite Missa est:* at in Missis quotidianis, ac privatis *Benedicamus Domino:* quod ad illas cum ex instituto necessario conveniretur, publice indicandum populo erat, quando abeundi venia foret; quod ipsum in privatis Missis opus non erat, quandoquidem iis ad arbitrium aderant. Atque hinc apud nos origo fortassis manavit, ut *Ite Missa est* tum demum dicamus, cum *Gloria in excelsis* diximus, quod ille hymnus nescio quid festivum, ac solemne præ se indicat (51). Postea pronus ad Altare Sacerdos dicit: *Placeat Tibi Sancta Trinitas &c.* cujus orationis quamquam mentionem fecerit Seculo XI. Micrologus *Cap. XXII.* testatur tamen eam recitatam fuisse post Missam perfectam. Ex quo statuere licet postremis demum temporibus eum, quem nunc tenet, Missæ locum occupasse.

XXIX. Superest postremo loco Benedictio ad finem Missæ populo impertiri solita illis verbis: *Benedicat vos Omnipotens Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, Amen*, cujus itidem antiquitas X. Ecclesiæ Seculum non progreditur, cum illa, ut hoc Missæ loco daretur, sua demum ætate obtinuisse fateatur Micrologus (52). Antiquitus quippe, ut diximus supra, Episcopi benedictionem populo impertiebantur post Orationem Dominicam, eamque unam satis esse credebant. Atque hinc fit, ut scriptores Liturgici Florus, Amalarius, & Rabanus Maurus nusquam meminerint benedictionis hoc Missæ loco dandæ, uti & Romana tria Sacramentaria Leonianum, Gelasianum, & Gregorianum. Quum vero sensim Episcopales Benedictiones desiissent, hinc factum est, ut ab Sacerdotibus etiam impertirentur ad Missæ finem.

XXX. Hic vero in explicando ritu recitandi initium Euangelii secundum Joannem non immorabimur diutius, cum omnes sciant illud antiquitus lectum non fuisse, sed Sacerdotum privata religione primo, mox Pii V. jussu ad postremum Mis-

(49) *Avit. Vienn. Epist. I.* Ecclesiis, Palatiisque, sive Prætoriis *Missa* fieri pronunciatur, cum populus ab observatione dimittitur.

(50) *Microl. Cap. XLVI.* Congrue in festivis diebus *Ite Missa est* dicitur, quia tunc generalis conventus celebrari solet, qui per hujusmodi denunciationem licentiam discedendi accipere solet. Ad quotidiana autem Missarum solemnia non generaliter ab omnibus, sed a religiosis convenitur, qui plus spiritualibus negotiis, quam secularibus invigilant, quia & reliqua, dum licet, officia frequentant. Ergo convenienter illis post Missam, ut non statim discedant, sed ut Dominum benedicant, denuntiatur. Huic assertioni & Ecclesiastica consuetudo videtur adstipulari; quia cum *Ite Missa est* dicimus, ad populum vertimur, eumque discedere jubemus: Cum autem *Benedicamus Domino* dicimus, non ad populum, sed ad altare, idest ad Dominum vertimur, nosque ipsos non ad discedendum, sed ad benedicendum Domino adhortamur.

(51) *Hinc jussum ab antiquis fuit, hunc hymnum ab solis Episcopis in maximis solemnitatibus recitari, uti scribit Walafridus Strabo Cap. XXII.* Statutum est ut ipse hymnus in summis festivitatibus a solis Episcopis usurparetur, quod etiam in capite libri Sacramentorum designatum videtur. *Ex quo licet conjicere festivum quid, atque solemne hunc hymnum portendere: proindeque merito factum deinde fuit, ut cum* Gloria in excelsis *dicitur, cum scilicet minus solemnis, ac frequens conventus agitur, etiam Ite Missa est omittatur, quod tum non tanta adest Plebis multitudo, cui, data per Diaconum venia, abeundi fiat potestas.*

(52) *Microl. Cap. XXI.* Soli communicantes confectioni Sacramentorum antiquitus intererant, quibus oratio post Communionem, quæ pro solis communicantibus instituta est, pro benedictione potuit satisfacere. Apud modernos autem, cum jam populus communicare cessaret, nec tamen a divinis mysteriis se subtraheret: necessario permissum est, ut a Presbytero benediceretur, ne tam benedictione, quam communione privatus discedere videretur. Sive autem ea occasione, sive alia hoc presbyteris permitteretur ab Episcopis, adeo tamen in usum jam usquequaque venit, ut nequaquam absque gravi scandalo a Presbyteris prætermitti possit.

Missæ locum recitatum fuisse. Atque hæc satis sit breviter ad Latinorum Canonem adnotasse adolescentulorum Ecclesiasticorum commodo.

C A P U T IV.

De Festis diebus Christianorum in genere.

§. I. *De Origine Festorum dierum inter Christianos.*

I. Sicuti nullum in lege naturæ, multoque minus in statu innocentiæ templum Deo erectum, ita neque ullus dies festus aut Adam innocenti, aut primis Hebræorum Patribus præscriptus. Homines namque in Mundi incunabulis ob recentem originis suæ ab opifice Deo memoriam, necdum depravata unius, verique numinis religione per hominum fabulosas traditiones, uti locum quemvis colendo adprecandoque Deo idoneum, ita dies singulos exequendis Religionis officiis destinatos credebant: ex quo fiebat, ut nullis non diebus feriarentur Deo vacaturi. Ceterum per insequutas deinde ætates Judæorum animis partim gentium consuetudine, partim suapte imbecillitate priscam illam, ac tantum spiritualem religionis indolem ægre ferentibus, factum inde est, ut sapientissimus rerum Dominus, qui facilius in officio continerentur, & Templum, & Religiosos, sive festos dies per Mosen illis concesserit, ut ita anceps, & volubilis natio & hostias in templo immolaret, & per statos anni dies studiosius sibi vacaret. Itaque fiebat, ut his quasi avitis religionis suæ monumentis, firmius, atque constantius veræ religionis memoriam, atque documenta retineret.

II. Judæis corde incircumcisis successere deinde Christiani, quos Christus ipse testatus est Deum adoraturos *in spiritu, & veritate*, i. e. ut Patres interpretati sunt, non in templis fabrefactis, sed corde, & spiritu Deo devoto, non per certa temporum intervalla, sed indesinenter quovis die, quovis momento. Hinc antiquissimi Patres ex his Christi verbis id maxime Fidelibus persuasum voluerunt, quovis scilicet die Deo feriandum. Clemens Alex. perpetuas esse ait Christianorum solemnitates, sive navigent, sive peregrinentur, sive laborent, seu quidvis aliud agant (1). Immo Origenes Celsum objicientem nullum festum diem ab Christianis agi non moratur, conceditque merito quidem id ita Ethnicis videri, quandoquidem Christiani nullo habito dierum discrimine singulis quibusque diebus Deo victimas immolant (2). Idem sæpe præter Tertullianum, & Hieronymum (3), docet etiam Chrysostomus, præsertim ubi ait Judæos quidem jussos tribus per annum vicibus ante conspectum Dei apparere in templo, Christianos contra ubique, ac semper, quod his per-

(1) *Clemens Alex. Stromat. Lib. VII. pag.* 517. Per totam ergo vitam diem festum agentes, ubique & omni ex parte Deum adesse persuasi; laudantes agros colimus, laudantes navigamus, & in omni alio vitæ instituto, ut decet, versamur.

(2) *Orig. Lib. VIII. contra Celsum:* Festum enim, ut quidam Græcorum sapiens præclare inquit, nihil est aliud, quam officium facere. Ac vere quidem festum celebrat, quisquis facit, quod debet, semper vacans precibus; continenter incruentas victimas offerens Deo suis precationibus.

(3) *Tertull. adversus Psychic.* Nobis certe omnis dies etiam vulgata consecratione celebratur. *Idem adversus Judæos*: Nos intelligimus magis sabbatizare vos omni opere servili semper debere, & non tantum septimo quoque die, sed per omne tempus.

Hier. ap. Baron. ad annum Chr. LVIII. n. 87. in illud Pauli: Nemo vos judicet in parte diei festi, *hæc habet*: Ut alios dies festos putent, alios non festos. Nobis enim, qui in Christo credimus, jugis, & æterna festivitas est.

perpetua fit solemnitas (4). Atque hinc elucet maxima Ecclesiæ supra synagogam prærogativa, quod illi statis solum diebus Deo victimas mactare, huic e contrario nullis non diebus incruentam Christi hostiam immolare fas fuit.

III. Jam vero quoniam recens Ecclesiæ partim ex gentilibus coaluerat superstitiosæ profanorum festorum religioni addictis, partim ex Judæis, quorum ipso auctore Deo disciplina plerosque festos dies præscriptos habuit: factum inde est, ut Apostoli in hac parte nonnihil indultum voluerint, festosque dies Christianis etiam concesserint, quibus solemnius Deo vacarent. Hinc Apostolus ipse, ut est in Actibus Apost. Hierosolymam petiit Pentecosten celebraturus. Quod explicans Chrysost. Hom. LXIII. Tom. V. *Prudenti*, inquit, *ratione inducii id egerunt, non ut libertatem nostram temporum necessitati subjicerent, sed ut, dum se imbecilliorum submitterent potestati, ad cognitionis opes illos proveherent*.

IV. At Origenes aliam commentus est Christianarum feriarum originem. Contendit enim eo consilio eas inter Christianos institutas fuisse, ut ita illis quasi quibusdam sensibilibus signis imperita multitudo magis in officio contineretur, neque penitus ab eorum animis religio oblitaretur (5); in cujus etiam sententiam inclinare videtur Augustinus (6). Ceterum illud maxime cavendum duxere prisci Patres, ne plebs ignara per festorum celebritatem in maximum errorem prolaberetur, crederetque illis solum diebus religionis officia exequenda, neque aliis prærerea: proindeque scripto semper, & voce monuere, studiosius quidem, atque impensius Dominicis, ceterisque festis diebus Religionis munera obeunda, nihilo tamen segnius in ceteris etiam per annum diebus, quod in primis docet Auctor Constitut. (7), ac sæpe etiam Chrysostomus (8).

V. Atque hinc profecto dignoscitur ejus consuetudinis origo singulos Hebdoma-

(4) *Chrysost. Serm. XXXVI. Tom. V.* Illis quidem tribus solum temporibus, ut festum agerent, imperavit, nobis autem ut semper id præstemus, præcepit. Semper enim nobis est festivitas.

(5) *Origenes contra Celsum Lib. VIII.* Vulgus autem eorum, qui credentes magis videntur, quam sunt, qui vel non potest, vel non vult quotidie festum agere, opus est, ut contineatur talibus sensibilibus admonitionibus, ne omnino dilabatur ab officio. Hæc, ut opinor, cogitans Paulus *partem diei festi* nominavit festum statis diebua recurrens, collatum ad festum illud aliud. Subindicat autem his verbis integrum, & perpetuum festum esse in vita æterna, sicut sacra scriptura docet.

(6) *August. de Civit. Dei Lib. X. Cap. IV.* Ei beneficiorum ejus solemnitatibus festis, & diebus statutis dicamus sacram usque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio. *Eadem habet cont. Faustum Lib. XXXII. Cap.* 12.

(7) *Constit. Apost. Lib. II. Cap.* 19. Cum doces, Episcope, jube, & mone populum frequentare quotidie Ecclesiam mane, & vespere, ut omnino abesse nolit, immo assidue conveniat, neque ullus subducendo se Ecclesiam mutilam faciat, & a corpore Christi unum membrum decerpat.... Quin immo convenite in Ecclesia singulis diebus mane, & vespere ad canendos psalmos, & precationes faciendaa.... Potissimum autem die Sabbato, & Dominica, qui est dies resurrectionis, studiosius convenire in templum Domini *&c.*

(8) *Chrysost. Serm. LII. Tom. V.* Ego ostendo non modo Christum non jussisse dies observari, sed etiam ab hac nos necessitate liberasse: audi sane quid dicat Paulus. Ego vero, cum dico Paulum, Christum dico.... *Dies observatis, & tempora, & menses. Timeo vos, ne forte frustra laboraverim inter vos.* Et rursus: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, &c.* Quotiescumque vero cum dixerit, permisit hoc ejus arbitrio, qui accedit, eumque ab omni dierum observatione liberavit. Quadragesima semel in anno fit. Pascha vero ter in hebdomada, nonnunquam vero quater, vel potius quotiescumque volumus. Est enim Pascha non jejunium, sed oblatio, & sacrificium, quod in singulis fit collectis.... Pascha est mortem Domini annuntiare. Nam quæ hodie fit oblatio quæque hesterna die celebrata est, & quæ singulis diebus, similis est, & eadem cum illa, quæ die illa Sabbati facta est: & nihilo fuit illa venerabilior, quam illa, neque vilior hæc, quam illa: sed una eademque pariter tremenda, & salutaris.

madæ dies, præter sabbatum (9), *Ferias* nominandi. Est quippe feria a feriendis epulis, vel etiam a feriendis victimis, quod per illas negotiis supersedentes ethnici victimis Deos venerabantur. Stati autem, certique erant apud Romanos feriarum dies, uti mox dicam, variique pro temporum conditione. Contra vero Christiani, quippe qui credebant omnibus diebus Deum adorandum, colendumque esse, singulos quosque Hebdomadarum dies *Ferias* appellitarunt. Feriarum porro nomen hoc sensu acceptum antiquissimis etiam Patribus memoratum invenias Tertulliano, Basilio, Chrysostomo, atque Augustino, quorum hic postremus nonnullos etiam arguit, qui diem Martis, aut Lunæ dicere malebant, quam feriam II. aut III. (10). Vide Baronium, qui fuse hujus nominis rationem profert ex Origene, & Hieronymo (11).

§. II. *De Profanis, sive Civilibus Feriis ab Ecclesia partim admissis, partim rejectis, partim in Christianum cultum conversis.*

VI. Sub ortus, atque incrementa Christianæ Religionis cum diversæ feriæ per Romanum imperium celebratæ sint, haud abs re esse crediderim breviter eas hic recensere, quasve earum plane rejecerint majores nostri, quasve aut receperint, aut immutarint, observare. Ahhæc successu temporis, ubi ipsi Imperatores Christi doctrinam amplexati sunt, civiles ferias, quoad ejus fieri potuit, Ecclesiasticis feriis attemperari curarunt. Hinc sedulo ipsas distinguamus necesse est. Feriæ ergo aliæ sunt meræ Ecclesiasticæ, uti feria II. IV. VI. & Sabbatum, in quibus Ecclesiastici conventus fiebant, neque tamen ab operibus servilibus, ut ajunt, supersedendum erat: aliæ & Ecclesiasticæ, & Civiles, uti quævis Dominica, quindecim dies Paschales &c. Aliæ demum meræ Civiles, dictæ quoque Forenses, in quibus dumtaxat a judiciis, secularibusque negotiis vacatio servanda erat; eæque erant vel *Æstiva*, sive triginta dies messium, vel *Autumnales*, sive triginta dies vindemiarum; ad hæc tres dies Kalendarum Januarii, duo dies Natales urbium Romæ, & Constantinopolis, ac quatuor dies Natales Imperatorum (12).

VII. Ac 1. Æstivas, & Autumnales quod spectat, hæ antiquæ feriæ (13) in orbe Ro-

(9) *Ipsum namque per se* Sabbatum *feriam notat. Est enim Hebræum Sabbatum* cessatio, quies. *Josephus Lib. I. Cap. II.* Σάββατον δηλοῖ ἀνάπαυσιν κατὰ τὴν Ἑβραίων διάλεκτον, Sabbatum significat *Cessationem* secundum Hebræorum dialectum. *Ergo id caussæ fuit, cur Saturni diei* Sabbati *nomen relictum per majores nostros fuerit.*

(10) *Aug. in Psal. XCIII.* Una Sabbati dies Dominicus est: secunda Sabbati secunda feria, quem seculares Lunæ diem vocant. Tertia Sabbati, tertia feria, qui Martis dies dicitur a Paganis. Quarta Sabbatorum, quarta feria, qui Mercurii dies dicitur a Paganis, & a multis Christianis. Sed nolumus, ut dicant, atque utinam corrigantur, ut non dicant! sic enim habent linguam suam, qua utantur. Melius de ore Christiano situs loquendi Ecclesiasticus procedit.

(11) *Baron. anno LVII. n. 87.* Ex his igitur ex sententia Origenis, & Hieronymi recitatis, quibus dicitur Christianos sanctiores non hanc, vel illam ad divinum cultum præscriptam habere diem, sed cunctis propensius divinum numen venerari, inferri posse videtur, ea potissimum ratione in Ecclesia antiquitus institutum, ut dies hebdomadæ omnes *Feriæ* nomine dicerentur.

(12) *Cod. Theod. Lib. II. tit. VIII. de feriis, leg. II.* Omnes dies jubemus esse juridicos. Illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus accepit, æstivis fervoribus mitigandis, & autumnis fœtibus decerpendis. Kalendarum quoque Januariarum consuetos dies otio sancimus. His adjicimus Natalitios dies urbium maximarum, Romæ, atque Constantinopolis, quibus debent jura deferre, quia & ab ipsis quoque nata sunt.

(13) *Stat. Lib. IV. Silvarum:*

Certe jam Latiæ non miscent jurgia leges,
Et pacem piger annus habet, messesque reversæ
Dimisere forum: nec jam sibi turba reorum
Vestibulo, querulique rogant exire Clientes:
Cessat centeni moderatrix judicis hasta.

Aut.

Romano fuere, etiam antequam Imperatores religionem Christianam amplecterentur, Statio, Aulo Gellio, Plinio, & Ulpiano memoratæ, atque in Scholis etiam Rhetorum servatæ, uti ex Aulo Gellio, & Augustino condiscimus (14). Adhæc & ab Christianis Imperatoribus, quod nihil noxæ haberent, novis legibus firmatæ, relicta diversarum provinciarum Præsidibus libertate definiendi, quo tempore initium caperent; neque enim messis, & vindemia eodem ubique die, sed pro diverso cujusque provinciæ climate alibi maturius, alibi serius ordiebantur. Jam vero, recte observante Gothofredo, ad ætatem usque Othonis Imp. perdurarunt, qui primus Legibus Longobardorum eas abrogavit (15).

VIII. Proximæ feriæ civiles erant Kalendæ Januariæ, quæ ex Gothofredi sententia tres dies comprehendebant; nimirum pridie Kalendarum, ipsas Kalendas, ac diem tertium Nonarum, vel ut alii dicunt, pridie Nonarum, communiter *Bota*, & *Vota* dictum, quod eo die vota pro salute Principis fierent. Hasce ferias Christiani quidem Imperatores retinuere; at in ipsis ritus idololatricos, actusque superstitiosos severis legibus interdixere. Erant tamen adhuc Christianis occasio impietatis, & intemperantiæ; quamobrem antiqui Patres, & Concilia acriter contra earum observationem invehuntur; ac præsertim Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, Prudentius, aliique (16): tum Concilia Trullanum, & Antissiodorense saltationes, ac superstitiosos quosdam actus in illis servari solitos graviter prohibent (17).

IX. Dies Natalitii Imperatorum tum naturales, sive ii, quibus in lucem editi, tum politici, sive ii, quibus imperium adepti, eadem cum reliquis feriis civilibus semper in veneratione habiti sunt, & eadem cum lætitia transacti. Hisce diebus publica spectacula, & ludi oblectationis caussa populo exhibebantur; atque adeo statuæ, vel Imagines Imperatorum in publicum producebantur, ut populus civilem illis reverentiam haberet. Jam vero Theodosius lata lege præcepit, ut si quis horum dierum in solis diem

Aul. Gell. noct. Attic. Lib. IX. Cap. 15. Cum Antonio Juliano Rhetore, per feriarum tempus æstivarum decedere ex urbis æstu volentes, Neapolim concesserimus &c.

Plin. Lib. VIII. Epist. XIX. Julio mense, quo maxime lites interquiescunt. *Addas etiam Ulp. Digest. Lib. II. tit. XI. de feriis leg. I., & August. Confess. Lib. IX. Cap. II.*

(14) *Videsis proxime superiorem notam.*

(15) *Gothofred. in Cod. Theod. Lib. VIII. de feriis leg. II.* Tandem vero sublatæ fuerunt hæ feriæ ab Octone Lib. II. tit. XLIX. legum Longobardorum.

(16) *Chrysostom. Homil. In Kal. In eos, qui Novilunia observant*: Dies tales (*Kalend. scilicet*) in admiratione habere, & magnam ex illis voluptatem capere, & lucernas in foro accendere, & coronas plectere puerilis cujusdam amentiæ est; noli domus tuæ fores sertis coronare.

August. Serm. V. de Kalendis Januar.

Ambros. Serm. XVII.

Denique Prudent. Lib. I. cont. Symmach.

. . . . Jano etiam celebri de mense litatur
Auspiciis, epulisque sacris, quas inveterato,
Heu miseri! sub honore agitant, & gaudia ducunt
Festa Kalendarum: Sic observatio crevit
Mosque tenebrosus vitiosa in secula fluxit.

(17) *Conc. Trull. Can. LXII.* Kalendas, quæ dicuntur & vota, & brumalia quæ vocantur, & qui in primo Martii mensis die fit, conventum ex fidelium universitate omnino tolli volumus: sed & publicas mulierum saltationes multam noxam, exitiumque afferentes . . . amandamus, & expellimus.

Conc. Antissiod. Can. I. Non licet Kalendis Januarii Vetula, aut Cervolo facere, vel strenas Diabolicas observare. *Est autem* Vetula *pro* Vitula *prisco more, uti* Cervolo *pro* Cervulo. *Solebant quippe hisce Kalendis Gentiles adscitis pecudum formis huc illuc petulantes circumcursare, libidini licentius indulgentes: quod interdictum Christianis gravissimis pœnis fuit. Haliegorius in Pœnitent. Can. VI.* Si quis in Kalendis Januar. quod & multi faciunt, & in Cervulo ducit, aut in Vetula vadit, tres annos pœniteat.

diem incideret, publica spectacula cessarent, ne divina veneratio confecta solemnitate confundatur (18); id quod aliis etiam per annum occurrentibus majoris solemnitatis festis diebus Theodosius junior tribuit (19) uti Natali, & Epiphaniæ Domini, Paschati, & Pentecoste: rationem subnectens; nimirum ut *totæ Christianorum, ac fidelium mentes Dei cultibus* occupentur. Atque, ne id majestati imperiali derogare videatur, ibidem subjicit: *Ne quis existimet .... subeundam forsitan sibi nostræ serenitatis offensam, si minus* &c.

X. Tandem dies natales duarum maximarum urbium Romæ, & Constantinopolis quotannis summa festivitate transigi consuevere, quorum prior in XI. Kal. alter in diem V. Idus Majas incidebat. His diebus ex Cassiodoro (20) spectacula, ac ludi Circenses populo exhibebantur, ac etiam urbium regiarum militibus dona sunt distributa, uti constat ex modo producta Theodosii lege, & ex Sozomeno (21). Tandem cur natales utriusque urbis dies feriati, & non juridici fuerint, rationem dat ibidem Theodosius; *ideo jura*, inquit, *his deferre* (vel deferri) *debere, quia & ab ipsis quoque nata sint*, hoc est leges originem suam traxere.

§. III. *De Festis diebus intra sex priora Ecclesiæ Secula celebratis.*

XI. Christianas antiquitates sedulo perscrutaturus maximum operæ pretium faciet, si in tanta Festorum varietate, quænam eorum penitiorem antiquitatem præseferant, probe dignoscet. Ergo festa Dominicæ diei, Paschatis, Ascensionis, & Pentecostes citra omnem controversiam, omnium antiquissima sunt. Ac solemnitatem quidem diei Dominicæ ipsis scripturis acceptam referendam esse, nemo inficias iverit. In Actibus namque Apostolicis (22) dicitur Paulus *una sabbati* i. e. die Dominica panem fidelibus fregisse, eamque, quoad tum ejus fieri poterat, solemnem egisse. Sabbatum præterea festum diem actum fuisse ab Ecclesia Orientali jam usque ab primordiis colligas ex *Const. Apost.* (23). Paschatis etiam, & Pentecostes institutionem ex scripturis item hauriri auctor est Augustinus *Epist. CCXIX. Hæc de scripturis*, inquit, *firmissime tenentur*. Ceterum alibi de his distinctius loquitur, atque eorum celebritatem, si minus in scripturis præscriptam, ab Apostolis certe derivatam esse: notissimo argumento, quod eorum, quorum nulla in sacris Libris mentio est, ab

(18) *Cod. Theod. Lib. XV. Tit. V. de spectaculis leg. II.* Nullus solis die populo spectacula præbeat, nec divinam venerationem confecta solemnitate confundat.

(19) *Ibid. leg. V.* Dominico, qui septimanæ totius primus dies est, & Natali, atque Epiphaniorum Christi, Paschæ etiam, & quinquagesimæ diebus omni theatrorum, atque circensium voluptate per universas urbes, earundem populis denegata, totæ Christianorum, ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur. Ne quis existimet in honorem Numinis nostri, veluti majore quadam imperialis officii necessitate compelli, & nisi divina religione contemta spectaculis operam præstet, subeundam forsitan sibi nostræ serenitatis offensam, si minus circa nos devotionis ostenderit, quam solebat; nemo ambigat, quod tunc maxime mansuetudini nostræ ab humano genere defertur, eum virtutibus Dei omnipotentis, ac meritis universi obsequium orbis impenditur.

(20) *Cassiodor. Chronic. in Philipp. Imperat.* His Coss. millesimus annus urbis expletus est, ob quam sollemnitatem innumerabiles Philippus cum (*Philippo*) filio suo bestias in circo magno interfecit, ludosque in campo Martio theatrales tribus diebus, ac noctibus populo pervigilante celebravit; quadraginta etiam missus Natali Romanæ urbis concurrerunt, & Agon mille annorum actus.

(21) *Sozom. Lib. V. Cap.* 17. Ubi tempus advenit, ut Imperator dona militibus elargiretur, quod quidem Kalendis apud Romanos, & diebus Natalitiis tum Imperatorum, tum regiarum urbium fieri solet.

(22) *Actus Apost. Cap. XX. v.* 7. Una autem sabbati cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque ad mediam noctem. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo, ubi eramus congregati.

(23) *Constit. Apost. Lib. V. Cap. XX.* In omni sabbato, præter unum (*scilicet Magnum*) atque in omni Dominica lætos conventus celebrare.

ab Apostolica institutione origo petenda sit (24). Profecto Paschatis non secus, ac Pentecostes solemnitates antiquissimis Patribus per secundum, & tertium Ecclesiæ Seculum memoratæ sunt, Irenæo puta, Theophilo, Tertulliano, aliisque, ut mox dicam.

XII. Idem tamen de Natali Domini certo statuere nequimus. Atque Augustinus quidem eo loco, quem supra retuli, nullam injicit Natalis Domini mentionem, forte, quod id Apostolicæ institutionis non crederet. Sane vero pro ejus origine nullum monumentum habemus antiquius ætate Diocletiani Imperatoris ad finem III. Ecclesiæ Seculi, juxta Historiam Nicephori, qui refert ejus Imperatoris ævo Nicomediæ Tyrannum ingentem Christianorum manum noctu Natalem Domini celebrantem igne injecto combussisse (25). Nihilo tamen secius IV. Seculi Patres Basilius, & Nazianzenus de eo loquuti sunt veluti de festo apud omnes recepto in iis Homiliis, quas de Natali Domini habuere. Immo Chrysostomus (26) manifesto eam solemnitatem jam inde ab Ecclesiæ primordiis per universum orbem Christianum celebratam fuisse contendit. Ex quo conjectura assequi licet id festum aut ab Apostolis, aut ab Apostolicis certe viris institutum fuisse. Id vero de Epiphania etiam dictum accipias, cum de hac veluti Natali Domini conjuncta iidem passim loquantur Patres.

XIII. Apostolorum autem, Martyrumque solemnitates item antiquissimæ, eæque saltem ad medium secundi Seculi conjiciendæ. Anno enim CLXVIII. in Ecclesia Smyrnensi S. M. Polycarpi memoria festive admodum recolebatur, uti constat ex eorum Epistola ad Philomelienses apud Eusebium (27), quod indicat pridem hanc inter Christianos consuetudinem obtinuisse Martyrum Natales dies celebrandi. Tertullianus etiam de *Natalitiis Martyrum* loquitur, ceu de re omnibus cognita (28). At Cyprianus fideles admonet, ut quo quisque Confessor die mortem pro Christo oppetiisset, adnotarent, ut annis volventibus stata die cujusque memoriam religioso cultu perennarent (29). Quod autem hic de Martyribus diximus, de Apostolis etiam intelligas, cum ii fere non alio titulo publice in Ecclesia celebrarentur, quam quod Martyrium pro Christo subiissent.

XIV. At de Confessorum festis secus judi-

(24) *August. Ep. CXVIII. Cap. I.* Illa autem, quæ nec scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri, sicut quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cælum, & Adventus de cælo Spir. Sancti anniversaria solemnitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universa, quocunque se diffundit, Ecclesia.

(25) *Niceph. Lib. VII. Cap. VI.* Cum Natalis Christi festus adesset dies, & multitudo ætatis omnis, quæ Christi nomine censentur, in Templo Natalem eum celebratura convenisset, Tyrannus veluti opportunum tempus, & lucrosam occasionem nactus, per quam vesaniam, & furorem suum adimpleret, misit eos, qui Templum clauderent, & ignem circumcirca accenderent &c.

(26) *Chrysost. Hom. XXXI. de Bapt. Christi. Tom. V.* Hic dies (*Natalis Domini*) antiquus admodum, & pervetustus est, jam inde a primordio ab Thracia ad Gades usque incolentibus manifestus, & celebris fuit.

(27) *Euseb. Lib. IV. Cap. V.* Ossa illius gemmis pretiosissimis, & quovis auro cariora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet Deus Natalem ipsius Martyris diem cum hilaritate, & gaudio celebrare.

(28) *Tertull. de Coron. Milit. Cap. III.* Oblationes pro defunctis, pro *Natalitiis* annua die facimus.

(29) *Cypr. Ep. VI. ad Clerum Carthag.* Cum voluntati, & Confessioni nostræ in carcere, & vinculis, accedit & moriendi terminus., consummata Martyrii gloria est. Denique & dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Quamquam Tertullus fidelissimus & devotissimus frater noster, præ cetera sollicitudine, & cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, scripserit, ac scribat, & significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem beatæ mortis exitu transeunt, & celebrentur hic a nobis oblationes, & sacrificia ob commemorationes eorum, quas cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.

judicandum est. Cardinalis Bona *Rer. Liturg. Lib. I. Cap. XV.* §. 11. serius omnino ea instituta credit, ad V. scilicet Ecclesiæ Seculum. Atqui satius est Ecclesiam Orientalem ab Occidentali secernere. Orientalem namque Ecclesiam jam pridem per IV. Seculum cultu religioso Confessores, qui magis virtute inclaruerant, prosequutam esse, ex Hieronymo (30) discimus, qui anniversariam Antonii denati diem celebrante ait Hilariõnem Abbatem. Ad hæc Sozomenus narrat Palæstinam Ecclesiam plerosque sanctos Confessores veneratam esse, Hilarionem Gazaum, Aurelium Anthedonium, Alexionem, aliosque (31). Vixere hi autem omnes Constantii Imperatoris ævo. At inter Occidentales S. Martini Confessoris memoriam cultui publico dicatam novimus VI. Ecclesiæ Seculo ex statutis duorum Conciliorum Turonensis, & Matisconensis, quorum illud habitum est anno DLXX. illud anno DLXXXI. (32). Longe ergo prius, saltem in Ecclesia Orientali, religiosus cultus SS. Confessoribus attributus est, contra quam quod opinatus est Bona.

XV. At per eadem hæc tempora, i.e. post IV. Seculum non minimum accepere incrementum religiosa Christianorum festa. Nam 1. institutum legimus festum *Circumcisionis* sub ætatem Leonis Magni, ut constat ex quadam ejus Epistola, ubi nonnullorum Festorum stata tempora significat (33). Ceterum extra omnem dubitationis aleam positum est id festum *anno DLXVII.* celebratum fuisse ex præscripto *Conc. Turon. II.* (34) 2. Festum *Puri-*

(30) *Hieron. Vit. Hilar. Cap. XXVI.* Confessus est fratribus instare diem dormitionis Antonii, & pervigilem noctem in ipso, quo defunctus fuerat loco, a se debere celebrari.

(31) *Sozom. Lib. III. Cap. XIV.* Florebat in ea (*Palæstina*) tunc temporis divinus Hilario.... Ceterum ita acceptus fuit Deo, ut ad ipsius tumulum multi ægri, & dæmoniaci etiam nunc curentur: & quod magis mirere, tam apud Cyprios, ubi primum sepultus est, quam in Palæstina, ubi nunc jacet. Nam cum in insula Cypro, ubi tunc degebat, mori eum contigisset, sepultus est ab incolis, magnoque cultu, & honore ab eis afficiebatur. Postea vero Hesychius, qui inter ejus discipulos celeberrimus fuit, reliquias ejus furatus, in Palæstinam deportavit, & in monasterio ipsius sepelivit. Atque ex eo tempore hujus regionis incolæ diem festum quotannis celebrem, & splendidum publice agunt. Hoc enim modo Palæstini honorare solent viros sanctos, qui apud ipsos vixere: e.g. Aurelium Anthedonium, Alexionem ortum Bethagathone, & Alaphionem ex Asalea, qui cum eodem tempore sub Constantii viverent principatu, monasticam philosophiam pie, ac viriliter excoluerunt &c. *Hæc autem satis refellendo sunt Roberto Salæ, qui in Cardinalem Bona* Lib. I. Rer. Liturg. Cap. XV. §. II. Not. V. *auctorem ut suum subornet, quovis pignore contendit, nuspiam gentium Christianarum ante VI. Ecclesiæ seculum publicum cultum S. Confessoribus tributum fuisse. Vide etiam* Doctiss. Jacobum Laderchium Presbyterum Cong. Orat. Rom. *cujus est egregius in id argumentum Liber.*

(32) *Conc. Turon. II. Can. XVIII.* Pro reverentia Domini Martini, vel cultu, ac virtute, id statuimus observandum, ut tam in ipsa Basilica Sancti (*Martini*) quam in Ecclesiis nostris iste ordo psallendi servetur. *Habebant ergo Turones anno DLXX. Templum Martino dicatum, in quo publico etiam cultu ejus sancti memoriam recolebant.*

Conc. Matiscon. I. Can. IX. Ut a feria S. Martini usque ad Natalem Domini secunda, & quarta, & sexta feria jejunemus &c. *Ergo sub hujus Matisconensis Concilii tempora publicus per universam Galliam Martini cultus evasit. Nam si de una Turonica Ecclesia, cujus ille Episcopus fuit, loquaris, non dubito quin aut statim, aut certe paulo post Martini obitum, publicus festus dies ejus memoriæ præscriptus fuerit. Obiit autem S. Martinus vel anno* CCCC. *vel, ut alii volunt* CCCCII. *Antiqui in Missa ejus Sancti in Missali Mozarabo in Oratione* Post Nomina *hæc leguntur:* Hunc virum, quem ætatis nostræ tempora protulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus. *Fuit ergo Missa de S. Martino ab ei supparibus Patribus præscripta, jamque proinde ad initia, aut certe ad medium V. seculi, cultus Confessorum in Ecclesia Turonensi saltem invaluit; namque e Turonibus primum Missam S. Martini prodiisse certum habeo.*

(33) *Leo M. Epist. II. Cap. II.* Discernendæ erant caussæ solemnitatum... Unde aliud est tempus, quo annuntiante Angelo Beata Maria fœcundatam se per Spiritum S. credidit, & concepit; aliud, quo salva Virginea integritate puer editus exultante gaudio cælestium ministrorum, Pastoribus indicatur; aliud, quo Infans *circumciditur*; aliud, quo hostia legalis pro eo offertur; aliud, quo tres Magi claritate novi sideris incitati in Bethlehem ab oriente pervenerunt.

(34) *Conc. Turon. II. Can. XVII.* Excipitur illud triduum, quo ad calcandam Gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt privatas in Kalendis Januariis fieri litanias, ut in Ecclesiis psallatur, & hora octava in ipsis Kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur.

Purificationis, quod Græci Ὑπαπαντὴν dicunt, *Occursum* scilicet *Senis Simeonis cum Domino*. Nonnulli quidem ad ævum usque Chrysostomi id referunt, ex quadam Pseudo-Chrysostomi Homilia in Ὑπαπαντὴν. At, ut optime observat Leo Allatius, eos affatim refellit Georgius Hamartolus Græcus scriptor, qui ex genuino Chrysostomo probat sollemnitatem *Hypapantes* seu Purificationis tunc temporis nondum obtinuisse, sed regnante demum Justiniano *anno DLXI.* institutam fuisse (35).

XVI. Festum Annuntiationis, quod alii Athanasii, alii Thaumaturgi temporibus enatum credunt ex quibusdam eorum Patrum *in Annuntiationem* Sermonibus. Verum teste Dupinio, ii recentiores habent scriptores, qui post Nestorium, & Eutychetem scripsere. Ergo illud in annum *DCXCII.* merito conjicias. Quandoquidem Concilium Trullanum eo anno habitum Missam Præsanctificatorum celebrari jubet quotidie in Quadragesima, exceptis Sabbati, Dominicæ, & Annuntiationis diebus (36). De eo autem loquitur Canon velut de festo jam pridem omnium usu recepto. Quod argumento est illud jamdiu sub finem VI. aut saltem ad initia VII. Seculi exordium sumsisse. Et sane ejus mentio diserta occurrit in Canone quodam *Conc. Tolet. X.* (37) ubi Annuntiationis Festum, quod die XXV. Martii contingebat, in diem octavam ante Natalem Domini transfertur.

XVII. Præterea alias quasdam solemnitates minus communes post IV. item Ecclesiæ Seculum celebrari cœpisse constat. Ac 1. *Encæniarum*, sive Dedicationum Templorum: ut illa ejus templi, quod supra montem Golgotha Magnus Constantinus construi imperavit; quam ingenti diversarum gentium concursu actam fuisse auctor est Sozomenus (38). 2. *Anniversariorum* Ordinationis cujusque Episcopi, quæ eo consilio instituta fuere, ut quotannis monerentur Antistites ejus, quam in se susceperant Episcopalis oneris sarcinæ, uti

(35) *Hamartol. Chr. in Vit. Justin. apud Leon. Allat. de Hebdom. Græc. §. I.* Hoc tempore (*Justiniani scilicet*) *Hypapante* celebrari cœpit, quæ haud numerabatur in festis Dominicis. Namque Chrysostomus ita ait: Sex diebus creavit Deus omnia opera sua, ut scriptum est, & requievit. Quapropter & ultimis diebus Dei verbum investigans, & deperditum servare sibi complacens, & hominem adsumens, secundum numerum dierum creationis Mundi dies festos suæ œconomiæ nobis tradidit. Primus est solemnitatum radix, Christi secundum carnem ex S. Virgine Maria post conceptionem Nativitas: secundus Epiphania: tertius salutiferæ Passionis dies: quartus gloriosissima Resurrectio, in qua & in subterranea progrediens Salvator, una secum in vitam revocavit Justos, & eos, qui crediderunt: quintus in cælum ejusdem Assumtio; quemadmodum & quinto hebdomadis die perfecta est: sextus Adventus Sp. Sancti: septimus universæ resurrectionis magnus, & sine ulla successione dies. Tunc enim vere celebrabunt festum cum multo gaudio, & lætitia, qui hæredes futuri sunt eorum, quæ oculus non vidit, neque auris audivit, nec &c.

(36) *Conc. Trullanum Can. LII.* In omnibus sanctæ Quadragesimæ esurialibus diebus, exceptis sabbato, Dominica, & Sanctæ *Annuntiationis* die, celebretur S. Liturgia Præsanctificatorum.

(37) *Conc. Tolet. X. Can. I.* Ut ante octavum diem, quo natus est Dominus, Genitricis quoque ejus dies habeatur celeberrimus, & præclarus. Ex pari enim honore constat, ut sicut Nativitatem Filii sequentium dierum insequitur dignitas, ita festivitatem Matris tot dierum sequatur sacra solemnitas. Nam quod festum est Matris, nisi incarnatio Verbi, cujus utique ita debet esse festum solemne, sicut est ejusdem Nativitas Verbi? *Hic tamen observa, id festum* Conceptionem *etiam Virginis Mariæ appellatum fuisse. Sic illud cum ab aliis passim, tum ab Ervige Visigothorum Rege nominatum invenio in Leg. Visig. Lib. XII. Cap. VI.* Dies autem ipsi, qui ab iisdem Judæis sollicita sunt devotione observandi, hi sunt: i. e. Festum S. Virginis Mariæ, quo gloriosa *Conceptio* ejusdem Genitricis Domini celebratur. *Quod monuimus, ne quis in vetustioribus* XII. *Seculi Auctoribus id nominis de Conceptione Virginis ipsius acciperet. Id tamen non obstitit, quominus præcipuum etiam cultum exhibuerint fideles erga ipsam Beatam Deiparam, uti constat ex verbis Canonis hujus; proindeque turpiter hallucinatur Hospinianus, qui ejus festi solum, unicumque σκοπὸν fuisse contendit cultum Domini ipsius.*

(38) *Sozom. Lib. II. Cap. XXVI.* Ex eo vero tempore solemnem quotannis Festivitatem admodum splendide Hierosolymitana celebrat Ecclesia, ut Baptismi quoque sacramenta tradantur eo die, & per octo continuos dies collectæ fiant. *Incidebat id Encæniarum festum in diem XIII. Septembris, quo die Templum illud dedicatum fuerat. Vide Valesium de Anastasi ad Calcem Euseb.*

uti observat Augustinus (39). Hæc Festa *Natales Episcoporum*, aut *ἁπλῶς Natalitia* appellitabant. Sic idem Augustinus graviter querebatur, magna pompa celebrata fuisse *Natalitia* Optati Gildoniani Donatistarum Episcopi (40). Sunt etiam in hanc rem luculenta Paulini, Ambrosii, atque Hilarii testimonia (41). 3. Demum ob magnæ alicujus liberationis, vel ob accepti ab Deo singularis beneficii memoriam. Sic Alexandrini, teste *Sozom.* (42) XII. Kalen. Aug. ad templa gratulabundi confluebant, quod ea die horribilis terræmotus quieverat, marisque minaciter exæstuantis vortices resederant, qui Juliano imperante tanta vi, tantoque impetu obstrepuerant, ut supra tectorum fastigia, pacato mari, remanserint navigia. Vide etiam *Marcellinum*, qui ejus terræmotus meminit (43). Ob simile huic beneficium Cpolitani VIII. Kal. Octob. aliud insigne festum agebant, teste *Marcellino Comite apud Euseb.* (44).

§. IV. *De Origine, & Observatione Diei Dominicæ inter Christianos.*

XVIII. Dies Dominica in Ecclesia inde ab ipsis Apostolorum temporibus semper magna cum veneratione est celebrata: id ex pluribus Novi Testamenti locis liquet, ac præcipue, uti diximus, ex *Act. XX.* ubi hæc habentur: *Una autem Sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis.* S. Joannes *Apoc. I.* diserte eum vocat diem Dominicum: *Fui in spiritu raptus die Dominico.* Hic sane Joannes haud quidem Sabbatum intelligit, quod procul dubio nominasset, nec aliquem alium Septimanæ diem, quia sic ambiguus esset titulus, sed profecto diem illum designat, quo Christus resurrexerat, quippe hac ratione recte dies Dominicus dici quiverit.

XIX.

(39) *Augustin. Homil. XXIV. Tom. X.* Die quidem omni, & omni hora, & cura omnino continua, dilectissimi, cogitare debet Episcopus, quantæ dispensationis sarcinam gerat, qualem de illa rationem Domino reddat suo. Verumtamen cum dies anniversarius nostræ ordinationis exoritur, tum maxime honor hujus officii, tamquam primo imponatur, attenditur. Interest autem, quod eo die, quo id prius suscepimus, tantum, quemadmodum gerendum esset, cogitavimus: at vero consequentibus diebus præcipueque illo, quo ejus solemnitas agitur, non solum futura ejus, quemadmodum deinceps geri debeant, cauta prævisione consulimus, verum etiam præterita, quemadmodum gesta sint, sollicita recordatione recolimus.

(40) *Augustin. cont. litt. Petil. Lib. II. Cap. XXIII.* Cujus Natalitia tanta celebratione frequentabatis, cui pacis osculum inter sacramenta copulabatis, in cujus manibus Eucharistiam ponebatis, cui vicissim danti manus porrigebatis &c.

(41) *Paulin. Epist. XVI. ad Delphinum*: Nos ipsos ad Natalem suum invitare dignatus est.

Ambros. Epist. V. ad Felic. Episc. Comensem: Tum ego nostris fabulis intexui diem Natalis tui. Natalem tuum prosequemur nostris orationibus.

Hilar. Epist. II. ad Tarracon. Concil. Lectis in conventu fratrum, quos Natalis mei festivitas congregarat, litteris vestris &c.

(42) *Sozom. Lib. VI. Cap. II.* Alexandrini certe eum diem, quo hæc contigerunt, quem etiam *Natalem terræmotus* appellant, ad nostram usque memoriam, quotannis festum agunt, & plurimis lucernis per universam Urbem accensis, preces cum gratiarum actione afferentes Deo, splendide simul, ac religiose eum diem celebrant.

(43) *Ammian. Marcellin. Lib. XXVI. ad finem*: Hoc novatore (*Juliano scilicet*) adhuc superstite, cujus actus multiplices docuimus, & interitus diem duodecimum Kalendarum Augusti, consule Valentiniano primum cum fratre, horrendi terrores per omnem orbis ambitum grassati sunt subito, quales nec veridicæ nobis antiquitates exponunt. Paulo enim post lucis exortum, densitate prævia fulgurum acrius vibratorum tremefacta concutitur omnis terreni stabilitas ponderis, mareque dispulsum retro fluctibus evolutis abscessit, ut retecta voragine profundorum, species natantium multiformes limo cernerentur hærentes: valliumque vastitates, & montium tunc, ut opinari dabatur, suspicerent radios solis, quos primogenia rerum sub immensis gurgitibus amandavit... ingentes aliæ naves extrusæ rabidis flatibus, culminibus insedere tectorum, ut Alexandriæ contigit.

(44) *Marcel. Com. Chron. Cos. Basilio apud Euseb. Chronic. pag. XLV.* Urbs regia per XL. (*sic ibi legitur*) continuos dies assiduo terræmotu quassata magnopere sese afflicta deplanxit. Ambæ Troadenses porticus corruerunt, aliquantæ Ecclesiæ, vel scissæ sunt, vel collapsæ. Statua Theodosii Magni in foro tauri super Choclidem columnam posita corruit, duabus fornicibus ejus collapsis. Hunc formidolosum diem Byzantii celebrant VIII. Kal. Octob.

XIX. S. Ignatius M. manifesto ad ejusdem diei observationem respicit, ubi Magnesianos jubet non amplius sabbatizare, sed secundum diem dominicum (κυριακὴν) vivere (45). Hunc locum Ignatianum explicans Clemens Alex. scribit: *Exequens præceptum Euangelii facit illum diem Dominicum, quo malam abjecerit animi sententiam, & acceperit eam, quæ est ex cognitione, eam, quæ est in ipso Domino glorificans Resurrectionem*. Igitur ἡ κυριακὴ commune nomen fuit diei Dominicæ (46). Tum Plinius Ep. ad Trajanum, ubi de Christianis refert, quod essent soliti *stato die* ante lucem convenire, carmenque Christo, tanquam Deo dicere, procul dubio diem dominicum intelligit. Ad hæc veteres Patres aliquando diem Solis nominant; ac præsertim Justinus M. & Tertullianus (47), qui de sacris conventibus eo die a fidelibus actis expresse loquuntur. Diem quoque Solis plerunque in suis legibus Imperatores posuere; verum & diem Dominicum nonnunquam dicunt, quod magis usitatum inter Christianos erat, uti speciatim in lege *XIII. Cod. Theod. Lib. XI. Tit. V. de exactionib.* Valentiniani junioris, cujus hoc est initium: *Solis die, quem Dominicum rite dixere majores*. Quod vero Majorem diem Solis *Dominicum* dixerint, non modo ex indicatis Ignatii, & Clementis Alex. locis colligitur, verum & ex Dionysio Corinthio, Irenæo, Origene, Eusebio, aliisque efficitur (48): qui non modo de nomine, verum & de celebritate eo die universaliter in Resurrectionis Dominicæ memoriam peracta testes sunt luculentissimi. Postremo dies Panis a Chrysostomo vocatus est, quod Fideles singulis Dominicis ad recipiendam Sacram Eucharistiam convenirent, uti fusius demonstravimus, cum de Liturgiis egimus.

§. V. *De Operibus die Dominico prohibitis.*

XX. Ac 1. ex pluribus Christianorum Imperatorum legibus hoc die omnes lites, & actiones forenses prohibentur, iis solum exceptis, quæ absolutæ essent necessitatis, vel magnæ caritatis; hinc ex Constantini lege (49) permittuntur die Dominico emancipatio, & manumissio servorum, aliaque negotia, quæ in lege *votiva* dicuntur; & ex lege Honorii (50) ab generali Regula excipitur inquisitio con-

(45) *Ignat. Epist. ad Magnes. n. IX.* Non amplius Sabbatizantes, sed secundum dominicam diem viventes, in qua & vita nostra exorta est per ipsum, & mortem ipsius.

(46) *Fallitur ergo Nicephorus, qui* Lib. VII. Cap. XLVI. *ait ab Constantino M. primum id nominis Dominicæ diei Solis inditum fuisse*: Constantinum M., *inquiens*, illum diem, quem Judæi primum numerarunt, & Græci Soli dedicarunt, Dominicum appellasse. *Id quippe cum adducta supra Ignatii, & Joannis Euangelistæ loca indicant, tum ipsa Cod. Theod. Lex in Tit. XIII. de Exactionibus palam fatetur*: Solis dies, quem *Dominicum* rite dixere majores.

(47) *Justin. M. Apol. II.* Solis die communiter omnes conventum agimus, quandoquidem is primus dies est, quo Deus tenebris & materia, quam prius creaverat, versa, mundum effecit, & Jesus Christus servator noster eo ipso die a mortuis resurrexit.

Tertull. Apol. Cap. XVI. Æque si *diem solis* lætitiæ indulgemus alia longe ratione, quam religione Solis &c.

(48) *Dionys. Episc. Corinth. ad Soter. Rom. ap. Euseb. Lib. IV. Cap. XXIII.* Hodie sacrum diem Dominicum transegimus περὶ κυριακῆς. *Iren. Epist. ad Victor. Rom. ap. Euseb. Lib. V. Cap. XXIV.* Statuit in sola Dominica die mysterium resurrectionis Domini esse celebrandum: τῇ τῆς κυριακῆς ἡμέρᾳ.

Origen. Hom. VII. in Exod. XV. Quod si ex divinis scripturis hoc constat, quod die dominica τῆς κυριακῆς Deus pluit manna de Cælo, & in sabbato non pluit, intelligant Judæi, jam tunc prælatam esse Dominicam nostram Judaico Sabbato.

(49) *Cod. Theod. Lib. II. tit. VIII. de feriis leg. I.* Sicut indignissimum videbatur, diem solis veneratione sui celebrem altercantibus jurgiis, & noxiis partium contentionibus occupari, ita gratum, ac jucundum est, eo die, quæ sunt maxime votiva, compleri: Neque ideo emancipandi, & manumittendi die festo cuncti licentiam habeant, & super his rebus actus non prohibeantur.

(50) *Cod. Theod. Lib. IX. tit. XXXV. de quæstionibus Leg. VII.* Provinciarum judices moneantur, ut Isaurorum latronum quæstionibus nullum Quadragesimæ, nec venerabilem Pascharum diem

contra naviculatios publicum frumentum ex Africa Romam transvehentes, si qua fraudis suspicio adversus eos esset; quia publici frumenti conservatio multum intererat ad salutem Urbis Romæ. Tum in *Cod. Theod. L. IX. Tit. XXXV. de quæstionib. Leg. VII.* Honorius, & Theodosius junior sanciunt: *In Isaurorum latronum quæstionibus, nec venerabilem Paschanum diem excipiendum: ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quæ per tormenta quærenda est.* Verum ubi ab his, aliisque ejusmodi specialibus casibus discessetis, actiones caussarum forensium eo die omnino erant interdictæ.

XXI. Vetita quoque die dominico omnia negotia secularia, ac serviles operæ, iis exceptis, quibus, vel ex necessitate, vel ex magna quadam caritate vacandum esset: uti collectio frugum messis tempore, visitatio detentorum in carceribus reorum ab Episcopis, & Judicibus institui solita, aliaque id genus. Eusebius in vita Constantini *Lib. IV. Cap. XVIII. XIX. XX.* binas leges memorat, quibus suis militibus eo die ab omni militari exercitio cessandum præscripserit. Id etiam Sozomenus indicat (51), ac ipsæ Constantini leges, altera in Theodosiano, altera vero in Justinianeo (52) Codice adhuc extantes *cunctarum artium officia venerabili die Solis quiescere præscribunt*, solis ruriculis agrorum culturæ vacandi libertatem concedentes, quod frequenter eveniat, ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur: uti quoque ex lege Honorii (53) Judicibus non modo permittitur, verum & injungitur singulis Dominicis reos in carcere detentos invisere, ac interrogare, num ab carcerum custodibus humanitatis officia per leges eis indulta denegentur.

XXII. Adhæc & Episcopus loci judices identidem monere jubetur, hac in parte officio suo deesse ne velint. Simile quid statutum invenitur in Synodo Aurelianensi V. (54) *anni DXLIX.* dum præscribitur, ut ab Archidiacono diebus dominicis vinctorum necessitates subleventur, iisdemque competens de dono Ecclesiæ victus tribuatur. Verum isthæc

diem existiment excipiendum, ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quæ per latronum tormenta quærenda est: cum facillime in hoc summi criminis speratur venia, per quod multorum salus, & incolumitas procuratur.

(51) *Sozom. Lib. I. Cap. VIII.* Præterea die Dominico, quem Hebræi quidem primum Sabbati appellant, Gentiles vero Soli consecraverunt, & eo, qui Sabbatum antecedit, cunctos a judiciis, aliisque negotiis feriari præcepit. *Valesius ad hunc locum deceptum putat Sozomenum, qui dicat per Constantini legem sextam etiam feriam feriatos fuisse veteres.* Id de suo, *inquit*, admensus est Sozomenus. Qui cum sua ætate id observari videret Constantinopoli, Constantinum ejus rei auctorem fuisse, credidit. *At non videras Eruditissimus vir Pollucis locum id ipsum testantis in Chronico de Constantino*: Feriam sextam, & Dominicam honorari jussit: illam quidem propter Crucem Christi, hanc vero propter Resurrectionem. *An deceptum etiam Pollucem dicet unius Eusebii silentio fretus?*

(52) *Cod. Justin. Lib. III. tit. XII. de feriis Leg. III.* Omnes judices, urbanæque plebes, & cunctarum artium officia venerabili die Solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturæ libere licenterque inserviant. Quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur: ne occasiona momenti pereat commoditas cælesti provisione concessa.

(53) *Cod. Theod. Lib. IX. tit. III. De Custodia reorum Leg. VII.* Judices omnibus Dominicis diebus productos reos a custodia carcerali videant, interrogent, ne his humanitas clausis per corruptos carcerum custodes denegetur: victualem substantiam non habentibus faciant ministrari, libellis duabus, aut tribus diurnis, vel quod æstimaverint ... mulcta judicibus viginti librarum auri, & officiis eorum ejusdem ponderis constituta ... Nec deerit antistitum Christianæ religionis cura laudabilis, quæ ad observationem constituti judicis banc ingerat monitionem.

(54) *Concil. Aurel. V. Can. XX.* Qui pro quibuscumque culpis in carceribus deputantur, ab Archidiacono, seu a Præposito Ecclesiæ diebus dominicis requirantur, ut necessitas vinctorum secundum præceptum divinum misericorditer sublevetur, atque a Pontifice instituta fideli, & diligenti persona, qui necessaria provideat, competens victus de dono Ecclesiæ tribuatur.

hæc caritatis officia in Codice Justinianeo (55) a die Dominico ad Ferias IV. & VI. transferuntur. Per alias quoque leges licentia a Constantino ruriculis indulta non mediocriter imminuitur (56); quam & ante, & post Constantinum Ecclesiæ Patres impugnaverant; ac præ ceteris Irenæus, Tertull. Augustinus (57); atque etiam plura Concilia, uti Aurelianense III. Antissiodorense, Matisconense, aliaque (58).

XXIII. Ecclesia autem, uti iis, qui diem Dominicum profanabant, sese opponebat, ita ex adverso superstitiosam, ac pharisaicam a quibusdam eo die servatam ab omni opere manuum abstinentiam semper damnavit. Hinc ab Origene (59) notantur Dositheani, quippe qui illam Moysis legem: *Nullus movebitur de loco suo in die Sabbati*, ridiculo sensu interpretati, statuebant, unumquemque quo habitu, quo loco, qua positione in die Sabbati fuerit inventus, ita usque ad vesperam debere permanere. Judæorum magistri in confutandis Dosithei somniis non minus erant ridiculi; namque, uti ab eodem Origene (60) addiscimus, dicebant unicuique locum suum reputari intra duo millia ulnarum, idque ex inanibus quibusdam suis traditionibus præscribebant. Similia in interpretandis aliis legibus, quæ operari, & onus ferre in Sabbato prohibent, dictitabant. Verum adversus inania isthæc commenta Christiani semper medium in diei Dominicæ observatione tenuere, ab operibus quidem minus necessariis vacantes; nec tamen penitus ab labore abstinentes, si quæ magna necessitas id requireret. Hinc Synodus Laodicena (61) otiari die dominico præscribit, at continuo adjungit: *Si modo possint*, εἰγε δύναιντο: per quæ verba Balsamon, & Zonaras recte observant speciales quosdam casus excipi, in quibus die Dominica operari liceat.

XXIV.

(55) *Cod. Justin. Lib. IX. tit. IV. De custodia Reorum Leg. VI.* Oportet autem Episcopum per quartam feriam, aut parasceven inquirere eos, qui sunt in custodia &c.

(56) *Leo Novell. LIV.* Neque Agricolæ, neque quiquam alii in illo die (*Dominico*) illicitum opus adgrediantur.

(57) *Iren. Lib. IV. Cap. XX.* Esurientes accipere Sabbatis escas ex his, quæ adjacebant, non vetabat lex: metere autem, & colligere in hòrreum vetabat.

Augustin. Seu quis sit Auctor sermonum de tempore Homil. CCLI. Ideo Sancti Doctores Ecclesiæ decreverunt, omnem gloriam Judaici Sabbatismi in diem Dominicam transferre. Observemus ergo diem Dominicam, & sanctificemus illam, sicut antiquis præceptum est de Sabbato, docente legislatore: A vespere usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra. Videamus ne otium nostrum vanum sit, sed a vespera diei Sabbati, usque diei Dominicæ sequestrati a rurali opere, & ab omni negotio soli divino cultui vacemus. *Addas etiam Tertull. cont. Marc. Lib. II. Cap. XVI.*

(58) *Concil. Aurelian. III. Can. XXVII.* Quia persuasum est populis die Dominico cum caballis, & bobus, & vehiculis itinerare non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem domus, vel hominis pertinentem ullatenus exercere: quæ res quia ad Judæam magis, quam ad observantiam Christianam pertinere probatur, id statuimus die Dominico, quod ante fieri licuit, licere. De opere tandem rurali, id est agricultura, vel vinea, vel sectione, vel messione, vel excussione, vel ex secta sæpe consuimus abstinendum, quo facilius ad Ecclesiam venientes orationis gratiæ vacent.

Concil. Antissiod. Can. XVI. Non licet die dominico boves jungere, vel alia opera exercere. *Vide etiam Concil. Matiscon. II. Can. I.*

(59) *Origen. περὶ ἀρχῶν Lib. IV. Cap. II.* Alii, ex quibus Dositheus Samaritanus.... ridiculosius aliquid statuunt, quia unusquisque, quo habitu, quo loco, qua positione in die Sabbati fuerit inventus, ita usque ad vesperam debeat permanere.

(60) *Origen. ibid.* Fabulas autem inanes, & frivolas commentantur ex nescio quibus traditionibus proferentes de Sabbato, dicentes: unicuique locum suum reputari intra duo millia ulnarum.

(61) *Concil. Laodicen. Can. XXIX.* non oportet Christianos judaizare, & in Sabbato otiari, sed ipsos eo die operari; diem autem dominicum præferentes otiari, si modo possint, ut Christianos. *In hunc vero canonem hæc commentatur Balsamon*: adjecerunt *si possint fideles*. Si enim propter inopiam, vel aliam necessitatem, etiam die Dominico fuerit aliquis operatus, præjudicium ei non adferetur. *Eadem habet Zonaras*.

XXIV. Spectacula, Ludi, Scenæ Theatrales, ac ferarum cursus die Dominica prorsus vetita; idque ex pluribus Theodosii senioris, Leonis, & Anthemii (62), aliorumque Imperatorum legibus; immo Theodosius junior (63) eam prohibitionem ad Natalem, & Epiphaniam Christi, ad Pascha, & Pentecosten extendit. Judæi etsi Sabbato operari nolebant, attamen non dubitabant eum diem ebrietate, saltationibus, compotationibus nocturnis, aliisque illicitis oblectamentis transigere; unde de eorum Sabbatis merito Deus conqueritur per Prophetas suos. Atque hinc veteres Ecclesiæ Patres occasionem arripiunt admonendi fideles, ne diei Dominicæ vacationem more judaico servarent: quum Christiano spiritualiter Sabbatum observandum sit; nimirum a malis operibus, ab omni opere nugatorio, & ab omni carnali lætitia, & voluptate abstinendo: ita Augustinus, Chrysostomus, Prudentius, aliique (64). Tum Concilium Carthag. IV. (65) excommunicationis pœna mulctandos decernit, qui die Dominica prætermisso Ecclesiæ conventu, ad spectacula vadunt. Similem pœnam suis auditoribus pariter minatur Chrysostomus *Hom. VI. in Gen. Tom. II.*

XXV. In veteri Ecclesia die Dominico nullum omnino jejunium agi permittebatur. Hinc Augustinus (66) Manichæos damnat, quod die Dominico jejunent; quia id sit in resurrectionem Christi non credere; & Leo M. (67) Priscillianistas ob eandem consuetudinem damnat: Canones quoque sic dicti Apostolici, & Concilia Carthag. IV. Bracarense, Gangrense, & Cæsaraugustanum (68) quoscumque die dominica jejunantes excommunicandos decernunt; ab qua

(62) *Cod. Theod. lib. XV. de spectac. tit. V. Leg. II.* Nullus omnino judicum, aut theatralibus ludis, aut circensinm certaminibus, aut ferarum cursibus vacet, nisi illis tantum diebus, quibus vel in lucem editi, vel imperii sumus sceptra sortiti.... Nullus solis Die populo spectaculum præbeat, nec divinam venerationem confecta sollemnitate confundat. *Vide etiam Cod. Justin. Lib. III. tit. XII. de feriis Leg. XI. ubi bina Leonis, & Anthemii leges in id argumentum prostant.*

(63) *Cod. Theod. Lib. XV. de Spectac. tit. V. Leg. V.* Dominico, qui septimanæ totius primus est dies, & Natale, atque Epiphaniarum Christi, Paschæ etiam & Quinquagesimæ diebus..... omni theatrorum, atque circensium voluptate per universas urbes earumdem populis denegata, totæ Christianorum, ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur.

(64) *Prudent. Apoc. v. 355.*

..... Stultum est sic credere sacrum:
Sanguine balantis summos contingere postes,
Lascivire choris.

August. de decem chordis Cap. III. Dicitur tibi: ut spiritualiter observes Sabbatum, non quomodo Judæi observant carnali otio: vacare enim volunt ad nugas, atque luxurias suas. Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam in theatro seditiosus existeret.

Chrys. Homil. I. de Lazaro. Judæi corporalium rerum curis liberati non vacabant spiritualibus, sobrietati scilicet, modestiæ, & audiendis divinis sermonibus; sed contrarium potius faciebant, servientes ventri, indulgentes ebrietati, distenti cibis, deliciantes.

(65) *Concil. Carthaginiens. IV. Canon. LXXXIII.* Qui die solemni, prætermisso solemni Ecclesiæ conventu, ad spectacula vadit, excommunicetur.

(66) *Augustin. Epist. LXXXVI. ad Casulan.* Nunc vero, postea quam hæretici, maxime impiissimi Manichæi, jejunia diei Dominici, non aliqua necessitate occurrente peragere, sed quasi sacra sollemnitate statuta dogmatizare cœperunt, & innotuerunt populis Christianis, profecto nec tali necessitate, qualem Apostolus habuit (*Actor. XX.*) existimo faciendum esse, quod fecit; ne majus malum incurratur in scandalo, quam bonum percipiatur ex verbo.

(67) *Leo M. Epist. XCIII. Cap. IV.*

(68) *Canon. Apost. Can. LXIV.* Si quis Clericus inventus fuerit die Dominica jejunans, vel Sabbato, præter unum solum, deponatur; si vero laicus sit, segregetur.

Concil. Carthag. IV. Can. XIV. Qui Dominico die studiose jejunat, non credatur Catholicus.

Conc. Brac. I. Can. IV. Si quis Natalem Christi secundum carnem non bene honorat, sed honorare se simulat, jejunans eodem die, & in Dominico; quia Christum in vera hominis natura natum esse non credit, sicut Cerdon, Marcion, Manichæus, & Priscillianus, anathema sit.

Vide etiam Gangrens. Can. XVIII. & Cæsaraugust. Can. II.

qua generali regula neque Ascetas excipiendos Synodus Trullana sanxit (69). Unde Epiphanius (70) de veri nominis Ascetis, & Cassianus (71) de monachis Orientis testantur, quod nullis diebus Dominicis atque adeo neque ipsius Qnadragesimæ tempore jejunare consueverint: uti quoque Ambrosius nec in ipsa Quadragesima Sabbatis, & diebus Dominicis jejunari adfirmat (72).

XXVI. Jam vero generalis hujusce consuetudinis duplex potissimum fuit ratio. Altera, quod enm diem ob reverentiam resurrectionis Dominicæ Christiani jam inde ab Apostolorum ætate ceu diem lætitiæ agendum duxerint. Altera, quod Cerdoniani, Marcionitæ, Manichæi, & Priscillianistæ, quod Christum in vera hominis natura natum non crederent, die Dominico jejunium servari vellent; unde in perversæ cujusdam opinionis suspicionem veniebant ii, qui sacro Dominicæ die studiose jejunium agerent. Ceterum, si necessitas requireret, nec esset hæreticæ pravitatis suspicio, aut contemtus, quisque eo die jejnnare poterat: uti, observante Hieronymo (73), Apostolus Paulus, & cum eo credentes diebus Pentecostes, & die Dominico jejunium egisse dicuntur in Actibns Apostolorum: id quod & alios deinde in Ecclesia fecisse historica monumenta testantur (74).

XXVII. Illud hic juvat animadvertere, Fideles die Dominico semper stantes fuisse precatos, iis tantummodo exceptis, qui sub publica pœnitentiæ disciplina constituti essent, quos Canones ipsis etiam diebus remissionis genua jubent flectere (75). Verum hac de re fusius egisse alibi meminimus.

§. VI. *Quidnam veteres fideles potissimum die Dominico præstiterint.*

XXVIII. Ac 1. constanter, & assidue omnibus publici cultus solemnitatibus vacabant; & qnidem eo studio, nt nonnisi morbus, carcer, exilium, aliave magna quæ-

(69) *Conc. Trull. Can. IV.* Quoniam intelleximus in Romanorum civitate in sanctis Quadragesimæ jejuniis, in ejus Sabbatis jejunare, præter Ecclesiasticam traditam observationem: sanctæ Synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesia inconcusse vires habeat Canon, qui dicit: si quis Clericus inventus fuerit in sancto die Dominico vel Sabbato jejunare, præter unum & solum, deponatnr: si autem laicus, segregetur.

(70) *Epiph. Expos. Fidei §. XXII.* Qui pietati student, egregia quadam ac laudabili voluntate perpetuo, solis Dominicis ac Pentecostes diebus exceptis, jejunia sibi ac vigilias imponunt. Nam Dominicas omnes festas hilaresque Catholica esse sanxit Ecclesia. Ac sollemnes conventus matutinis horis indicit, nec ulla jejnnia celebrat. Absurdum enim est jejunare Dominico die. Ceterum ante septem Paschatis dies quadragesimam observare atque in jejuniis perseverare eadem consuevit Ecclesia: Dominicis vero nullis omnino, adeoque nec ipsius quidem Quadragesimæ, jejunare solet.

(71) *Cassian. Institut. Lib. III. Cap. IX.* Ideoque & absolutio jejunii post vigiliarum laborem, totidem Apostolicis viris in die Sabbati statuta, non immerito præsumitur per universas Orientis Ecclesias secundum illam quoque Ecclesiastes sententiam, quamlibet habet & alium mysticum sensum, tamen ab hoc quoque non abhorret: quo utrique diei, id est, hebdomadi pariter, & ogdoadi, eamdem partem solemnitatis impartire præcipimur ita dicentis: *Da partem his septem, & quidem his octo.* Non enim ad communionem festivitatis Judaicæ absolutio ista jejunii reputanda est, his præsertim, qui ab omni judaica superstitione alieni monstrantur, sed ad refectionem, quam diximus, lassi corporis pertinere, quod *per totas anni septimanas* jugiter quinis diebus jejunans, nisi duobus saltem interpositis refocillatum fuerit, facile lassescit, ac deficit.

(72) *Ambros. de Elia, & jejun. Cap. X.* Quadragesima totis præter Sabbatum & Dominicam jejunatur diebus.

(73) *Hieron. Epist. XXVIII. ad Lucinium Bæticum*: Utinam omni tempore jejunare possemus, quod in actibus Apostolorum, diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum & cum eo credentes fecisse legimus!

(74) *Celerinus Epist. XXI. ap. Cyprian.* Pro cujus factis ego in lætitia Paschæ flens die & nocte, in cilicio & cinere lacrimabundus dies exegi.

(75) *Concil. Carthag. IV. Can. LXXXII.* Pœnitentes etiam diebus remissionis genua flectant.

quædam necessitas illos ab hoc cultu abstraxerit. Hinc ægrotantibus, ac detentis in carcere Eucharistia per Diaconos administrabatur, qui eam ad illos deferebant, ut sic, quantum fieri posset, cum publico conventu participarent. De hac re fusius disseremus, ubi de Sacramenti Eucharistiæ administratione agemus. Illud hic tantummodo animadvertendum, ipsis etiam difficillimis persecutionis temporibus, quando interdiu ad colendum Deum sine vitæ periculo coire non poterant, nocturnos, & antelucanos ob id conventus celebrasse. Id ex Plinio (76), & Tertulliano (77) colligitur. Quinimmo licet nocturni hi conventus sub nomine *Hetæriarum* legibus prohiberentur; atque adeo non semel universus populus cum ipso pariter conventiculo concrematus fuerit, uti Eusebius, & Lactantius (78) nobis fidem faciunt; vix tamen inde justam, & idoneam excusationem, quo minus coirent, se habere existimabant.

XXIX. Aliud ferventioris studii in diei Dominicæ observatione documentum est, quod longis vigiliis, sive nocturnis conventibus religiosæ illius diei solemnitati sese præparare consueverint. Et sane antelucani cœtus licet persecutionis primum temporibus instituti fuit, attamen persecutionibus jam finitis, uti alibi observavimus, ceu utile pietatis exercitium, adhuc perdurarunt: & licet nullum hac de re esset Ecclesiæ præceptum, attamen magna cum alacritate, & assiduitate ab omnium ordinum hominibus frequentabantur.

XXX. Huc quoque facit id, de quo alibi pluribus loquuti sumus, nimirum multis in locis, ac maxime in civitatibus, majoribusque Ecclesiis duo die Dominica sermones fuisse habitos, ad quos fideles frequentes confluebant, uti ex Chrysostomo, Basilio, Augustino, aliisque demonstravimus.

XXXI. Verum etiamsi nullus vespere in Ecclesia sermo haberetur, nihilominus officio vespertino die Dominico generatim fideles interesse se debere putabant: ab quo cum nonnulli ea ratione se excusari vellent, quod orare vel domi possent, eis in hunc modum respondet Chrysostomus: *Te, homo, decipis & magno in errore versaris. Nam etsi domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut domi tam bene ores, quam in Ecclesia, ubi tot Patres, ubi clamor felici societate excitus ad Deum immortalem refertur. Non pariter exoras, cum solus Deum obsecras, atque tuis cum fratribus.* Sed jam Lib. I. pluribus demonstrasse meminimus quam vehemens veterum Christianorum fuerit studium in conjungendo se cum precibus Ecclesiæ.

XXXII. Idem tandem adstruitur ex pœnis, quibus Ecclesia in eos semper animadvertit, qui diei Dominicæ observationem violassent. Innumeri pene in hanc rem Canones proferri possent; at satis sint Canones Apost. Concilia Gangrense, Carthaginiense IV. & Bracarense I. (79) ubi si qui Dominicam non colerent, atque esurialem traducerent, tum excommunicatione digni, tum hæresis Christi resurrectionem negantis suspecti judicantur. Et sane dies Dominica semper in Ecclesia habita est, ceu dies resurrectioni consecrata Dominicæ.. *Regina, & maxima omnium dierum..... in qua vita nostra exorta est, & in Christo*

(76) *Plinius Lib. X. Epist. XCVII.*

(77) *Tertull. de Fuga Cap. XIV.* Quomodo colligemus, quomodo Dominica sollemnia celebrabimus? *Respondebat*: Utique quomodo Apostoli, fide non pecunia tuti. Quæ fides si montem transferre potest, multo magis militem. *Et paucis interjectis addit*: Si colligere interdiu non potes, habes noctem luce Christi luminosi adversus eam.

(78) *Euseb. Lib. VIII. Cap. XI.* Certe Urbem quamdam Christianorum in Phrygia milites armati obsidione cinxerunt: injectoque igne totam una cum viris & mulieribus ac parvulis Christum omnium Deum invocantibus concremarunt.

Lactant. Lib. V. Cap. XI. Aliqui ad occidendum præcipites extiterunt, sicut unus in Phrygia, qui universum Populum cum ipso pariter conventiculo concremavit.

(79) *Vide Not. superiorem* (68).

sto mors est devicta : ut ait *Pseudo-Ignatius Ep. ad Magnes.*

§. VII. *De Observatione diei Sabbati*.

XXXIII. Licet antiquitus diem Sabbati Ecclesiæ Orientales in lætitia, Occidentales vero ex parte in jejunio transegerint, omnes tamen ex æquo in eo præcipuo quodam Dei cultu observando conveniebant. Ac 1. in Ecclesia Orientali, excepto Sabbato magno inter Parasceven, & Pascha, semper ceu dies festus habitus est: uti non modo ex concordi Græcorum Scriptorum testimonio, verum & ex Augustino (80) manifesto apparet. Qua de re, ut alibi demonstravimus, cum de conventibus diei Sabbati fieri solitis disseruimus, eadem prorsus cultus divini officia, quæ Dominico die, Sabbato quoque in Ecclesia publice peragebantur. Neque vero inde colligas, diem Dominicam nullis respectibus Sabbato fuisse prælatam. 2. Namque Fideles nullis legibus in die Sabbati stando orare jubebantur, quod tamen in memoria resurrectionis Christi Domini die Dominica ubique servatum. 2. Ex legibus Imperialibus ea die caussarum actio haud vetita; neque 3. publica spectacula, & ludi, uti die Dominico prohibita. 4. Demum nec ullis legibus homines die Sabbati ab manuum opere penitus arcebantur: quinimmo ad vitandam Hebraicæ pravitatis suspicionem ipsis die Sabbati operari præscribebatur; ita Synodus Laodicena vetat Christianos Sabbatis otiari (81).

XXXIV. Cur autem vetus Ecclesia antiquam Sabbati Judaici observationem continuarit, illud potissimum in caussa fuisse videtur; nimirum ut Judæos ad Christianam Ecclesiam facilius pertraheret; quam ob caussam etiam in Apostolico Hierosolymitano Concilio a sanguine suffocato, & ab Idolis immolatis animantibus abstinentia præscripta est. Si quis autem Sabbati observationem more Judaico vellet inducere, hic ab Ecclesia, ceu hæreticus rejectus est. Hinc Ebionitæ hæreseos nomine damnati sunt, quod Sabbatum secundum legem observarent, licet simul Dominicum diem more Christiano sanctificaretur. Quo sensu S. Gregorius M. *Ep. III. Lib. XI. Antichristum Sabbati observantiam renovaturum esse* dicit. Verum pro Ecclesia Orientali, ubi potissimum Sabbatum, ceu festus dies agebatur, alia quoque caussa reddi solet. Marcion enim, ejusque sectatores in odium Dei Judæorum, sive creatoris mundi omnino jejunandum dictitabant; id expressis verbis Epiphanius adfirmat (82).

XXXV. Christiani igitur ne nefarie Marcionis impietati ullo modo favere viderentur, Sabbatum diem festum in lætitiam ducebant. Unde unus ex Canonibus (83) sic dictis Apostolicis in hanc rem sic decernit: *Si quis clericus inventus fuerit die Dominica jejunans, vel sabbato præter unum solum, deponatur, si vero laicus sit, segregetur*. Post Marcionem multi alii hæretici deinceps ipsius

(80) *August. Epist. XIX. ad Hieron.* Vellem me doceret benigna sinceritas tua, utrum simulate quispiam sanctus Orientalis cum Romam venerit jejunet Sabbato, excepto illo die Pascatis vigiliæ? Quod si malum esse dixerimus, non solum Romanam Ecclesiam, sed etiam multa ei vicinia, & aliquando remotiora condemnabimus, ubi mos idem tenetur & manet. Si autem non jejunare Sabbato malum putaverimus, tot Ecclesias Orientis, multo majorem Orbis Christiani partem, qua temeritate criminabimur? Placet ne tibi, ut medium quid esse dicamus, quod tamen acceptabile sit ei, qui hoc non simulate, sed congruenti societate atque observantia fecerit?

(81) *Conc. Laodic. Can. XXIX.* Quod non oportet Christianos judaizare, & in Sabbato otiari: sed ipsos eo die operari. *Addas huic etiam Theophilactum in Cap. XII. Matth. ubi Sabbatum esse dicit ἀργίαν τῶν κακῶν* Cessationem a malis: *& in Cap. V. Joann. testatur per illud minime feriatos esse Christianos*: Ne colamus Sabbatum otio corporali, sed malorum abstinentia.

(82) *Epiphan. Hær. XLII. §. III.* Marcion Sabbato jejunium ob eam caussam sanxit. Cum enim, ait, Judæorum Dei, qui hunc mundum fabricavit, illa sit requies, quandoquidem hic septima die requievit, eadem nos jejunare instituimus, ne Judæorum Dei ritibus uti videamur.

(83) *Can. Apost. LXIV.*

ipsius consuetudinem jejunandi in Sabbato sunt imitati, licet non omnes iisdem sic agendi rationibus ducti; Eustathiani enim, & Messaliani tantummodo ex vitæ Asceticæ amore id faciebant. Attamen Ecclesia hujusmodi praxim nunquam adprobavit: atque adeo Synodus Trullana Ecclesiam Romanam carpere non dubitat, eo quod Sabbatum diem esurialem faciat, atque ut hanc consuetudinem emendet, præscribit (84).

XXXVI. Ut autem de Ecclesia Romana distinctius loquamur, eruditus Albaspinæus censet ipsam initio, æque ac Ecclesias Orientales Sabbatum festa celebritate coluisse. Et sane si Romana Ecclesia tertio Seculo Sabbatum, ceu diem esurialem habuisset, id Tertullianus in libro de Jejunio, quem jam Montanista conscripsit, proculdubio notasset, quippe quod suæ caussæ tantopere faveret, ac extraordinarios suæ sectæ jejunii dies mirum in modum justificaret (85). Patres Illiberitani (86) primi videntur fuisse qui Sabbati jejunium in Ecclesias Hispaniæ induxerint. Augustinus (87) longo post tempore nonnullas tantummodo Occidentis Ecclesias cum Romana eo die jejunare observat; & maxime in Africa varium hac in re usum notat (88). Tum Ambrosio auctore (89) Mediolani non modo per annum, verum & in ipsa quadragesima tum Dominica, tum singula etiam Sabbata, solo Sabbato Magno excepto, festa, & læta agebantur. Id quod etiam Augustinus haud semel notat, præsertim *Epist. ad Casulan. LXXXVI.* ubi Monicæ Matri de hac diversa Ecclesiarum consuetudine sollicitæ ex Ambrosii auctoritate sic se respondisse dicit. *Quando hic sum, non jejuno Sabbato. quando Romæ sum jejuno Sabbato. Et ad quamcumque Ecclesiam veneritis, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere.* Constat igitur Sabbati jejunium non fuisse in omnibus Occidentalibus Ecclesiis admissum. Atque adeo illæ ipsæ, quæ ejusmodi jejunium receperе de ratione inter se non consentiebant. Alii enim, teste Augustino (90) inde derivabant, *quod Apostolus Petrus* cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejusdem urbis Ecclesia jejunaverit, & consecuto tam prospero gloriosoque successu eumdem morem tenuerit, eumque imitatæ sunt nonnullæ Orientis Ecclesiæ: idem quoque tradit

Cas-

(84) *Concil. Trull. Can. LV.* Quoniam intelleximus in Romanorum civitate in sanctis Quadragesimæ jejuniis in Sabbatis jejunare præter Ecclesiasticam traditam observationem: sanctæ Synodo visum est, ut in Romanorum quoque Ecclesia inconcusse vires habeat Canon, qui dicit: si quis Clericus inventus fuerit in sancto die Dominico, vel Sabbato jejunare, præter unum & solum, deponatur; sin autem laicus sit, segregetur.

(85) *Quin immo contrarium etiam hoc ipso in Libro docet, cum ibi testetur Catholicos omnibus Sabbatis, præter unum, magnum illud, inquam, Pascha præcedens, feriatos fuisse. Cap. namque XIV. contra Catholicos scribens:* Et jejuniis, *inquit*, Parasceven: quamquam vos etiam Sabbatum, si quando continuatis, numquam nisi in Pascha jejunandum, secundum rationem alibi redditam.

(86) *Concil. Illiberitan. Can. XXVI.* Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die jejuniorum superpositiones celebremus.

(87) *Augustin. Epist. LXXXVI. ad Casul.* Hinc exorta est ista in regia illa veste varietas, ut aliis, sicut maxime populi Orientis, propter requiem significandam mallent relaxare jejunium, alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, sicut Romana & nonnullæ Occidentis Ecclesiæ.

(88) *Idem ibid.* Contingit maxime in Africa, ut una Ecclesia, vel unius regionis Ecclesiæ alios habeant Sabbato prandentes, alios jejunantes.

(89) *Ambros. de Elia, & Jejun. Cap. X.* Quadragesima totius, præter Sabbatum, & Dominicam, jejunatur diebus.

(90) *August. Epist. LXXXVI. ad Casulan.* Est quidem & hæc opinio plurimorum, quamvis eam esse falsam perhibeant plerique Romani, quod Apostolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum ejusdem urbis Ecclesia jejunaverit, & consequuto tam prospero, gloriosoque successu, eumdem morem retinuerit, eumque imitatæ sint nonnullæ Occidentis Ecclesiæ.

Cassianus (91). Verum ipsomet Augustino observante hanc opinionem ut falsam plerique Romani rejiciebant. Innocentius I. (92) aliam ejusdem rei dat rationem, nimirum quod eo die Christus Dominus in sepulcro mortuus jacuerit, & Apostoli in gravi mœrore fuerint, & propter metum Judæorum se occuluerint. Atque posterior isthæc ratio Innocentii potissimum eruditis probatur; quæ tamen instituti caussam assignat, haud vero primitivorum temporum praxim fuisse probat.

(91) *Cassian. Institut. Lib. III. Cap. X.* Cujus moderaminis caussam nonnulli in quibusdam Occidentalibus Civitatibus ignorantes, & maxime in Urbe, idcirco putant absolutionem Sabbati minime debere præsumi, quod Apostolum Petrum in eadem die contra Simonem conflicturum asserunt jejunasse.

(92) *Innocent. Epist. I. ad Decent. Cap. IV.* Si sexta feria propter passionem Domini jejunamus, Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam, atque lætitiam temporis illius videtur inclusum. Nam utique constat, Apostolos biduo illo in mœrore fuisse, & propter metum Judæorum se occuluisse.

CAPUT V.

De Præcipuis Christi Domini per annum festis Solemnitatibus.

§. I. *De Solemnitate* Natalis Domini.

I. Atque in signando die Natalis Domini varias fuisse Orientalium opiniones constat ex *Clemente Alex.* (1) qui illas recenset: at communior ea videtur fuisse, quæ Christum die VI. Januarii natum statuit. Hac die solemnitatem Nativitatis Dominicæ celebrabant tum Ecclesiæ Ægypti, referente Cassiano (2), tum Cypriæ teste Epiphanio (3), tam Antiochenæ, ceteræque Orientales, ut indicat Chrysostomus (4), ac tandem Hierosolymitana, & Palæstinæ, uti pluribus demonstrat Cotelerius (5). At contra Ecclesiæ Latinæ, Africanæ, atque etiam Græcorum ceteræ, semper pro die XXV. Decembris steterunt, uti Hier. Augustinus, Cassianus ipse, Chrysostomus, Nazianz. Basilius (6) aliique perspicue tradunt: quinimmo Ecclesiæ Orientales exeunte Seculo IV. Ægyptiæ paulo post, uti Hierosolymitana quoque, Palæstinæ, aliæque meliora ab

(1) *Clemens Alex. Strom. I.* Quidam eorum (*Basilidianorum*) dicunt in Mense Pharmuti natum die XXIV. vel XXV.

(2) *Cassian. Collat. X. Cap. II.* Epiphaniorum diem provinciæ illius Sacerdotes, vel Dominici baptismi, vel secundum carnem Nativitatis esse definiunt; & idcirco utriusque Sacramenti sollemnitatem non bifarie, ut in occiduis provinciis, sed sub una diei hujus festivitate concelebrant.

(3) *Epiph. Exposit. Fidei XXII.* Epiphaniorum die, qua Dominus secundum carnem natus est, jejunare non licet.

(4) *Chrysost. Hom. XXI. de Natali Christi*: Nondum decimus annus est, ex quo hic ipse dies manifeste nobis innotuit . . . hic dies, quum ab exordio iis, qui in Occidente habitant, cognitus fuerit, nunc ad nos demum non ante multos annos transmissus, ita increvit.

(5) *Vide Cotel. Not. in Constitut. Apost. Lib. V. Cap. XII.*

(6) *August. de Trinit. Lib. IV. Cap. V.* Natus traditur (Christus) octavo Kalendas Januarias.

Cassian. Collat. X. Cap. II. Vide Not. sup. (2).

Hieron. in Ezechiel. I. Apud Orientales October erat primus mensis & Januarius quartus. Quintam autem diem mensis adjungit, ut significet baptisma in quo aperti sunt Christo Cæli; & Epiphaniorum diem huc usque venerabilis est; non ut quidam putant, Natalis in carne. Tunc enim absconditus est, & non apparuit: Quod huic tempori congruit, quando dictum est; hic filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

ab Occidentalibus edoctæ in eamdem XXV. Decembris diem Natalis Christi Domini solemnitatem fixere (7). Hinc Chrysostomus *Hom. XXXI. de Nat. Chr. Tom. V.* hæc habet: *Nondum decimus annus est, ex quo hic ipse dies manifeste nobis innotuit . . . Hic dies, quam ab exordio iis, qui in Occidente habitant, cognitus fuerit, nunc ad nos demum non ante multos annos transmissus ita increvit &c.* Et in actis Concilii Ephes. habetur Homilia Pauli Episcopi Emiseni habita vigesimo nono die mensis Chojac (est XXV. dies Decembris) in magna Alexandriæ Ecclesia, præsente B. Cyrillo *de Nativitate Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi.*

II. Quod vero Fideles maxima cum veneratione hoc festum celebrarint, patet ex Chrysostomo (8) cum in homilia quadam, ubi quinque ante diebus populum ad celebrandam Christi nativitatem invitat; tum alibi tradit fideles ea die Eucharistiam recipere consuevisse (9). Similia videre est apud Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Augustinum, Leonem, aliosque (10). Igitur dubitandum non est eum diem eadem, qua dies Dominica, veneratione fuisse celebratum. Adhæc eo die 1. ex Auctore Constitutionum (11) servis liberias data est a consuetis laboribus cessandi. 2. Jejunium severe prohibitum æque ac die Dominico. Ita Leo P., Concilium Bracarense, aliique (12) 3. Fidelibus injunctum, ne ad minores Ecclesias in agris, sed ad Ecclesiam civitatis religiosum conventum celebraturi accederent. Ita Conc. Aurel. (13).

(7) *Tempus, quo quæque Orientis Ecclesia Occidentalium Chronologiam sequuta est, varium diversumque fuit, diligenterque notandum. Constat enim, primos omnium Antiochenos Romanam praxim amplexatos fuisse ævo Chrysostomi, ut supra dictum est. Mox Alexandrini quoque in Occidentalium sententiam ivere: idque certo contigisse puta ante annum* CCCCXXXI. *quo anno Conc. Ephesinum habitum fuit, ubi Paulus Emisenus Sermonem recitavit adstante ipso Cyrillo Alexandrino, hoc inscriptum titulo in Act. ejus Conc.* Homilia Pauli Episc. Emiseni habita vigesimo nono die Mensis Chojac in magna Alexandriæ Ecclesia, præsente Beato Cyrillo, de Nativitate Domini, & Salvatoris Nostri Jesu Christi. *Dies autem XXIX. Mensis Chojac incidit in diem XXV. Decembris. Dominum Hierosolymit V. Ecclesiæ Seculo per Juvenalem ejus Ecclesiæ Patriarcham item XXV. Decembris die Nativitatem Domini celebratam fuisse fuse probat Coteleriue ex Basilio Cilice, ex Joanne Nicæno, aliisque* Not. in Constit. Lib. IV. Cap. V.

Cur autem in hac parte tantum Occidentalibus Græci detulerint, Græci, inquam, in susceptæ semel sententiæ proposito ceteroquin obstinatissimi, discas ex Chrysostomi Hom. XXXI. in Nat. Domini, *ubi confidenter credendum in ea re Romanis ait, quod apud hos diu acta descriptionis Judææ a Quirino facta conservata fuerunt, proindeque hos rectius, quam Orientales potuisse Natalem Domini figere in diem XXV. Decembris.* Ex his, *inquit*, liquet, Descriptionis primæ tempore natum esse. Et cui veteres historiarum Codices, qui Romæ publice adservantur, lectitare libeat, perfacile etiam tempus hujusce descriptionis accurate discere poterit . . . Ausculta: neque diffidas, si ab illis, qui exactam hujus rei cognitionem habent, quique illam urbem inhabitant, hunc diem accepimus. Nam illi ipsi, qui illic commorantur, multo ante . . . ex antiqua traditione ipsum celebrantes ad nos usque illius notitiam nunc transmiserunt.

(8.) *Chrysost. Hom. XXXI. de Philogonio:* Appetit festum omnium festorum maxime venerandum, tremendumque: quod si quis appellet omnium festorum *Metropolin*, haud aberret. Quid autem hoc est? Christi juxta carnem Nativitas . . . . Eoque rogo vos omnes, obsecroque, summo studio, summaque cum alacritate velitis adesse; sed prius suam quisque domum repurget, ut videamus Dominum Deum nostrum in cunis jacentem, ac fasciis involutum, tremendum, stupendumque spectaculum.

(9) *Chrysost. ibid.*

(10) *Quivis horum Patrum plures sermones habuere in Domini Natalem diem, in quibus ad id maxime fideles hortantur, ut in ea solemnitate summa cum animi reverentia, ac pietate ad Eucharistiam accedant. Videsis eorum opera.*

(11) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XXXIII.* Festo Natalis cessent (*servi*) ab opere, eo quod tunc hominibus tributum fuit inexpectatum beneficium.

(12) *Leo Epist. XCIII. ad Turibium:* Natalem Christi, quem secundum susceptionem veri hominis Catholica Ecclesia veneratur, quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, non vere isti honorant, sed honorare se præsumunt jejunantes eodem die . . . Quod utique ideo faciunt, quia Christum Dominum in vera hominis natura natum non credunt.

(13). 4. Tandem ludi, ac publica spectacula, æque ac die Dominica prohibita ex Lege Theodosii Junioris (14).

§. II. *De Octava Nativitatis, & solemnitate* Circumcisionis *Domini Salvatoris.*

III. Kalendis Januarii, unde novi anni curriculum auspicabantur, illa apud gentiles jamdudum inolevit consuetudo, ut superstitionis ritibus, indecoris choreis, dapium publicarum ingluvie, nefandis cruentisque spectaculis diem illum fœdarent potius, quam celebrarent: at contra Fideles vehementiori studio divinis rebus animum adjungentes additis jejuniis, & litaniis, quibusdam veluti expiationis hostiis offensum divinum numen placare satagebant. Hinc S. Ambrosius *de Kal. Jan. Serm.* II. hæc habet: *Tunc nos simus sobrii, atque jejuni, quo intelligant lætitiam suam nostra abstinentia condemnari.* Et S. Augustinus *in Ps. XCVIII. Per istos dies ad hoc jejunamus, ut quando ipsi lætantur, nos pro ipsis gemamus.* De jejunio prærerea eo die olim ab Ecclesia celebrato, agunt *Ordo Rom. Cap. XX.* & Albinus Flaccus de divinis Officiis *Cap. XL.* Litanias etiam eadem ex caussa ea die celebrandas, uti & jejunia servanda *Syn. Tur.* II: præcepit (15): ac tandem ne lætitiæ canticum Alleluja caneretur vetuit *Syn. Tolet. Can. X.* Religiosæ istæ consuetudines ea quoque de caussa sunt introductæ, quod ex fidelibus quoque nonnulli eo die superstitiosis gentilium ritibus operam dare, ac publica cruenta spectacula frequentare non dubitarint; uti patet ex plurimis hanc in rem veterum Patrum ad populum declamationibus, præcipue Augustini, Maximi Taurinensis, & Petri Chrysologi, qui & turpes illos gentilium ritus nondum plane ea ætate extinctos perbelle describit (16). Eosdem quoque abusus sancitis legibus extirpare curarunt Concilia, ac præsertim Trullanum, & Antissiodorense (17).

IV. Jam vero eadem dies Octava Nativi-

(13) *Conc. Aurel. I. Can. XXVII.* Ut nulli civium Paschæ, Natalis, vel Quadragesimæ solemnia in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.

(14) *Cod. Theod. Lib. XV. Tit. V. de Spectac. l. V.*

(15) *Conc. Turon. II. Can. XVIII.* Quia inter Natalem Domini, & Epiphaniam, omni die festivitates sunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum illud quo ad calcandam Gentilium consuetudinem Patres nostri statuerunt privatas in Kal. Januariis fieri Litanias, ut in Ecclesiis psallatur, & hora octava in ipsis Kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur. *Vides hoc in Canone Jejunium celebratum fuisse per tres Kalendarum Jan. dies, immo & ipsum Circumcisionis diem victos, ac jejunos egisse Christianos ad horam usque octavam. Inde tamen minime conjicias, per hæc tempora Circumcisionis diem festum non fuisse contra quam quod supra dictum est. Nam crediderim Kalendarum jejunium plenum atque continuum non fuisse:* Et hora octava in ipsis Kalend Circumcisionis Missa celebretur, *inquit Canon: quia profecto Missæ, antiquo more, jejunium solvi necessum erat. Adhæc non ita adversa fronte duo hæc pugnant, ut omnino in eamdem diem coire nequirent Festum, & Jejunium. Simile quidpiam comperi in Theophilo Alex.* ap. Balsam. p. 1067. *Consultus namque ille quid factu opus esset, quum Jejunium Vigiliæ Nativitatis in diem Dominicam incidisset eo anno: Jejunium quidem servandum esse dicit ad horam usque nonam, in qua ad Synaxim conveniebant; ea vero absoluta concedit jejunium abrumpi paucorum Dactylorum esu, ut & jejunio disciplina, & Dominicæ Resurrectioni honos constaret.* Quia accidit, *inquit*, ut sanctorum Theophaniorum hic esset dies jejunandorum, dispensemus, & ad utrumque scientes procedamus, ut paucos dactylos sumentes, simul & hæreses vitemus, quæ Domini nostri Resurrectionem non honorant, & diei jejunii, quod debemus, reddamus, vespertinam Congregationem expectantes, quæ hic Deo dante peragitur. Congregamur ergo hic ab hora nona. *Mire utrique Canones quadrant Turonicus, & Theophilianus. Turones Patres hora octava, nona hora vult Theophilus Synaxim fieri, quæ jejunio terminus esset.*

(16) *Petrus Chrysologus Serm. CLV. tot.*

(17) *Conc. Trull. Can. LXII.* Kalendas, quæ dicuntur, & Vota, & Brumalia, quæ vocantur, & qui in primo Martii mensis die fit, conventum ex fidelium universitate, omnino tolli volumus: sed & publicas mulierum saltationes multam noxam, exitiumque afferentes... amandamus, & expellimus.

Conc. Antissiod. Can. I. Vide Not. (17) *Cap. IV.*

tivitatis Domini publico religioso conventu in Ecclesiis celebrabatur. Id patet ex eorumdem Patrum Homiliis, ac præsertim ex binis S. Joan. Chrysostomi *in octava Natalis Domini*. Idem quoque indicant Acta S. Almachii M. qui Romæ, cum diceret Ethnicis: *Hodie octavæ Dominici diei sunt, cessate a superstitionibus idolorum, & a sacrificiis:* a gladiatoribus occisus est. Tum qui de divinis officiis egerunt Auctor Ordinis Romani, Albinus Flaccus, Amalarius, aliique, qui eo die *de octavis Domini* tractatus inscribunt. Verum in Præfatione hujus diei, quam legimus in Sacramentario S. Gregorii Papæ (18), hæc habentur: *Per Christum Dominum nostrum, cujus hodie Circumcisionis diem, & Nativitatis Octavam celebrantes* &c. Ergo dubitari nequit, quin hæc solemnitas celebrata fuerit saltem ævo Gregorii Papæ.

§. III. *De Festo* Epiphaniæ.

V. Epiphania Ἐπιφάνεια tum apud profanos, tum etiam antiquos Christianos Numinis præsentiam, ac manifestationem, aut apparitionem designabat (19). Id quidem in Christi Baptismo (quem baptismum unice hoc die Græci ab exordio coluerunt) vere contigit; quippe & Deus Pater suam præsentiam persentiscere fecit emissa voce illa: *Hic est Filius meus dilectus* &c. unaque Filius attestatione Patris se præsentem stitit: ac Spiritus Sanctus in columbæ simulacro oculis hominum visendum se præbuit. Ex clarissimi Mazochii conjectura, ab eodem Epiphaniæ significatu fortasse manavit, ut nonnulli eam vocem de Christi παρουσίᾳ i. e. primo in orbem adventu, ac præsentia interpretati, conjecerint, idcirco hunc diem Epiphaniæ, aut Theophaniæ nomen invenisse, quod eo die Christus editus in lucem fuerit. Hinc Ægyptiorum, Cypriorum, aliorumque (de quibus præcedenti §.) consuetudo die VI. Januarii Natalem Christi celebrantium non ex certa traditione, & scientia primitus manasse videtur, sed quod Epiphaniæ nomen de Servatoris adventu interpretati essent. Sicuti & Antiochus, teste Norisio, eadem notione Epiphanes vocabatur, quasi Deus præsens, per assentationem scilicet.

VI. De festi antiquitate dictum est alias, cum de antiquitate festi Natalis Dominici egimus. Conjunxere enim Orientales Epiphaniam Christi per Baptismas cum Epiphania per Nativitatem. Pauca hic tantummodo animadvertenda ad rem nostram quæ faciunt. 1. Latinos hac die non modo Christi baptisma, quod Græci fecerunt, sed & Apparitionem Stellæ, quæ Magos ad Christum adorandum perduxit, & miraculum a Redemtore nostro in Cana Galilææ, quando aquam in vinum mutavit, simul celebrasse. Ita Petrus Chrysologus, & Eucherius Episcopus Lugd. (20). Africanæ

(18) *Sacram. Gregorian. ap. Murat. Tom. II. Liturgia Vet. Rom.*

(19) Ἐπιφάνεια, & Ἐπιφάνια, Θεοφάνεια, & Θεοφάνια *communia vocabula fuere, eamdem rem apud Græcos notantia. Sed & ipsa simul juncta omnia diversas habent significationes. Græci Gentiles Scriptores* ἐπιφάνειαν *dicunt Numinis apparitionem, quovis tandem modo illa contigerit.* Diod. Sic. Lib. I. *ait Isidem noctu solitam apparere, & somnia immittere:* φανερῶς ἐπιδεικνυμένην τὴν ἰδίαν ἐπιφάνειαν. *Dionys. Alicarnassæus graviter iis irascitur, quibus nulla Deorum* ἐπιφάνειαι Apparitiones creduntur. *Vide Casaubonum Exercit. II.* ad Baron. Sect. XI. *Ata apud Ecclesiasticos Græcos plura habet significat. 1. Christi Natale. 2. Diem Christi Natalitio celebrando dicatum. 3. Christi Baptisma. 4. Alterum Christi adventum post rerum omnium exitum, uti passim videre est apud Græcos Patres. Duo tantum hic loca dabimus, alterum quo baptismus, alterum quo secundus Christi adventus* Epiphania *dicitur. Chrysost. Hom. CLXI. Tom. V.* Secundum festum, Apparitio ἐπιφάνεια Christi Dei nostri, qua ad Jordanem accedens, omnibus hominibus &c. *Dionys. Areop. ap. Euseb. Hist. Lib. VII. Cap. XXIV. Adventum Christi secundum* appellat ἔνδοξον καὶ ἀληθῶς ἔνθεον τοῦ Κυρίου ἡμῶν ἐπιφάνειαν: gloriosum & vere divinum Domini nostri illustrem adventum.

(20) *Chrysolog. Serm. CLVII. de Epiphan. & Magis*: Per Epiphaniam Magi Christum Dominum muneribus mysticis confitentur ... Per Epiphaniam Christus in nuptiis aquas saporavit in vinum .... Per Epiphaniam Christus Jordanis undas ab baptisma nostrum consecratas intravit.

Eucherius Homil. in Vigilia S. Andreæ.

næ Ecclesiæ ex Augustino (21) tribus explicatis rationibus quartam adjungebant: nimirum miraculum, quando quinque hominum millia quinque panibus saturavit. 2. Hanc solemnitatem a Græcis fuisse quoque dictam *diem Luminum*, *Sancta Luminum*, & *Illuminationem*; ita uterque Gregor. Naz. & Nyssenus, aliique apud Suicerum (22), cujus appellationis ea est ratio, quod Baptisma ab admirandis suis effectis generatim lumen, & illuminatio nuncupatum sit.

VII. 3. Epiphaniæ festivitatem maxima semper cum veneratione fuisse celebratam, præcipue vero in Ecclesiis Græcis, & Africanis, apud quas unum erat ex tribus solemnibus Baptismi temporibus, ut alibi demonstrabimus. Hinc hujus diei observatio eadem erat, atque Nativitatis, aliarumque majorum festivitatum. Sermones enim habebantur, Communio distribuebatur, actus juridici, negotia forensia, ludi, & spectacula prohibebantur, ac servi ab opere manuum cessabant, ut religioso hujus diei cultui quisque libere vacare posset. Ita Auctor Const., Chrysostomus, ac leges Imperiales (23); quibus addere possumus, quod Chrysostomus *Hom. XXXIV. de Bapt. Christi* refert, nimirum quod aqua eo die consecrata evidenti miraculo nihil temporis longinquitate vitiata fuerit, sed integro anno, atque adeo biennio, & triennio sæpe incorrupta, & recens permanserit, ac post tantum temporis cum iis, quæ fuerint nuper e fontibus eductæ, certaverit. Nostris quoque temporibus apud Græcos eadem hæc consuetudo viget ex Frontone (24).

VIII. 4. Denique eadem hac die a Patriarchis, vel a Metropolitanis ad Episcopos provinciales Epistolas fuisse missas, quibus, quo tempore Pascha, Pentecoste, ac ceteræ solemnitates mobiles per insequentem annum celebrari oporteret, significabant (25). Ejusmodi Epistolæ *Paschales* dictæ sunt: uti tres illæ Theophili Alexandrini ab Hieronymo in latinum sermonem translatæ, ac plures aliæ Dionysii, Athanasii, Cyrilli, Innocentii, Leonis &c.

§. IV.

(21) *Augustin. Serm. XXIX. de Tempore*: Hodie illud sacramentum colimus, quo se in homine virtutibus Deus declaravit, pro eo quod in hac die, sive quod in cælo ortus sui nuntium præbuit, sive quod in Cana Galilææ in convivio nuptiali aquam in vinum convertit, sive quod in Jordanis undis aquas ad reparationem humani generis suo baptismo consecravit, sive quod de quinque panibus quinque millia hominum satiavit, in quolibet horum salutis nostræ mysteria continentur, & gaudia.

(22) *Greg. Nazianz. Orat. XXXIX.* ἡ ἁγία ἡμέρα τῶν φωτῶν; Sancta dies Luminum.

Nyssen. Orat. de Bapt. Christi: εἰς τὴν ἡμέραν τῶν φωτῶν, In diem sanctorum Luminum. *Vide Suic. in hanc vocem. Addas tamen & alteram hujus Festi denominationem. Namque, uti observat Cl. Cotelerius not. in Const. Lib. V. Cap. XII. id festum dixere etiam* secundam Epiphaniam, *ut a prima i. e. Nativitate Domini discriminarent. Hinc Rufinus orationi XXXIX. Nazianzeni hunc præscripsit titulum*: De secundis Epiphaniis. *Recte omnino Isidorus Orig. Lib. VI. Cap. XXIII.* Duæ sunt autem Epiphaniæ: Prima, in qua natus Christus pastoribus Hebræorum, Angelo nuntiante, apparuit: secunda, in qua ex gentium populis, stella duce, præsepis cunabula Magos adoraturos exhibuit.

(23) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XXXIII.* In Epiphaniæ festo vacent servi, quia in eo demonstrata est Christi Nativitas, quando Pater testimonium ei præbuit in baptismo, & Paracletus in specie Columbæ ostendit eum, cui perhibitum erat testimonium.

Cod. Justinian. Lib. III. Tit. XII. de feriis L. VII. Dies etiam Natalis, atque Epiphaniorum Christi, & quo tempore commemoratio Apostolicæ Passionis totius Christianitatis magistræ a cunctis jure celebratur: in quibus etiam prædictis sanctissimis diebus neque spectaculorum copiam reseramus.

Chrysost. Homil. XXIV. de Baptismo Christi.

(24) *Fronto Ducæus in Loc.* Nota veterum Christianorum morem, cujus vestigium etiamnum restat in Kalendario Syrorum apud Genebrardum VI. Januarii: *Ea nocte*, inquit, *aqua consecratur in totum annum*.

(25) *Cassianus Coll. X. Cap. II.* Intra Ægypti regionem mos iste antiqua traditione servatur, ut peracto Epiphaniorum die.... Epistolæ Pontificis Alexandrini per universas dirigantur Ecclesias, quibus initium Quadragesimæ, & dies Paschæ non solum per civitates, sed etiam per universa monasteria significentur.

§. IV. *De Paschate.*

IX. Generali Paschatis nomine antiquitus æque Passio, ac Resurrectio significabatur Redemtoris nostri, qui est verus Agnus Paschalis pro nobis sacrificatus. Qua de re veteres communiter de Paschate loquuntur, tanquam quod quindecim dies sollemnitate sua complectatur includens hebdomadem memoriæ Passionis, necnon & hebdomadem memoriæ resurrectionis consecratam; id in pluribus Legibus Imperialibus observat eruditus Gothofredus (26). Vide Augustinum etiam in Sermone, quem in Dominica in Albis habuit (27).

X. Jam vero magnæ de hoc Festo antiquis temporibus controversiæ in Ecclesia sunt agitatæ, aliis quidem eodem semper anniversario die, aliis decimo quarto die primi mensis novi anni in quamcumcunque hebdomadis feriam incidisset more Judaico, observantibus: aliis demum ad primam Dominicam post primum plenilunium differentibus. Nonnulli ex Quartodecimanis, teste Epiphanio *Hæres. L. Quartodeciman. n. XI.* Pascha suum celebrabant VIII. Kal. Apriles, quod Christum hac die passum crederent; idque ex Pilati Actis didicisse dictitabant. Verum Epiphanius ipse se ejusmodi Pilati exemplaria quædam invenisse scribit, quæ ad diem XVI. Kal. April. Passionem Christi contigisse narrent.

XI. Ecclesiæ Asianæ, & cum his Ecclesiæ quoque Ciliciæ, Mesopotamiæ, & Syriæ more Judaico die XIV. mensis Martii Pascha celebrarunt ad Synodi usque Nicænæ tempora. Quamvis enim jam inde ab II. Ecclesiæ Seculo reclamare non desisterent Romani Pontifices, ac præsertim Pius I., Anicetus, & Victor; contra tamen Asiani Episcopi ea ratione suam praxin tuebantur, quod sic a Philippo, & Joanne Apostolis, a Polycarpo, aliisque sanctissimis Episcopis, quorum plerique martyres occubuere, observatum, ipsisque traditum fuerat. Hinc licet Pius I. præceperit, ut Pascha die Dominico ab omnibus celebraretur, & Canon Apostolicus, qui ab Orientali quadam Synodo ad tempora Victoris factus creditur, sic decreverit: *Si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus sanctum Paschæ diem ante vernale æquinoctium cum Judæis celebraverit, anathema sit;* ac tandem Synodus *Arelatensis I. Cap. I. anno* CCCXIV. legem ediderit, *ut Pascha uno die, & uno tempore per omnem orbem observetur:* attamen Ecclesiæ illæ ad tempora usque Nicæni Concilii patrium morem retinuere, neque hac de caussa ab Ecclesiæ communione sejunctæ sunt.

XII. Verum ubi Magna Nicæna Synodus legem sanxit, ut omnes festum Paschale uno, eodemque die celebrarent, tum qui ejusmodi legi refragarentur veluti schismatici, & Ecclesiastica censura digni habiti sunt. Unde ceu hæretici, & schismatici audiere sub nominibus *Quartodecimanorum*, *Tessaradecatitarum*, & *Audianorum*, qui contra sentientes hac de re turbas in Ecclesia excitabant (28). Et sane in Concilio Antiocheno anno CCCXCI. excommunicantur (29), uti etiam in Conciliis

(26) *Gothofr. in Cod. Theod. Lib. II. Tit. VIII. de Feriis L. II.* Sanctos quoque Paschæ dies, qui septeno vel præcedunt numero, vel sequuntur, in eadem observatione numeramus.

(27) *Augustin. Serm. XIX. ex editis a Sirmondo:* Peracti sunt dies feriati (*Paschæ*)..., Petimus vos, ut ita vivatis, tamquam qui Deo rationem reddituros vos sciatis de tota vita, non de solis istis quindecim diebus.

(28) *Et id etiam caussæ fuisse videtur, quamobrem Quartodecimani post Nicænam sanctionem ut hæretici audierint passim. Nam non turbas modo excitabant, quod jampridem solebant, sed etiam Catholicos contra sentientes ut hæreticos culpabant, velut si ab patriis traditionibus recessissent, seque Imperatorum nutui attemperassent, uti refert* Epiph. Hæres. LXX. num. X. *qui & illud addit fuisse Audium ab Constantino in Scythiam relegatum*, quod populos passim ab Ecclesiæ obsequiis alienaret, διὰ τὸ ἀγλωμάζειν λαούς.

(29) *Conc. Antiochen. Can. I.* Omnes, qui audent dissolvere decretum sanctæ, & magnæ Synodi, quæ Nicææ coacta est in præsentia religiosissimi Imperatoris Constantini, de Sancto festo salutiferi Paschatis, esse excommunicatos, & Ecclesia ejectos statuimus, si adversus ea, quæ recte decreta sunt, contentiosius insistere perrexerint.

ciliis Laodic. & Constantinop. I. (30): tum ab Epiphanio, & Augustino, Arianis, Macedonianis, aliisque hæreticis accensentur (31), uti quoque in Legibus Imperialibus (32), prætertim utriusque Theodosii, *execrandi* nominantur, eorum conventicula interdicuntur, bonorum proscriptionis, atque exilii pœna multantur, atque adeo sub nominibus *Sabbatinianorum*, & *Protopaschitarum* iisdem, ac Manichæi, Cataphrygæ, aliique hæretici, pœnis obnoxii declarantur.

XIII. Hac de re gravis inter ipsos Novatianos, teste Socrate (33), exarsit controversia, dum ex ipsis nonnulli Episcopi in Phrygia coacta Synodo in vico Pazo regulam promulgarunt, ut festum Paschale quotannis una cum Judæis celebraretur; ac contra Marcianus Episcopus Novatianorum Constantinopolitanus aliam Synodum cogendam curavit apud Angarum in Bithynia, novam regulam condidit, ut, ceu quid ἀδιάφορον, unicuique liceret pro arbitrio suo Pascha celebrare. Decreto Pseudosynodi Pazensis Sabbatius illustris quidam Novatianorum Episcopus illud quoque addidit, nimirum Judæorum azyma necessario observanda esse, & jejunandum quum Pascha jam præterierit: unde novam Sectam condidit ab ejus nomine *Sabbatinianorum* dictam. Vide *Socrat. Lib. V. Cap. XXI.*

XIV. Illæ tandem Ecclesiæ, quæ Pascha die Dominico celebrabant propter diversas, quas inibant, supputandi rationes, non semper in una eademque Dominica conspirabant: atque adeo nonnunquam accidit, ut diversarum regionum Ecclesiæ una hebdomade, vel mense variarent. Ex Ambrosio *Epist. LXXXIII.* intelligimus anno CCCLXXXVII. Pascha ter separatis temporibus in Ecclesiis Italiæ, Galliæ, & Ægypti fuisse celebratum. Alia ejusmodi exempla in veteri Ecclesiastica historia occurrunt: ac præsertim Ecclesiæ Magnæ Britanniæ, & Hiberniæ cum Romana Ecclesia ad annum usque DCCC. non concordarunt.

XV. Jam vero potissima hujusce diversitatis ratio ea est, quod non omnes uno, eodemque cyclo uterentur; aliis cyclum Hippolyti annorum XVI. aliis cyclum Judaicum annorum LXXXIV. aliis cyclum ann. XX. aliis denique cyclum annorum XXX. sequentibus. Priscos quidem Christianos Hierosolymitanos cyclo Judaico fuisse usos, pluribus demonstrant Beveregius, & Usserius; neque dubitandum est ceteras Ecclesias eamdem supputandi rationem fuisse secutas. Verum cum usu Cycli Judaici nonnunquam accideret, ut Pascha æquinoctium vernum anteverteret, sicque aliquando bis in uno anno Pascha fieret, hinc ut huic incommodo obviam iretur, alii cycli confecti sunt. Ac primo circa an. CCXX. Hippolytus Portuensis, ut refert Eusebius (34), in Arabia Episcopus in Libro de Paschate novum cyclum publicavit, qui ἑκκαιδεκαετηρίδα, sive sexdecim annorum circulus dictus est.

XVI. Non multo post Dionysius Alex. an. CCL. alium condidit cyclum per octo annorum circuitum ὀκταετηρίδα, in quo præcipue probat, Pascha nonnisi post æquinoctium vernum celebrari oportere, ut

(30) *Conc. Laodic. Can. VII.* Eos, qui ex hæresibus, hoc est, Novatianis, sive Photinianis, vel Tessaradecatitis convertuntur &c. *Concil. Constantinopolitanum I. Can. VII.* Arianos quidem, Macedonianos, Tessaradecatitas &c.

(31) *Epiph. Hæres. L. Augustin. Hæres. XIX.*

(32) *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit. X. de Paganis. L. XXIV.* Eos, qui omnibus hæreticis hac una sunt persuasione pejores, quod in venerabili die Paschæ ab omnibus dissentiunt, si in eadem amentia perseverant, eadem pœna mulctamus proscriptione, atque exilio.

(33) *Socrat. Lib. Histor. IV. Cap. XXVIII.* Pauci, & obscuri Novatianorum in Phrygia Episcopi, collecta Synodo in vico Pazo, ubi fontes amnis Sangari visuntur, regulam promulgarunt, ut quotannis observaretur, quo die Judæi Azyma celebrarent, & una cum illis Festum Paschale celebraretur.

(34) *Euseb. Lib. VI. Cap. XXII.* Eodem tempore, & Hippolytus inter plurima alia ingenii sui monumenta, Librum de Pascha composuit, in quo temporum seriem describens, & Canonem quemdam Paschalem per sexdecim annorum circuitum exhibens, anno I. Imperatoris Alexandri computationem temporum circumscribit.

ut docet Euseb. Lib. VIII. Cap. XX. Tum Anno CCLXX. Anatolius, & ipse Alexandrinus teste *eod. Euseb.* (35) alium cyclum composuit dictum *ἐννεακαιδεκαετηρίδα* undeviginti annorum circuitum, in quo ex ipsis antiquis Judaicis scriptoribus ostendit, Pascha omnino post æquinoctium vernum fieri, adeoque cyclum eorum corrigi debere. Atque ex his censet Usserius (36) originem suam traxisse æque Canonem, ac Constitutionem Apostolicam, quibus præcipitur, ut Pascha nonnisi post æquinoctium celebretur, *ne bis in anno Passionis unius memoria peragatur*.

XVII. Igitur III. exeunte Seculo Ecclesia Orientalis cyclum Judaicum jam rejecerat: neque tamen certus aliquis, & indubitatus in ejus locum suffectus fuerat. Qua de re in Synodo Nicæna constitutum est, teste Leone P. (37), ut Episcopus Alex. per singulos annos reliquos orbis Christiani Episcopos certiores faceret de Dominica, qua Pascha esset celebrandum. At Nicænum hoc decretum vel non ubique obtinuit, vel progressu temporis in desuetudinem abiit. Licet enim Alexandriæ novus undeviginti annorum cyclus confectus fuerit, quem postea Theophilus in calculationem centum annorum redegit: attamen Cyrillus (38), qui vixit ad annum CCCCXXX. tum de grandi confusione queritur, quæ ex computatione Paschatis in Ecclesia, in Castris, in Palatio dominetur, tum Romanorum, & Alexandrinorum computationes nonnumquam hebdomade, vel mense alteram ab altera discrepare.

XVIII. Caussa erat his cyclus Hebræorum LXXXIV. annorum, quo utebatur adhuc Romanorum Ecclesia; neque enim adhibere voluit cyclum Alexandrinum annorum XIX. uti patet ex Paschali die anni CCCCLV., qui juxta Romanos incidebat in XV. Kal. Majas, juxta Alexandrinos in VIII. earundem Kalendarum. Vide *Epist. Leonis ad Galliæ, & Hispaniæ Episcopos* (39). Datæ quidem partes aliquando fuere Victorio cuidam Gallo genere ab Hilario Romano Archidiacono. At neque ille omnino cycli Romani lacunas resarsit, ita quidem, ut paschalis dies Romanos etiam tum integro mense Alexandrinum Pascha aut antecederet, aut sequeretur. Postremo curis Dionysii Exigui acceptam referimus cycli Romani emendationem. Ille quippe anno DXXV. cyclum Alexandrinum Romam invexit, cui statim consensere reliquæ Occidentis Ecclesiæ, unis exceptis Gallis, atque Britannis, qui prius Romanorum cyclum VIII. demum Seculo reliquere.

XIX. Haud pauca reverentiæ indicia erga tantam sollemnitatem semper in Ecclesia præstita sunt. Ac primo Dies Paschatis vocatus est *Dierum Rex, Festivitatum, & celebritatum Celebritas; ceteris omnibus, iis etiam, quæ ipsius Christi sunt superior, quanto Sol Stellas antecellit* (40). Et merito quidem, quum effectrix fuerit reconciliationis nostræ, finis contentionum, destructio mortis, & victoria de diabolo; quamobrem a reliquis anni Domi-

(35) *Euseb. Lib. VII. Cap. XXXII.* Ex canonibus paschalibus Anatolii. Habes igitur in primo anno novilunium primi mensis, quod caput est totius Circuli novemdecim annorum.

(36) *Usser. prolegom. in Ignatium. Cap. IX.*

(37) *Leo Epist. LXIV. Ad Marcian. Imperat.* Studuerunt Sancti Patres (*Niceni*) occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes: Quoniam, quoad Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quam qui annis singulis dies prædictæ solemnitatis eveniret, sedi Apostolicæ indicaretur, ut hujus scripti ad longinquiores Ecclesias indicium generaliter percurreret.

(38) *Cyrill. Alex. Epist. Paschal. ap. Bucher. De Doctrina temporum.*

(39) *Leo Epist. CXXIV.* Cum in quibusdam adscriptionibus Patrum futurum proxime Pascha Domini, ab aliis in diem XV. Kal. Majas, ab aliis in diem VIII. Kal. ejusdem inveniretur adscriptum, tantum me diversitas ista permovit, ut Clementissimo Principi Marciano curam de hac re animi mei panderem.... Quo rescribente, VIII. Kalendas Majas definitus est dies. Quia ergo studio unitatis, & pacis malui Orientalium definitioni acquiescere, quam in tantæ festivitatis observantia diffidere, noverit fraternitas vestra, die VIII. Kalendas Majas ab omnibus Resurrectionem Dominicam celebrandam.

(40) *Nazian. Orat. XIX.*

minicis nomine *Dominicæ gaudii* distinguitur (41).

XX. 2. Imperatores, ea occurrente festivitate, carceribus generatim reclusis, reis omnibus libertatem restituere solebant, paucis quibusdam graviorum criminum reis dumtaxat exceptis. Id tum ex plurimis legibus Imperialibus (42), tum ex Ambrosio, Gregorio Nysseno, Chrysostomo (43), aliisque constat. Crimina ab Paschali illac indulgentia excepta potissimum erant Parricidium, Incestus, Monetæ publicæ adulteratio, Homicidium, Rapina, aliaque acerbiora ejusdem generis (44).

XXI. 3. Privati quoque homines liberalitate uti consueverunt dando servis suis libertatem: hinc licet in diebus paschalibus actus omnes juridici cessare deberent; tamen quidquid ad servorum manumissionem spectabat, permittebatur (45). 4. In pauperes quoque liberalitas ambitiosius exercebatur. Hinc Constantinus, narrante Eusebio (46) *Dominico illucescente Paschate universis per Romanam ditionem provinciis munera opulentissima liberaliter elargiebatur*.

XXII. 5. Integra, quæ diem Paschatis sequebatur Hebdomada festive transigebatur; dum singulis diebus Sacræ Synaxes æque ac diebus Dominicis habebantur cum communione eucharistica, sermonibus, precibus, ceterisque sollemnis Liturgiæ partibus; unde Auctor Constitutionum (47) iis diebus servos otiari jubet, ut sermonibus, aliisque cultus divini partibus interesse possint. 6. Nulla publica spectacula, durante Paschatis solemnitate, permissa; neque ullæ actiones juridicæ, iis tantummodo exceptis, quæ diebus etiam Dominicis permittebantur, ut ex legibus sæpe citatis constat.

XXIII. 7. Tandem Dominica post Pascha, quippe quæ paschalis solemnitatis conclusio erat, magnis ritibus, & cæremoniis celebrata est: hac die Neophytos alba vestimenta sua exuere, & in sacrario Ecclesiæ reponere moris erat: unde *Dominica in Albis* præsertim *ab August. Serm. XX.* ex editis a Sirmondo, dicta est: uti quoque ab hominum per novam baptismi nativitatem renovatione a Græcis Patribus *Dominica Nova καινὴ κυριακὴ* appellata est. Hinc plures leges Sermones apud *Greg. Naz.* & *Chrysostom.* hoc titulo: *εἰς καινὴν κυριακήν In Dominicam Novam*. Adde etiam *Conc. Trull. Can. LXVI.* Tunc enim universa Baptismi Actio suum accipiebat complementum; unde & sex ejusdem Hebdomadis dies ob eamdem rationem dies Neophytorum ab Augustino dicti sunt (48).

(41) *Vide Pagium Critic. in Baron. Anno CCCLXX. num. IV.*

(42) *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XXXVIII. De Indulgentiis Criminum Leg. III.* Ob diem Paschæ, quem intimo corde celebramus, omnibus quos reatus adstringit, carcer inclusit, claustra dissolvimus: Attamen Sacrilegus, in majestate reus, in mortuos veneficus, sive maleficus, adulter, raptor, homicida, communione istius muneris separentur.

(42) *Ambros. Epist. XXXIII.* Itaque sanctis diebus Hebdomadis ultimæ, quibus solebant debitorum laxari vincula, strident catenæ, imponuntur collo innocentium.

Nyssen. Homil. III. De Resurrect. Christi: Nullus adeo ægritudine pressus, & obnoxius est, quin per hujus festi magnificentiam, mali sui remissionem sentiat, atque levamen. Hoc die nexi solvuntur, debitor dimittitur, servus bono, & humano præconio atque edicto Ecclesiæ manumittitur.

Chrysost. Homil. XXX. in Genes.

(44) *Vide supra not.* (42)

(45) *Cod. Justin. Lib. III. Tit. XII. De Feriis. L. VIII.* Actus omnes seu publici sint, seu privati, diebus quindecim paschalibus conquiescant. In his tamen & emancipandi, & manumittendi cuncti licentiam habeant. Et super his acta non prohibeantur.

(46) *Euseb. vit. Constan. Lib. IV. Cap. XXII.*

(47) *Constit. Lib. VIII. Cap. XXXIII.* Magna Hebdomade tota, & ea, quæ illam sequitur, servi otientur: Quia illa passionis est, hæc resurrectionis: Et opus est doceri, quis sit, qui passus est, item quis sit, qui pati permisit, quique resuscitavit.

(48) *Augustin. Epist. CXIX. Ad Januar. num. XVII.* Ut quadraginta illi dies ante Pascha observentur, Ecclesiæ consuetudo roboravit: sic etiam, ut octo dies Neophytorum distinguantur a ceteris, idest, ut octavus primo concinat.

§. V. *De* Pentecoste *latiori sensu accepta*, *sive de Quinquaginta inter Pascha*, *& Pentecosten diebus*.

XXIV. Nomen Pentecostes duplici sensu apud veteres accipitur; nimirum tum pro integro Quinquaginta dierum intervallo inter Pascha, & Pentecosten; tum pro peculiari descensus Spiritus S. super Apostolos festivitate. Priori sensu usurpant Tertullianus, & Theodosius junior (49). Jam vero in quinquaginta illis diebus istæ potissimum consuetudines servatæ sunt: 1. ut Acta Apostolorum legerentur; quippe quæ miracula ab Apostolis patrata exhiberent, quibus Resurrectionis Dominicæ veritas potissimum adstruebatur (50). 2. Jejunium, & genuum inflexio, utpote pœnitentiæ indicia, illo maximæ lætitiæ tempore prorsus vetita: ita Tertull. Epiphanius, August. Synodus Nicæna (51), aliique. Hinc Alleluja peculiari quadam ratione illis diebus cani consuevit; qua de re alibi egimus.

XXV. 3. Publica spectacula, theatra, ludi circenses, aliaque id genus eo tempore interdicta, ex *Cod. Theod. Lib. XV. Cap. V. de Spectacul. L. V.* Verum Actiones juridicæ, justitiæ administratio, ac manuum labores, quippe quæ res magis necessariæ erant, permissæ. Unde Aug. Sermonem XIX. ex editis a Sirmondo, quem in octavis Paschæ habuit; *Peracti sunt*, inquit, *dies feriati*, *succedent jam illi conventionum*, *exactionum*, *litigiorum*: & Auctor Constitutionum loquens de diebus, quibus otiari debeant servi, Pentecosten quidem nominat, at sensu strictiori accipit; scribit enim *Lib. VIII. Cap. XXXIII.: In Pentecoste ferientur ob Spiritus S. adventum*, *concessum iis*, *qui in Christum crediderint* (52).

(49) *Tertul. De Baptismo Cap. XIX.* Ethnicis semel annuus dies quisque festus est. Tibi octavo quoque die. Excerpe singulas solemnitates nationum, & in ordinem texe, Pentecosten implere non poterunt.

Cod. Theod. Lib. XV. Tit. V. De Spectac. L. V.

(50) *Hinc Chrysostomus orationem habuit*, *quæ est homil. LXIII.* Cur in Pentecoste Acta legantur.

(51) *Tertull. De Coron. Milit. Cap. III.* Die Dominica jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare: eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus.

Epiphan. Exposit. Fid. num. XXII. Quinquaginta Pentecostes diebus, neque genua flectuntur, neque jejunium indicitur.

Conc. Nicæn. Can. XX. Quoniam sunt quidam, qui in die Dominico genu flectunt, & ipsis diebus Pentecostes, ut omnia similiter in omni Parochia serventur, visum est Sanctæ Synodo, ut stantes Deo orationes effundant.

Augustin. Epist. CXIX. Ad Januar. Cap. XVIII.

(52) *Negotium his facessere visus est Cl. Albaspinæo Canon Illiberitanus XLIII. De Celebratione Pentecostes:* Pravam institutionem emendari placuit juxta auctoritatem Scripturarum, ut cuncti diem Pentecostes post Pascha celebremus non quadragesimam, sed quinquagesimam. Qui non fecerit, novam hæresim induxisse notetur. *Hunc ille Canonem non de una Pentecostes die*, *sed de integris quinquaginta diebus Pascha excipientibus accipiendum esse contendit: celebrationem vero illorum dierum hic præscriptam hanc esse statuit*, *non ut penitus ab operibus quiescerent*, *sed ut ne genu flecterent*, *ne jejunarent*, *ut publicis Sacrificiis*, *publico gaudio lætiores solita eos dies agerent fideles. At hoc distinctione neque opus hic erat*, *neque Canonis verba eam patiuntur. Neque enim crediderim aliud voluisse sibi Illiberitanos Patres*, *quam Pentecostes solemnia*, *non quadragesima*, *sed quinquagesima post Pascha die esse celebranda. Nam I. Canon non de plurium dierum*, *sed unius celebratione Pentecostes palam loquitur.* Ut cuncti diem Pentecostes post Pascha celebremus. *II. Scripturam in partes advocat.* Juxta scripturarum auctoritatem. *Verum an uspiam Scripturarum sancitum ostendes*, *aut certe memoratum*, *neque genua flectenda esse*, *neque jejunandum per consequentes Pascha dies? Contra vero in iisdem legas perspicue quinquagesima a Pascha die Spiritum e cœlo in Apostolos illapsum fuisse. III. Qui contra faciunt*, *hæreticis accensentur.* Qui non fecerit, novam hæresim induxisse notetur. *Verum numquid id crediderim posse quem*, *ut hæreticum*, *proscribi*, *quod e. g. stato tempore neque genua plicet*, *neque ab jejunia temperet: præsertim cum in his ipsis rebus miram fuisse apud veteres varietatem fateamur omnes; neque aliquis unquam Romanæ Ecclesiæ praxim*, *ut hæreticam*, *proscripserint*, *qui Sabbata per annum jejunabant. Vide egregium in id argumentum Augustini* Epist. ad Casulan.

§. VI.

Qui-

§. VI. *De Festis* Ascensionis *Domini*, *&* Pentecostes.

XXVI. Solemnitas Ascensionis Domini una ex iis est, quas Augustini (53) sententia vel ex institutione Apostolica, vel ex generali Ecclesiarum consensu recte derivare possumus. Et sane longe ante Augustini ætatem de ea loquuntur Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, & Auctor Constitutionum (54) sub nominibus *ἀναλήψεως*, *ἐπισωζομένης*, vel *σωζομένης*. Igitur de ejus antiquitate satis constat. Jam vero in modum eam observandi inquirere supervacaneum est; quum iisdem pene ritibus fuerit transacta, ac ceteræ per annum Christi Domini solemnitates; nimirum Sermone, communione Eucharistica, cessatione ab manuum labore, publicorum spectaculorum interdicto &c. Hinc ab Chrysostomo *Hom. XXXV. in Assumpt.* dicitur *Illustris*, ac *Refulgens*; & ab Auctore Constitutionum *Lib. VIII. Cap. XXXIII.* magnis Christianorum solemnitatibus adnumeratur propter finitam tunc in terris Christi Œconomiam.

XXVII. Vox Pentecostes sensu strictiori accepta quinquaginta Paschalium dierum postremum designat, quo Spiritus Sancti super Apostolos descensus commemoratur: unde & *Ἡμέρα πνεύματος dies Spiritus Sancti* dicta est: uti in Gregorio Nazianz. aliisque reperimus (55). Hujus quoque solemnitatis origo ad ipsum Apostolorum ævum refertur, uti supra dictum est. Nomen Pentecostes ab Judæis primum est usurpatum, quippe qui & ipsi quinquagesimum post Pascha diem tum propter memoriam datæ ipsis de monte Sinai legis, tum propter fructuum collectionem solemniter ducebant. Ea die Baptisma in Ecclesia solemni ritu conferebatur æque ac in Paschate; unde ejus observatio pene cum ipsa Paschatis solemnitate certabat. Unum hic observare juvat, tantum Festum per totam hebdomadem ad Dominicam usque proxime sequentem sine jejunio, & inflexione fuisse transactum: atque tum Ecclesia ad usitatas jejuniorum stationes in feria quarta, & sexta revertebatur: at quibusdam in locis exactum jejunium per totam hebdomadem succedebat huic festivitati, id quod ex Concilio Turonensi (56) discimus. Verum hoc recentius institutum est, sicut & jejunium Rogationum: qua de re plura suo loco dabimus.

§. VII. *De Festo Transfigurationis Domini.*

XXVIII. Hujus solemnitatis mentio occurrit æque in vetustissimis Græcorum Menologiis, ac in antiquissimis Latinorum manuscriptis Martyrologiis; adhæc Wandebertus, qui floruit ad annum DCCCL. in suo Martyrologio, quod versu scripsit, de

Quibus omnibus illud effici puto, non esse hujus canonis verba de totis quinquaginta ante Pentecosten diebus intelligenda, sed de uno Pentecostes Festo. Erant enim fortasse nonnulli, qui illud non L. post Pascha, juxta Scripturarum oracula, sed XL. die celebrabant, quorum pravæ institutioni ut occurrerent Illiberitani Patres, XLIII. Canonem edidere, eosque qui adhuc eam consuetudinem sequi mallent, hæresi notari jubent. Erat quippe id Scripturæ, universæque ceterarum Ecclesiarum praxi plane contrarium. Si hunc Canoni sensum dederis, jam nil salebrosum, nil implicatum offendas, cum contra qui faciunt, hi nodum in scirpo quærent, quod ajunt.

(53) *Augustin. Epist. CXIX. ad Januar.* Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri. Sicut quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cælum & Adventus de cælo Spiritus Sancti anniversaria solemnitate celebrantur.

(54) *Chrysost. Hom. in Pentecosten*: Nuper festum Crucis celebravimus, passionis, ac resurrectionis, ac deinde Domini nostri Jesu Christi in cælos Ascensus.

Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XXXIII. Ascensionem concelebrate propter finitam tunc super terras Œconomiam Christi.

(55) *Nazianz. Orat. XLIV. De Pentec. Tom. I.* Diem Spiritui sacrum honori habe.

(56) *Concil. Turon. II. Can. XVIII.* De Pascha usque quinquagesimam, exceptis Rogationibus, omni die prandium præparetur. Post quinquagesimam tota Hebdomada exacte jejunetur.

de hac solemnitate die VI. Augusti sic canit:

Idibus octavis mortem passura, crucemque
Christi sancta caro aetheream. dedit ante figuram.

In Actis secundae Nicaenae Synodi intercetera Leontii in Cypro Episcopi scriptorum monumenta oratio quoque recensetur *de Transfiguratione Domini*. Jo: Damascenus de eadem solemnitate orationem habuit, cujus est exordium: *Agedum, o pie coetus, hodiernum hunc diem laetis animis celebremus*. In eamdem solemnitatem extant Sermones S. Ephrem Syri, Basilii Seleuciensis, & Andreae Cretensis; qui, Baronio auctore *in Not. ad Martyrol.* graece scripti in Bibliotheca Sfortiana asservantur. Hi profecto si genuini sunt, dubitandum non est jam inde ab IV. Seculo eam solemnitatem saltem in Orientali Ecclesia celebrari coepisse. At cum de iis MSS. anceps adhuc sit judicium, hinc consulto in §. III. Cap. V. cum de festis intra sex priora Secula celebratis ageremus, ab hoc festo commemorando supersedimus.

CAPUT VI.

DE FESTIS APOSTOLORUM, MARTYRUM, CONFESSORUM, SANCTORUMQUE VETERIS TESTAMENTI.

§. I. *De Festis Apostolorum.*

I. QUod antiquitus cujusque Apostoli memoria in diversis Ecclesiis festive admodum celebrata sit, atque eo praesertim nomine, quod pro Christo martyrium perpessi erant, nullus inficias iverit. At an ullus festus dies omnibus Apostolis communis, eoque praesertim titulo tributus fuerit, quod fidem Christi per universum orbem prolatarint, hoc enimvero dubitari posset. Equidem existimo vero esse valde simile duplex fuisse Apostolorum festum: alterum omnibus commune, in quo in universum Apostolatus, & Martyrii memoria recolebatur, alterum peculiare, illarumque Ecclesiarum proprium, ubi aut martyrium oppetierant, aut eorumdem reliquiae asservabantur.

II. Atque ad primum quod spectat, Auctor Constit. (1) cessari vult ab operibus servilibus *in diebus Apostolorum*, festique rationem addit, quod Magistri fidei fuerant. Licet vero eo loci non ita clare eruatur, omnium Apostolorum memoriam una die peractam fuisse, lex tamen quaedam Valentiniani (2) perspicue id suadere videtur, quae vacationem ab foro praescribit *quo tempore commemoratio Apostolicae Passionis totius Christianitatis Magistrae a cunctis jure celebratur*. Quod quidem, me sententia, de omnium Apostolorum communi festo accipi debet; aliter tot fuissent vacationis dies, quot erant in singulis Ecclesiis pro cujusque consuetudine Apostolorum solemnitates, quod vix credi potest. Ad haec certum est Cpoli per M. Constantinum ingens templum Apostolorum memoriae dicatum fuisse, de quo loquitur Euseb. (3) quodque Christi discipulis consecra-

(1) *Constitut. Apost. Lib. VIII. Cap. XXXIII.* In diebus Apostolorum vacent; Magistri enim vestri fuerunt ad docendum vos de Christo vobisque Spiritum Sanctum dederunt.

(2) *Cod. Theod. Lib. II. Tit. VIII. l. II.* Sanctos quoque Paschae dies, qui septeno numero vel praecedunt, vel sequuntur, dies etiam Natalis, atque Epiphaniarum Christi, & quo tempore commemoratio Apostolicae Passionis totius Christianitatis magistrae a cunctis jure celebratur (in quibus etiam praevictis sanctissimis diebus neque spectaculorum copiam referamus) in eadem observatione numeramus. Et dies Solis, quos Dominicos rite dixere Majores &c.

(3) *Euseb. in Vit. Constant. Lib. II. Cap. LVIII.* Post haec in memoriam Apostolorum Martyrium aedificare coepit in urbe sibi cognomine. Cumque templum omne in immensam altitudinem extulisset, vario lapidum genere splendidum reddidit a solo ad cameram usque marmoreis crustis illud operiens.

cratum expresse docet Nazianz. & Procopius (4). Jam vero si omnibus Apostolis id templum dedicatum fuit, omnium etiam Apostolorum ibi memoria una die peracta est.

III. Quin immo dies quoque, quo Apostolorum in universum fiebat commemoratio, definiri potest. Qui quidem per Orientem, Constantini ævo, non dubito, quin fuerit dies XXIX. Junii, qua die apud Romanos festum Petri, & Pauli agebatur. Ceterum paulo post, quod Romani die *XXIX.* Apostolorum Petri, atque Pauli festum celebrabant, die vero XXX. ejusdem mensis solius Pauli commemorationem peragebant (5), factum inde puto, ut Cpoli quoque dies XXIX. Petro, atque Paulo solemnis data sit, dies vero XXX. commemorationi omnium Apostolorum. Patet id ex Chrysostomo *Tom. VI. pag.* 320. ubi integrum sermonem reperies de Petro, Pauloque agentem, in quo etiam aperte testatur Chrysostomus id festum III. Kalendas Julias contigisse. At in altero sermone, qui priorem hunc proxime excipit, in omnium Apostolorum laudes excurrit: *Omnes ubique*, inquit, *omnibus beneficia conferre non desistunt: pulverem immortalem in sepulcris reliquerunt*; quod profecto indicat sequenti die omnium Apostolorum memoriam celebratam fuisse. Mansit porro mos hic inter Orientales, ut apparet ex vetusto Græcorum *Menologio*: ubi, festum Petri atque Pauli, non secus, ac Romæ, addicitur diei XXIX. Junii, omnium vero Apostolorum diei XXX. ejusdem mensis.

IV. Id vero non obstabat, quo minus singulæ Ecclesiæ ejus sigillatim Apostoli memoriam diversa anni die recolerent, qui aut martyrio, at suis reliquiis eas collustrasset. At hæc festa neque aliis communia erant, neque ubique Ecclesiarum cessationem ab servilibus operibus secum ferebant. Longum esset cujusque Apostoli festos dies persequi: proindeque dabimus hic pauca quædam de festo Petri, atque Pauli Romæ, perque reliquum occidentem celeberrimo. Martyrium subiere hi Romani Apostolatus Collegæ undecimo Neronis anno, unaque die ambo, & Romæ ambo; quod fuse probat Euseb. (6) ex Cajo Romano, & Dionysio Corinthiorum Episcopo. Eorumdem vero festum

(4) *Nazianz. Carm. in Sann. Anastas.* Et Magnificum templum Christi discipulorum, quatuor lateribus distinctum in Crucis formam.

Adde Procop.

Ædes vetusta cunctis dicata Apostolis.

(5) *Ævo tamen Prudentii secus fuisse conjicia ex ejus Hym. CLXXXVI.*

Plus solito coeunt ad gaudia: dic, amice, quid sit?
Romam per omnem cursitant, ovantque.
Festus Apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli, atque Petri nobilis cruore.
Transtiberina prius solvit sacra pervigil Sacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Quæ verba, ut patet, id satis innuunt, eadem die Romæ & Petri, & Pauli memoriam recultam fuisse, cum Romanus Episcopus ubi perfunctus fuerat Transtiberinis sacris, statim urbana repetebat, ut scilicet utrisque in Apostoli templis Liturgiam celebraret. Qui etiam Prudentii locus & illud indicat, ea die Rom. Pontificem bis altari operatum fuisse.

(6) *Euseb. Lib. II. Cap. XXV.* Paulus quidem Romæ capite truncatus, Petrus autem Cruci suffixus fuisse eodem (*Nerone*) regnante, traduntur. Quam quidem traditionem abunde confirmant Petri, Paulique nomine insignita monumenta, quæ in urbis Romæ cœmeteriis etiamum visuntur. Sed & Cajus quidam vir Catholicus, qui Zephyrini Romanæ Urbis Episcopi temporibus floruit, in eo libro, quem scripsit adversus Proculum Patronum sectæ Cataphrygarum, de loco, in quo prædictorum Apostolorum Sacra Corpora deposita sunt, ita loquitur: *Ego vero*, inquit, *Apostolorum tropæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropæa eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt.* Porro ambos uno eodemque tempore martytium subiisse, Dionysius Corinthiorum Episcopus ad Romanos scribens testatur his verbis: *Ita & vos*, inquit, *santa admonitione vestra, sementem, quæ Petri, ac Pauli satione succreverat, Romanos scilicet, & Corinthios simul commiscuistis. Ambo enim illi in urbem nostram Corinthum ingressi, sparso doctrinæ Euangelicæ semine nos instituerunt. Et in Italiam simul profecti cum vos similiter instituissent, eodem tempore Martyrium pertulerunt.*

ſtum celebratum Romæ, ut dixi III. Kalendas Julias, quo etiam die Xyſtus P. ingraveſcente perſequutione eorum corpora ex Oſtienſi via, & Vaticana in Catacumbas tranſtulit, ut habetur in pervetuſto indiculo depoſitionis Martyrum: *III. Kal. Jul. Petri in Catacumbas, & Pauli Oſtienſe: Tuſco, & Baſſo Coſſ.* Mos autem fuit, ut quo die feſtum eſſet, eodem & translatio fieret. Antiquitus in hoc feſto Romani PP. binas Miſſas celebrabant. Vide Not. (5).

§. II. *De Feſtis Martyrum.*

V. Jam ſupra de antiquitate feſtorum Martyrum egimus, eamque ſecundo Chriſti Seculo vindicavimus ex Epiſt. Smyrnenſium apud Euſeb. *Lib. IV. Cap. XV.* cui etiam addi poſſent plura teſtimonia antiquiſſimorum Patrum Tertulliani, Cypriani, aliorumque, quæ mox, prout ſe dabit occaſio, proferemus. Illud tamen adverteſis, initio quidem Martyrum feſta in eo tantum conſtitiſſe, quod fideles mane eorum memoriam recolebant, aliaque pietatis officia præſtabant, deinde ſuos quiſque labores repetebat. Tandem vero Conſtantinus Magnus, teſte Euſeb. (7) lege lata ſanxit in Martyrum quoque feſtis non ſecus, ac Dominicis ab labore eſſe ſuperſedendum. Conſtitutiones etiam Apoſtolicæ dies vacationis recenſentes, Martyrum quoque feſta recenſent (8). Verumtamen id non ita accipias, quaſi quævis Eccleſia cujuſvis Martyris feſtum ageret, ſed de Martyribus accipias ſingulis Eccleſiis propriis.

VI. Erat porro, præter ſingularia hæc feſta, ingens, omnibuſque Martyribus commune feſtum, certa anni die celebrari ſolitum. Colligas id ex *Chryſoſt.* cujus *Tom. I. pag.* 895. extat *Hom. LXXIV.* in id argumentum habita hoc titulo: *De Martyribus totius orbis*. Ex qua etiam homilia colligas, id feſtum contigiſſe infra hebdomadam poſt Pentecoſten, aut ſi vis, proprie in die, quam nunc *SS. Trinitatis* dicimus (9), ſicuti etiamnum conſueſcunt Græci ex Leone Allatio (10). Scitum enim omnibus eſt, XI. demum Seculo ſpeciale Trinitatis feſtum introductum fuiſſe. In feſto autem omnium Martyrum id potiſſimum propoſitum ſibi habebant Patres, ut Fideles egregia Martyrum certamina demirantes ſimilia illis inirent prælia adverſus reluctantes carnis impetus. Vide ſpeciminis ergo illuſtrem Chryſoſtomi perorationem inferne appoſitam (11).

VII. Ceterum an id feſtum omnium San-

(7) *Idem in Vit. Conſtant. Lib. IV. Cap. XVIII.* Miſſa quoque lex eſt ad Præſides Provinciarum, ut diem Dominicum etiam ipſi venerarentur. Iidem feſtos Martyrum dies juſſu Principis obſervabant: & Eccleſiaſticarum feſtivitatum tempora debito honore proſequebantur.

(8) *Conſtitut. Apoſt. Lib. VIII. Cap. XXXIII.* In die Stephani Protomartyris item vacent: ac reliquis diebus Sanctorum Martyrum, qui Chriſtum vitæ ſuæ antepoſuerunt.

(9) *Chryſoſt. Hom. LXXIV. de Martyribus totius Orbis:* Nondum ſeptem dierum elapſus eſt numerus, ex quo ſacram Pentecoſtes ſolemnitatem celebravimus, & nos rurſus Martyrum Chorus adiecutus eſt, vel Martyrum caſtra potius, & exercitus, nihilo minor illis Angelorum caſtris, quæ Patriarcha Jacob vidit, ſed æmulus illis, & æqualis.

(10) *Leo Allat. de Hebdomad. & Domin. Græcor. n. XXXI.*

(11) *Chryſoſt. Hom. LXXIV.* Ne doleamus, quod mortales redditi ſimus, ſed gratias agamus, quod Martyrii ſtadium nobis ſit a morte reſervatum, & ab interitu præmiorum materiam accepimus, unde & certaminum occaſionem nacti ſumus. Vides ſapientiam Dei, quo pacto maximum illud malorum caputque calamitatis, quod invenit Diabolus, mortem inquam, eam in honorem gloriamque noſtram converti, ac per hanc ipſam athletas ad Martyrii brachia deduxit? Diabolus invenit, ut perderet, & ad terram reductis ſpem ſalutis omnem præſcinderet. Chriſtus autem id arreptum immutavit, & in cælum rurſus per ipſum introducit. Hic ut in aliis præliis binæ ſunt acies, una quidem Martyrum, altera vero Tyrannorum, ac Tyranni quidem armati ſunt, Martyres autem nudo pugnant corpore, ſed a nudis tamen, non ab armatis victoria reportatur. Quis non obſtupeſcat, quando is, qui virgis cæditur, cædentem vincit, & vinctus ſolutum, exuſtus urentem, & qui moritur interficientem? Vides, ut hæc illis terribiliora ſint; nam illa quidem, quamquam formidabilia ſunt, tamen ex ordine naturæ fiunt. Hæc exſuperat naturam omnem rerumque omnem conſequentiam: Ut intelligas divinæ gratiæ accepta ferenda eſſe, quæ hic cum laude præſtantur.

Sanctorum Martyrum antiquius Chrysostomi ævo fuerit, tum an Occidentalibus cognitum, ancipiti versor judicio. Profecto nullam ejus mentionem reperire mihi fas fuit neque in Kalendario Leoniano, neque in vetustiori illo *Indiculo*, quem primus evulgavit Ægidius Bucherius. Illud unum pro certo darem, habuisse Africanam Ecclesiam festum omnium Martyrum, unius saltem Africæ. Namque Augustinus, teste Possidio in ejus vita, plures habuit Sermones *de Natali Martyrum*. Adhæc Cyprianus ipse id innuere videtur in Epistola quadam (12) ubi memoriam recolere se dicit Patrui & Avunculi Celerini Confessoris in anniversaria Martyrum commemoratione.

VIII. Denique observes Martyrum solemnitates usitatissimo vocabulo aut *Natalitia*, aut etiam *Natales* fuisse appellatas. Erant hæc nomina quibuscumque solemnitatibus significandis addicta. Hinc sæpius in Codice utroque Theod. & Justinianeo *Natales* Imperatorum dictos legas eos dies, quibus Imperium susceperant, quique magna pompa ab omnibus celebrabantur. At ad Ecclesiasticam praxim quod spectat, *Natale*, aut *Natalitium* amplæ significationis fuere quibusvis festis notandis destinata. Sic festum Cathedræ S. Petri in Kalendario Bucheriano dicitur: *VIII. Kal. Mart. Natale Petri de Cathedra* (13): sic, ut alibi adnotavimus, translationes ipsæ Reliquiarum *Natalis* dictæ ab Hieron. (14). Sic *Natalis Calicis* dictus pro festo Cœnæ Domini, quem titulum præseferunt quædam fragmenta Homiliarum Aviti Viennensis. Sed præcipue Natalitia græce γενέθλια Martyrum fuere, quod ex Tertulliano patet, tum etiam ex Conc. Laodic. (15) aliisque. Dicti autem *Natalitia* dies, quibus Martyres mortali corpore quasi carcere exuti æternam requietem potiti sunt, uti ejus nominis rationem explicant cum primis Petrus Chrysol. Prudentius, Tertullianus, aliique (16).

IX. Porro Martyrum festa persequutionum tempore in cryptis, atque catacumbis celebrata sunt, templa non habentibus Christianis. Sedato autem in nostros Gentilium odio, ubique Martyribus Ecclesiæ dicatæ sunt, dictæ passim *Martyria*, *Areæ*, *Cœmeteria*, *Mensæ*, & *Memoriæ Martyrum*. Hæ vero Ecclesiæ initio super ipsas catacumbas extra urbis plerumque mœnia excavatas extruebantur. Hinc sæpe Christiani Martyrum festa celebraturi dicuntur egredi ex urbibus ab antiquis Patribus, Chrysostomo (17) præsertim. Ex quo conjicias Martyrum solemnitates in iis ut plurimum Ecclesiis celebratas fuisse, ubi passi fuerant, atque consepulti. Sic Carthagine festum Cypriani, Smyrnæ Polycarpi, Romæ Laurentii magna lætitia celebratum scimus. Hinc

(12) *Cyprian. Epist. V.* Patruus ejus & Avunculus Laurentius & Ignatius in castris & ipsi quondam secularibus militantes, sed veri & spirituales Dei milites dum Diabolum Christi professione prosternunt, palmas a Domino & coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper ut meministis offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus.

(13) *Kalend. Bucher. ap. Murat. de Liturg. Vet. Rom. Tom. I.* VIII. Kal. Mart. Natale Petri de Cathedra.

(14) *Martyrol. S. Hieron.* IV. Non. Aug. in Antiochia Natalis reliquiarum Stephani Protomartyris, & Diaconi.

(15) *Tertull. de Coron. Milit. Cap. III.* Oblationes pro defunctis, pro Natalitiis annua die facimus.

Concil. Laodic. Can. LI. Quod non oportet in Quadragesima Martyrum Natales peragere.

(16) *Chrysolog. Serm. CXXIX.* Natalem Sanctorum cum auditis, carissimi, nolite putare illum diem, quo nascuntur in terra de carne, sed de terra in Cælum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias, non fluxas, sed fortes, & stabiles, & æternas, de mundanis visibus ad Coronam & gloriam.

Adde Tertull. Scorpiac. cont. Gnosticos Cap. XV., & Prudentium Hymn. XI. de Hippolyto.

(17) *Chrysost. Hom. LXV. de Martyr.* Quemadmodum, cum Machabæorum festum celebraretur, in urbem villa omnis effusa est: Ita cum Martyrum, qui illic quiescunt, festum ageretur, nunc urbem totam ad illam oportuit se transferre.

Sozomenus (18) observat, Ecclesias Gazæam, & Constantiensem in Palæstina vix XX. stadiis inter se distitas, diversos tamen habuisse festos, diversa Martyrologia. Habebat namque quæque Ecclesia adversaria sua, sive fastos, in quibus, quo quis Martyr die obiisset, quæve passus esset, diligenter ope Notariorum adnotabatur. Fastorum Ecclesiasticorum aperte meminere Tertullianus, & Cyprianus (19).

§. III. *Quo ritu, quave pietate Martyrum festa olim celebrata.*

X. Inter solemnes ritus, quibus Martyrum festa celebrabant veteres fideles 1. præmittebant noctem insomnem, seu vigilias, quas non secus, ac diei Dominicæ Vigilias Psalmodia, hymnis, effusisque precibus ad diem usque producebant. Hinc apposite Chrysost. Hom. LIX. de Martyrib. *Noctem*, inquit, *convertistis in diem* διὰ τῶν παννυχίδων τῶν ἱερῶν *per sacras istas vigilias: nolite rursus diem in noctem per ebrietatem, & crapulam, ac meretricios cantus convertere.* Parem fuisse Occidentalium consuetudinem discimus in primis ab *Sidon. Appoll.* (20) 2. Illucescente die magna frequentia synaxes celebrabant, in quibus Oratio panegyrica ab Episcopo recitabatur, cujusmodi plures leges apud Chrysostomum, Basilium, Naz. August. aliosque. Horum autem sermonum hic scopus erat, ut & majorem in Sanctos Christi athletas honorem, pietatemque excitarent, & addantes concioni fideles illustribus illorum constantiæ exemplis accenderent, inflammarentque ad similes de carne triumphos. Atque hoc postremum cum sæpe vehementius, more suo, urget Chrysost. tum in Serm. in laudem Barlaam M. (21).

XI. 3. Acta, seu Passiones Martyrum publice lectæ, quas proinde sequens ævum *Legendas* dixit, quod in Ecclesiis legi mos erat. Conc. Carthag. III. quamvis unos Canonicos Scripturarum libros legi in Ecclesia jubeat, eximit tamen Martyrum Acta (22). Tantam adeo ex eorum lectione utilitatem redundare in fideles credidere. De iis etiam Actis in cœtu fidelium recitari solitis loquuntur passim Patres Leo M., Gelasius, Cæsarius Arel., Alcimus Avitus, & August. Dolendum tamen est temporis progressu Monachos præsertim fabulosas quasdam Sanctorum, aut Martyrum vitas confersisse, indignas sane quæ lucem, non solum manus eruditas attingant. At de his vetus est querela Ludovici Vives, Melchioris Cani, Pagii, aliorumque.

XII. 4. Eucharistiæ Sacramentum summi omnibus ingens cura erat, indeque argumentum petiit Chrysostomus (23) hortandi fideles, qui Martyrum solemnitatibus intererant, ut ne per insequen-

(18) *Sozom. Lib. V. Cap. III.* Utraque enim suum seorsum habet Episcopum, qui ipsis præfuerunt.

(19) *Tertull. de Coron. Milit. Cap. XIII.* Habes tuos census, tuos fastos.

Cyprian. Epist. XXXVII. Ad Cler. Dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.

(20) *Sidon. Lib. V. Epist. XVII.* Conveneramus ad Sancti sepulcrum: Processio fuerat antelucana, solemnitas anniversaria, populus ingens sexu ex utroque, quem capacissima basilica non caperet, & quamlibet cincta diffusis crypta porticibus. Cultu peracto vigiliarum, quas alternante dulcedine monachi, clericique psalmicines concelebraverant, quisque in diversa secessimus, non procul tamen, utpote ad tertiam præsto futuri, cum Sacerdotibus res divina facienda est.

(21) *Chrysost. Hom. LXXIII. de Barlaam Martyr.* Ad sacram istam solemnitatem festumque conventum Beatus nos Barlaam convocavit: non ut ipsum laudemus, sed ut ipsum æmulemur: non ut laudum simus auditores, sed ut præclarorum ejus facinorum simus imitatores. Tunc enim maxime honoris proprii sensum capiunt Martyres, cum suos conservos ad honorum suorum consortium viderint pervenisse. Itaque si quis Martyres laudare velit, Martyres imitetur. Si quis religionis athletas celebrare præconiis velit, illorum labores æmuletur. Hoc nihilo minorem, quam propria recte facta martyribus adferet voluptatem.

(22) *Concil. Carthag. III. Can. XLVII.* Liceat legi passiones Martyrum, cum anniversarii eorum dies celebrantur.

(23) *Chrysostom. Homil. LIX. de Martyr.* Ridiculum est post hujusmodi conventum post vigilias, post sacrarum auditionem Scripturarum, post divinorum participationem Mysteriorum, post spiritualem largitionem, virum, aut mulierem totis diebus in popinis transigentes videri.

quentem diem plus æquo voluptatibus vacarent, quippe qui divinorum præsertim sacramentorum participes facti fuerant. Hinc etiam Concilium Laodicenum jubet per Quadragesimam Sabbatis tantum, aut Dominicis fieri Martyrum commemorationes, quod hi tantum dies Liturgici erant; proindeque Eucharistiæ participationem prænedicbant (24).

XIII. 5. In ipsius Eucharistiæ celebratione solemnior quædam fiebat Martyrum commemoratio, quam passim appellarunt Patres *oblationem*, & *sacrificium laudis*. Erat enim quasi quoddam sacrificium laudis, & gratiarum actionis Deo oblatum, qui tantam testibus illis invictissimis fortitudinem impertiverat, ut ingentia tormenta vultu, animoque impavido perferrent. Sic præ ceteris loquuntur Tertullianus, & Cyprianus (25). Fiebat ergo Martyrum publica commemoratio, ut ita pro illis dignæ Deo grates rependerentur, qui illis, ut vincerent, dederat, minime vero, ut pro illis orarent, quasi cujusdam ope indigerent, quod docet August. (26).

XIV. 6. Tandem publica convivia in diebus Martyrum a ditioribus data pauperibus, de quibus passim loquuntur Pseudo-Origenes, Chrysostomus, Nazianz. Theodoretus, & Paulinus (27). Atque illa primo sobrietatis plena, sed tandem, ut est hominis indoles in vitium præceps, in comessationes, atque ebrietates desiere, sic ut id Catholici exprobrarent Manichæi, quos quum ex parte juste questos videret Augustinus *Epist. LXIV.* suasit Aurelio Carthaginiensi Primati, ut hæc convivia aboleri curaret, uti factum postea fuit in Conc. Carthag. III. (28). Id ipsum antea *Conc. Laod. Can. XXVIII.* ac postea etiam *Conc. Aurel. II. Can. XII.* prohibuere. Hic vero non possum, quin ad calcem appingam insignem Basilii (29) locum, quo ille nundinationes juxta Martyrum Ecclesias fieri solitas, qua par est, severitate coercet, quod partim avaritiæ inserviant, partim pie-

(24) *Vide supra not.* (15)

(25) *Tertull. de Coron. Milit. Cap. III. Cyprian. Epist. XXXVII. & XXXVIII.*

(26) *Augustin. Serm. XVII. de Verbis Apost.* In patria nullus orandi locus erit, sed tantum laudandi. Quare orandi nullus locus erit? Quia nihil deest. Quod hic creditur, ibi videtur, quod hic speratur, ibi tenebitur, quod hic petitur, ibi accipitur. Perfectio tamen in hac vita nonnulla est, ad quam sancti Martyres pervenerunt, ideoque habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum Martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur, pro ceteris autem commemoratis defunctis oretur. Injuria est enim pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.

(27) *Pseudo-Origen. in Job Lib. III.* Celebramus (*diem mortis*) religiosos cum Sacerdotibus convocantes, fideles una cum Clero, invitantes adhuc egenos, & pauperes, pupillos, & viduas saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiemque defunctis animabus, quarum memoriam celebramus, nobis autem efficiatur in odorem suavitatis in conspectu æterni Dei.

Theodoret. Therapeudic. Serm. VIII. Hi omnes (*Duces bellici*) cum viverent, illustres conspicuique erant.... mortui autem a plebejis nihil differunt. Neque enim conditi sunt insignibus monumentis, neque annui Epuli solemnitatibus honorantur.

Nazianz. Carm. X. de diversis vitæ generibus.

Non *Epulum Natale* adiens cum pluribus, aut quod
Funereum est, vel quod connubiale petens.

Vide etiam Chrysost. Homil. XLVII. in Sanct. Jul. & Paulin. in Natal. Felicis IV.

(28) *Concil. Carthagin. III. Can. XXX.* Ut nulli Episcopi, vel clerici in Ecclesia conviventur, sive forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiantur. Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur.

(29) *Basil. Regul. Major. Quæst. XL.* Verum enim vero neque nundinationes illæ, quæ in Martyriis celebrari solitæ sunt, convenire nobis putandæ sunt: neque enim ullam aliam ob causam in Martyriis adesse decet Christianos, aut istis continua loca invisere, quam orandi causa, & ut constantia sanctorum admoniti, in qua illi, ne pietatem amitterent, ad necem usque fortiter perseverarunt. Nimirum memoria tenendum est illud, quam terrifica, & formidabili ira olim exarserit Dominus, qui cum semper, & ubique mansuetus, & humilis corde fuisset, in eos tamen solos flagellum intendit, qui circum templum vendendis emendisque libis operam dabant, quippe quasi nundinatio illa orationis domum in latronum speluncam converteret.

pietatem infirment, atque adeo impediant.

XV. Illud hic restaret, ut aliquid de Confessorum Festis adderemus. At id præstitum a nobis fuit supra in §. III. *Cap. IV. n. XIV.* ubi etiam adnotavimus Confessorum festa, ubi primum usu recepta sunt, iisdem ferme ritibus celebrata fuisse, ac Martyrum Natalitia.

§. IV. *De Festis Sanctorum Veteris Testamenti.*

XVI. In veteri Ecclesia solemni ritu celebrata fuere festa non solum Martyrum, qui Christi vestigia sequuti ob ipsius fidem sanguinem fuderant, sed eorum quoque, qui ante Christum, merito tamen fidei in eumdem Redemtorem olim adventurum, aut gloriosam martyrio vitam finierunt, aut in pace virtutibus plenam absolverunt. Hinc 1. per quartum Ecclesiæ Seculum ingenti lætitia, populique concursu festum agebatur SS. Septem Machabæorum, qui incredibili constantia patrias leges ad sanguinis usque effusionem contra mandata Antiochi Epiphanis propugnarunt. Hinc in eorum laudem plures habemus homilias Chrysostomi, Augustini, Leonis M. Gaudentii Brixiensis, aliorumque (30): eratque Antiochiæ magnificum templum eorum memoriæ dedicatum, teste Augustino (31). Qui vero anni dies illis addictus fuerit, difficile definiri potest. Verumtamen in Kalendario Gelasiano solemnitas Machabæorum conjicitur in Kalendas Sextiles (32).

XVII. Festum Innocentium; qui tamen a Patribus Christianis Martyribus accensentur, velut qui pro Christo mortui gloriosam per ipsum Christum beatitudinem meruerunt. Hinc Hilar. in Matth. Cap. I. *Post Judæorum insectationem, & in extinguendo eo profanæ plebis adsensum, Christus ad gentes inanissimis religionibus deditas transit, & Judæam relinquens ignoranti eum seculo colendus infertur, Bethlehem i. e. Judæa Martyrum sanguine redundante ..... Non enim erant ii, qui mortui putabantur: in æternitatis enim profectum per Martyrii gloriam efferebantur.* Ita etiam de illis longe prius sensit Cyprianus (33), cui etiam addas Chrysostom. Aug. Iren. Leonem M. aliosque (34): in primis vero Prudentium, cujus *Cathemerin. hymn. XVI. de Epiph.* est egregium illud in SS. Innocentes Ἐπινίκιον:

Salvete, flores Martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.
Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener
Aram ante cujus simplices
Palma, & coronis luditis.

XVIII. Non solùm autem tantis præconiis Innocentes extulere Patres, sed solemnem etiam diem eorum memoriæ dicarunt. Testantur id Origenes, & Augusti-

(30) *Vide horum Patrum opera.*

(31) *Augustin. Hom. CCC. Tom. V.* Sanctorum Machabæorum Basilica esse in Antiochia prædicatur: in illa scilicet civitate, quæ Regis ipsius persecutoris nomine vocatur.

(32) *Kalend. Gelasian. ap. Murat. Liturg. Vet. Rom. Tom. I:* Kalend. Aug. Natale Machabæorum.

(33) *Cyprian. Epist. LVI. ad Thibaritan.* Christi nativitas a Martyriis infantium statim cœpit, ut ob nomen ejus, a bimatu, & infra qui fuerant, necarentur. *Ætas*, nec dum habilis ad pugnam idonea exstitit ad coronam, ut appareret innocentes esse, qui propter Christum necantur. Infantia innocens ob nomen ejus occisa est; ostensum est, neminem esse a periculo persecutionis immunem, quando & tales martyria fecerunt.

(34) *Chrysost. Homil. IX. in Matth.* Quid igitur obfuit in tali causa parvulis interemptis, & ad tranquillissimum, & tutissimum portum celeriter evectis?

August. de Symbolo Lib. III. Cap. IV. Moriuntur parvuli pro Christo nescientes, parentes plangunt Martyres morientes, necdum loquuntur, & Christum confitentur. Præstitit eis Christus, ut pro Christo morerentur, præstitit, ut suo sanguine ab originali peccato diluerentur.

Adde Iren. Lib. III. Cap. XVIII. Leon. Serm. VII. in Epiphan.

gustinus præ reliquis (35). Nonnulli putant eorum festum in Epiphaniam incidisse, quippe quod Fulgentius, Leo M. Prudentius de iis loquantur in die tantum Epiphaniæ. At in Kalendario Leoniano iis assignatur dies XXIX. Decembris: *IV. Kalendas Januar. Natale Innocentium*. Quod si verum est, ævo Leonis M., aut certe paulo post diversus erat dies festus Innocentum ab Epiphaniarum die.

XIX. Præter hos autem, Sanctorum quoque Patriarcharum & Prophetarum solemnis olim commemoratio fiebat. Nam præterquamquod in omnibus precibus Eucharisticis gloriosa eorum peragebatur memoria, uti constat tum ex scriptis Liturgiis, cum etiam ex infinitis prope testimoniis Epiph. Cyrilli Hierosl. Chrysostomi aliorumque; privatæ quædam Ecclesiæ Sanctorum Prophetarum templa etiam habebant, & festa. Hinc, teste Vandiho *Annal. Tom. III. anno* MCCCXLII. *num.* 49. Ecclesia Hierosolymitana suum habuit perantiquum Kalendarium, ubi festa recensentur Sophoniæ, Malachiæ, Davidis &c. Adhæc Constantinopoli templum visebatur, quod S. Elisæo Prophetæ dedicatum fuit, quo etiam ejus reliquiæ inlatæ fuere IV. Ecclesiæ Seculo, ut alibi adnotavimus. Vide etiam Dufresnium in Constantinopoli Christiana *Lib. IV. Cap. IV.* Atque hæc de festis breviter edisseruisse sat est. Propositum quippe nobis fuit sexti Seculi fines non egredi.

(35) *Origen. Homil. III. de diversis*: Horum & memoria semper, ut dignum est, in Ecclesiis celebratur; secundum integrum ordinem Sanctorum, ut primorum Martyrum pro Domino occisorum, & ut ipsa Bethlehem primitias Domino Martyrum, in qua natus est ipse Salvator, obtulisse videatur.

Augustin. de Libero Arbitrio Lib. III. Cap. XXIII. Non frustra etiam infantes illos, qui, cum Dominus noster Jesus Christus necandus ab Herode quæreretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia.

CAPUT VII.

De Jejunio Quadragesimæ.

§. I. *De Jejuniis generatim, ac præcipue de eorum Antiquitate.*

I. Plerique hæreticorum Catholicæ Ecclesiæ id etiam ausi sunt exprobrare, quod Montanistis, ad jejuniorum disciplinam quod spectat, consentiat, quippe quæ stata per annum jejunia habeat, non secus, ac Montanistæ, de quibus est illud Tertulliani: *Jejunia propria custodiunt in dies certos, & statas leges constituta*. Atqui Ecclesiam jam inde ab sui exordio propria servasse jejunia plura commonstrant. 1. Seculo namque tertio in Ecclesia jam in usu erant *Stationalia* sic dicta jejunia feriæ IV. & VI., quæ a Tertulliano *Stationum Semi-jejunia* vocantur (1).

II. 2. Antepaschale jejunium, id est binos dies, quibus Christus in sepulcro jacuerat, in ipso Euangelio signatum, præceptumque veteres credidere, cetera vero jejunia cujusvis arbitrio commissa. Hinc idem Tertullianus contra nostros (2): *Certe in Euangelio illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est Sponsus, & hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum.... De cetero differenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio novæ disciplinæ pro temporibus, & caussis uniuscujusque. Sic & Apostolos observasse.*

III. 3. Apollonius antiquus Ecclesiasticus

(1) *Et sane Tertullianus jam Montanista Lib. de Jejunio Cap. XIII. Catholicos sic accusat*: Convenio vos & præter Pascha jejunantes, & Stationum semi-jejunia interponentes, & vero interdum pane, & aqua victitantes.

(2) *Ibidem Cap. II.*

ficus Scriptor, cujus fragmentum prostat apud Euf. (3), Montanum haud eo arguit quod jejunandum doceret, sed quod jejunia statis diebus, necessarioque servanda esse propria auctoritate indiceret. *Hic est*, inquit, *qui nuptiarum dissidia docuit, qui Jejuniorum leges imposuit*. S. Irenæus apud Eusebium (4) jejunium Antepaschale non modo sua ætate per universas Ecclesias custoditum scribit, verum ab Majoribus etiam acceptum illud docet. Atqui Irenæus altero exeunte Ecclesiæ Seculo floruit.

IV. 4. Tandem S. Hieronymus (5) Catholicam disciplinam Montani sancitis opponens sic loquitur: *Nos unam Quadragesimam secundum traditionem Apostolicam jejunamus: illi tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores*. Ergo, cum in Ecclesia Montanistarum hæresis prodiit, jam pridem Catholici sua jejunia servabant; & quidem ex Apostolica traditione partim lege constituta, partim fidelium arbitrio permissa: *Pro temporibus, & caussis uniuscujusque*, uti loquitur ibidem Tertullianus.

§. II. *De Jejunii* Quadragesimalis *origine: num ab ipso Christo institutum fuerit*.

V. Illud hic primo quæret quis, ab ipso ne Christo Domino fuerit primitus id jejunium institutum. Id credidisse videtur Hieronymus (6): *Ipse Dominus*, inquit, *jejunat Quadraginta dies hæreditatem jejunii nobis derelinquens*. Theophilus Alex. in Paschalibus Epistolis passim docet, jejunium hoc Quadragesimale *secundum evangelicas, & apostolicas traditiones* observandum esse. Similes etiam loquutiones invenire est apud Cyrillum Alex. (7) Petrum Chrysologum (8), Augustinum (9), aliosque (10). Quin immo Tertullianus id ipsum innuit, ubi scribit, Catholicos illos dies in Evangelio jejuniis destinatos putasse, *in quibus ablatus est Sponsus*.

VI. Jam vero, si postremam hanc Tertulliani auctoritatem excipias, de qua mox dicemus, ceteras illas veterum Patrum sententias minime de certo, expressoque Christi mandato intelligendas reor, sed potius de sui exempli imitatione quadraginta dies, ut ille, jejunandi. Id autem ex eo etiam liquet, quod eorum nonnulli Quadragesimam auctoritati Moysis, atque Heliæ, non secus ac Christi jejunantis inniti dixerunt: quod de una exempli imitatione accipi potest. Hinc Chrysostomus palam docet, Christum potuisse quidem suum quadraginta dierum jejunium fidelibus imitandum proponere; at maluisse ipsos hanc sibi legem adscribere: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*.

§. III. *Num jejunium* Ante-Paschale *ad Apostolicam institutionem sit referendum*.

VII. In hac re satis obscura illud propius vero crediderim, Apostolos initio tantummodo duorum circiter, aut trium dierum jejunium servasse; per illud nempe triduum, quo Christus Sponsus ab Discipulis ablatus fuerat. Atque id quidem jejunium *Ante-Paschale* rectius dixeris. Est enim aliud jejunium *Ante-Paschale*, aliud *Quadragesimale*: quam distinctionem plerique omnes Patres posuere, ut mox videbimus. Porro illud primum tres modo dies complectebatur, qui-

(3) *Eusebius Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XVIII.*
(4) *S. Irenæus Ep. ad Victorem Rom. Pontificem apud Eusebium Lib. V. Hist. Eccles. Cap. XXIV.*
(5) *S. Hieronymus Ep. ad Marcellam.*
(6) *S. Hier. in caput III. Jonæ.*
(7) *S. Cyrillus Alex. passim in suis Paschalibus Homiliis inculcat Quadragesimale jejunium observandum* κατὰ τὰς ἀποστολικὰς παραδόσεις, & κατὰ τὴν εὐαγγελικὴν παράδοσιν.
(8) *Chrysologus Serm. II. & LXVI.*
(9) *S. Aug. Ep. CXIX. ad Jan. cap. XV.*
(10) *S. Leo Serm. IV. VI. & XIX. S. Basilius Homil. II.*

quibus Christus in Sepulcro jacuerat; mox, uti passim loquuntur quarti Seculi Scriptores, omnes Majoris Hebdomadis dies, in quibus severius, rigidiusque jejunium servabatur. Jam vero id ipsum jejunium *Ante-Paschale* jam inde ab ævo Apostolico ad exemplum jejunii a Christo, a Moyse, atque ab Helia servati ad quadraginta circiter dies produci cœptum est: indeque Quadragesima, quæ nunc est, suam originem traxit.

VIII. Ac primo ad jejunium *Ante-Paschale* quod spectat, nemo unquam, ut opinor, inficiabitur Apostolos binos illos dies, quibus cruci affixus est Christus, atque compositus, jejunos quotannis transegisse; tum quod solemne id Judæis erat, ut quisque diem, quo pater ipsius vita functus erat, singulis deinde vitæ suæ annis jejunio consecraret, tum quod ipse Dominus de Discipulis suis prædixerat (11): *Venient dies quum auferetur ab iis sponsus, & tunc jejunabunt in illis diebus*, ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. Ex quibus sane verbis Apostoli intellexisse videntur Magistri sui voluntatem fuisse, ut ipsi, omnesque alii in posterum Christiani dies illos jejuniis deputarent. Quo quidem sensu verba illa proximo post Apostolos Seculo ab Ecclesia Catholica intellecta fuisse ex Tertulliano (12) discas: *Certe*, inquit, *in Euangelio illos dies jejunii determinatos putant Catholici, in quibus ablatus est Sponsus*. Irenæus (13) de eodem *Ante-Paschali* jejunio scribit: *Non de die Paschatis solum controversia est, sed etiam de jejunii ratione, & modo.... Et hæc quidem in observando jejunio isto varietas non nostra primum ætate nata est, sed multo prius apud Majores nostros* ἐπὶ τῶν πρὸ ἡμῶν γεγονῖα *cœpit, qui non accurate, ut verisimile est, retinentes* κρατούντων (jejunii formam) *eam, quæ ex simplicitate, & imperitia ortum habuit, consuetudinem in posterum fecerunt*. Ita Irenæi locum verrit Beveregius, qui etiam adversus Valesium pluribus demonstrat vocem κρατούντων haud quidem de *Præsidentibus*, sive Præsulibus Ecclesiæ interpretandam; sed vertendam *retinentes* nimirum *jejunii formam*, qua de loquitur. Atqui Irenæus hæc ante secundum a Christi Nativitate elapsum Seculum scripsit. Quocirca tempus, quod ille πολὺ πρότερον appellat, cum Apostolico coincidat necessum est.

IX. Adhæc accurata jejunii forma profecto prius constituenda est, quam varietas illa, quam describit, gliseeret. Qui igitur dubitari quiverit accuratam jejunii formam ab ipsis Apostolis fuisse præscriptam? Præterea Dionysius Alex. qui tertio Seculo nondum adulto scripsit Canonicam ad Basilidem Epistolam, eam sic exorditur: *Misisti ad me, fidelissime, & sapientissime fili, interrogans qua diei hora Pascha jejunium solvendum sit?* Igitur Dionysii ætate *Ante-Paschale* jejunium tanta religione celebrabatur, ut perdiligenter percontarentur, qua diei hora jejunium illud solvere liceret.

X. Philo in *Lib. de Vita Contemplativa* memoriæ prodidit, Therapeutas conventus suos celebrasse per septem Hebdomadas, quas vocat *Profestum maxima festivitatis incidentis in numerum quinquagenarium sanctissimum. Vinum per illos dies non præbetur..... mensa pura est a cruentis dapibus; pro cibo panis apponitur &c.* Isthæc autem a Philone de Therapeutis dicta de Christianis a Marco Euangelista edoctis Eusebius (14) intelligit,

(11) *Matth. Cap. XVII. v. 15.*
(12) *Tertull. de jejunio Cap. II.*
(13) *Irenæus ap. Euseb. V. Cap. XXIV.*
(14) *Euseb. Lib. II. Cap. XVII.* Quid præterea hic attinet commemorare cœtus, & virorum, & mulierum seorsum degentium studia atque exercitationes, quæ apud nos etiamnum in usu sunt: præcipue circa diem festum Dominicæ passionis, quo tempore jejuniis, atque vigiliis, & sacrorum librorum lectionibus impensius vacare consuevimus? Quæ omnia vir ille toties jam nominatus (*Philo*) eodem plane modo, quo a nobis hodie observantur, accurate notata scriptis suis tradidit: Atque in primis pervigilia magnæ solemnitatis, piasque in iisdem exercitationes...

utque

git, quorum mores, institutaque nomine Therapeutarum Philo descripserit. Quod si semel statuas, uti Eusebio fuit persuasum, non modo *Ante-Paschale*, verum & *Quadragesimale* jejunium ab ipsis Apostolis, ac speciatim Alexandriæ ab S. Marco institutum dicas necesse est. Saltem Eusebius, qui Christianas antiquitates perfecte callebat, id credidit; quod sane ad Apostolicam jejunii auctoritatem stabiliendam maxime facit.

XI. Jam vero Philonem Judæum Libro supra laudato de Christianis sub Therapeutarum nomine disseruisse, vero valde simile est, tum quod Eusebius, Hieronymus, atque Epiphanius id credidere, qui multo præ nobis de Christianis antiquitatibus sagacius judicare poterant, tum quod maxima apparet rituum Therapeuticorum, Christianorumque similitudo. Quum igitur Patres secundi, ac tertii Seculi *Ante-Paschalis* jejunii antiquitatem adeo luculenter adserant, proculdubio Apostolica illi institutio tribuenda est.

§. IV. *Idem hoc jejunium* Ante-Paschale *jam inde ab Apostolica ætate ad Quadraginta dies productum fuit.*

XII. Jam vero idem jejunium ab ipsa Apostolorum ætate ad quadraginta circiter dies fuisse productum pluribus demonstratur. Ac primo ex Eusebio, qui, ut diximus, de primis Christianis intelligit, quæ Philo de Therapeutis tradiderat; nimirum servasse eos jejunium septem hebdomadarum, quæ maximam ac sanctissimam festivitatem antevertebant. Tum ex Irenæo (15), qui Epistola ad Victorem varietatem *Ante-Paschalis* jejunii describens: *Quidam*, inquit, *enim putant uno tantum die servari debere jejunium, alii duobus, alii vero pluribus; nonnulli etiam Quadraginta; ita ut horas diurnas, nocturnasque computantes diem statuant*. Ita Irenæi locum interpretatur Beveregius (16) adversum Valesium (17), qui verba illa: Οἱ δὲ *τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάς τε, καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν*, sic vertenda censuit: *Nonnulli etiam quadraginta horis nocturnis, & diurnis computatis diem suum metiuntur*. Verum pro Beveregii versione stant vetustiores Codices, Rufini Versio, pluraque haud contemnenda argumenta, quæ videsis apud eundem Beveregium. Quum igitur hanc varietatem, uti nuper observavimus, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis arcesserit Irenæus, profecto dubitari nequit, jejunium *Ante-Paschale* ipso Apostolorum ævo ad quadraginta dies produci cœpisse.

XIII. Præterea Origines (18) non modo jejunium *Ante-Paschale*, quod Parascevas vocat, ab ævi sui Christianis servatum meminit, verum de Christianorum abstinentia loquens *Quadragesimam* expresse memorat: *Habemus enim*, inquit, *Quadragesimæ dies jejuniis consecratos*. Atque hinc lux affulget Tertulliano ajenti: *Convenio vos, & præter Pascha jejunantes, citra illos dies, quibus ablatus est Sponsus*. Profecto jejunii dies citra, sive ante jejunium *Ante-Pascale* quinam erunt

alii,

utque per illos dies humi in stramentis recubantes a vino quidem, ut ejus (*Philonis*) verbis utar, penitus abstineant, neque carnes ullas degustent, sola autem aqua ad potum utantur, neque ad panem aliud quidquam adhibeant præter sal, atque hyssopum .... Ceterum, quia, dum ista scriberet Philo, primos illos Euangelicæ doctrinæ predicatores, & ab Apostolis primum traditam disciplinam in mente habuerit, nemini dubium esse arbitror.

(15) *Quoniam tot turbæ excitatæ sunt inter viros eruditos, ad hunc Irenæi locum quod spectat, juvabit integrum exscribere, ut est apud Euseb. Lib. V. Cap. XXIV.* Non de die Paschatis solum controversia est, sed etiam de jejunii ratione, & modo. Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum: alii duobus, alii pluribus: nonnulli etiam quadraginta; ita ut horas diurnas nocturnasque computantes, diem statuant. Atque hæc in observando jejunio varietas non nostra primum ætate nata est, sed longe ante apud majores nostros cœpit: qui negligentius, ut verisimile est, præsidentes ex simplicitate, & imperitia ortam consuetudinem posteris tradiderunt. Nihilominus tamen omnes isti pacem inter se retinuerunt, & nos invicem retinemus. Ita jejuniorum diversitas consensionem fidei commendat.

(16) *Bevereg. Cod. Can. Vindic. Lib. III. Cap. VII.*

(17) *Vales. ad Euseb. Lib. V. Cap. XXIV.*

(18) *Orig. contra Celsum Lib. VIII. In Levitic. Hom. X.*

alii, nisi Quadragesimales? Quandoquidem Origenes Tertulliano æqualis Quadragesimam ab Christianis jejunatam dicat. Igitur Quadragesimale jejunium Tertullianus ipse subindicat. Canones etiam sic dicti Apostolici gravissimis pœnis Quadragesimale jejunium præscribunt (19) *Τεσσαρακοστή*. Demum Synodus Nicæna (20) duas quotannis in unaquaque Provincia Synodos celebrari jubens, tempestates etiam quibus celebrandæ erant his verbis definit: *Synodi autem fiant una quidem ante Quadragesimam τεσσαρακοστὴν, secunda autem circa autumni tempus.* Atqui Patres ea in Synodo coacti ad significandum prioris anniversarii Concilii tempus nomine *Quadragesimæ* usi minime fuissent, nisi per omnes Catholicas Ecclesias Quadragesimæ jejunium non secus, ac Autumni tempus innotuisset omnibus. Omnes quippe ubicunque gentium Ecclesiæ ei decreto obnoxiæ erant. Quod vero *τεσσαρακοστὴ Quadragesima* eo in Canone non paucorum, sed quadraginta circiter dierum jejunium notet, cum ex ipsa græca voce *τεσσαρακοστὴ* satis id constat, quæ invita prorsus ad sex dierum jejunium trahitur, tum ex Laodicena Synodo (21) quæ & Quadragesimæ, & plurium ejusdem hebdomadum sæpe meminit: tum demum, quod plerique quarti, quintique Seculi Patres illud expresse jejunium quadragenarium dicunt: uti ex Græcis Basilius, Nazianzenus, Theophilus Alex. Cassianus, Chrysostomus, Cyrillus Alex. Dorotheus Abbas Græcus (22): ex Latinis vero Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Chrysologus, Leo M. aliique (23).

XIV. Atque hinc aliud, idemque efficacissimum ad confirmandum quadragenarium jejunium oritur argumentum. Quum enim quarto Seculo hoc jejunium ab omnibus Patribus inculcatum, atque ab universa Ecclesia observatum sit; quum magnum Nicænum Concilium, ut notam, signumque indubium, omnibusque compertum illud proposuerit, quo ad sanctas Synodos hyemali tempore quotannis Ecclesiasticarum Provinciarum convenirent Episcopi: qui, quæso, tam constans ubique gentium Christianarum disciplina eodem tempore, & nasci, & adolescere potuit, nisi antiquissimis temporibus, atque ab ipso Apostolorum ævo sensim obtinuisset? Est enim supra fidem hominum positum, universam Ecclesiam tercentis post Apostolos annis in eumdem repente ritum, eamdemque disciplinam consensisse, quam si minus universalis auctoritas Concilii, Apostolica saltem non sanxerit, eo vel

(19) *Can. Apost. LXIX.* Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut cantor, sanctam Quadragesimam non jejunat, vel feriam quartam, vel Parasceven, deponatur..... Sin vero Laicus sit, segregetur.

(20) *Conc. Nicæn. Can. V.* Concilia vero celebrentur unum quidem ante Quadragesimam Paschæ, ut omni dissensione sublata munus offeratur Deo purissimum: secundum vero circa tempus Autumni.

(21) *Concil. Laodic. Can. XLIX.* Quod non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi solis Dominicis.

Can. XLV. Quod non oportet post duas Quadragesimæ hebdomadas ad baptismum admitti.

Can. I. Quod non oportet in Quadragesima postrema septimana quintæ feriæ jejunium solvere.

(22) *Naziánz. Carm.* Εἰς τὴν ἐν νηστείᾳ σιωπήν.

Lingua sile, mutam & vocem mea penna tabellis
Scribe, oculisque animi concine sensa tui.
Quum carnem adstrinxi, cupiensque occumbere Mundo,
Suppliciis Christi mystica sacra tuli.
Vicenis, Christi ut lex fert, *totidemque diebus*,
Purgatæ carni quum medicina venit.

Addas Theophil. Alex. in tribus Paschalibus Epist. Doroth. Doctr. XV. Basil. Hom. II. Cyrill. Alexand. in Paschalibus Hom. Cassian. Collat. XXI. Cap. XXVIII. & Chrysost. Hom. XVI. ad Pop. Antioch.

(23) *Leo M. Serm. IV. de Quadrag.* Magna divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem, *Quadraginta* nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & jejunia casta decoquerent.

Vide etiam Chrysolog. Serm. II. Isid. Hispal. Orig. Lib. VI. Cap. XIX. August. Epist. CXIX. Ad Januar. Cap. XIX. Hieronym. Epist. ad Marcell. & Ambros.

vel magis, si ejus primæ institutionis nulla vestigia uspiam deprehendas. Hæc autem tanti sunt, ut minime dubitare nos sinant, jejunium Quadragesimale ab ipsis Apostolis quodammodo traditum fuisse, vel certe ipso Apostolorum ævo ab ferventioribus Christianis primum usu receptum, mox ab Apostolis ipsis probatum, ac prope sancitum fuisse.

§. V. *Num Apostoli ipsi Quadragesimale jejunium præceperint.*

XV. In hoc capite satis per se obscuro si quis detur conjecturæ locus, statuerim Apostolos tantummodo jejunii *Ante-Paschalis* legem indixisse; Quadragesimale vero fidelium arbitrio commisisse, quod deinde in legem Ecclesiasticam evaserit. Sane vero Tertullianus (24) de jejunio *Ante-Paschali* scribit: *Illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus ablatus est Sponsus; & hos esse jam solos legitimos... sic & Apostolos observasse, nullum alium imponentes jugum.* Cetera vero jejunia sive quadragenaria, sive stationaria ad arbitrium peragenda esse subdit: *Hæc ex arbitrio agenda, non ex imperio ..... De cetero differenter jejunandum ex arbitrio, non ex imperio* (25). Ad hæc Irenæus loco cit. postquam Christianorum varietatem hac in re descripsit, statim addit: *Nihilominus tamen omnes isti pacem inter se retinuerunt, & nos invicem retinemus. Ita jejuniorum diversitas consensionem fidei commendat.*

XVI. Quod vero subinde in Ecclesiasticam legem evaserit, docet Basilius *Homil. II.* ubi de quadragesimali jejunio scribit: *Non extremus Mundi angulus, ubi non sit auditum jejunii edictum.* S. Ambrosius (26) expressis verbis docuit Christianum, qui consecratam jejunando non impleverit Quadragesimam, prævaricantis, contumacisque crimen subire; tum subdit: *Sicut reliquo anno jejunare præmium est, ita in Quadragesima non jejunare peccatum est: illa enim voluntaria sunt jejunia, ista necessaria: illa de arbitrio veniunt, ista de lege, ad illa invitamus, ad ista compellimur.* Canon Apostolicus XLIX. *Si quis*, inquit, *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor sanctam Quadragesimam non jejunat, deponatur.... sin vero laicus sit, segregetur.* Similia his habent Concilia Aurelianense IV. & Toletanum VIII. (27).

XVII. Ex his vero quisque per se colliget antiquitus jejunium *Ante-Paschale* ab quadragesimali discriminatum fuisse; illudque in Euangelio præsignatum, atque ab Apostolis servatum, institutumque fuisse; istud vero Apostolica tantum consuetudine traditum veteres Patres credidisse. Tum illud, *Ante-Paschale* scilicet, ab fidelibus rigidius jejunatum fuisse. Plerumque enim Ξηροφαγίᾳ se macerabant i. e. *Aridorum comestione*: quandoque etiam ab omni penitus potu, ciboque temperabant sibi usque ad Sabbatum. Quod ferventiores modo e fidelibus præstitisse statuas. Atque de rigidiori hac temperantia omnino intelligendi sunt Patres illi, qui scribunt non omnes æque fideles sex proximos Paschatis dies æquali, similique abstinentia transegisse, sed alios duos, alios tres, quatuorve dies, alios integram hebdomadam omnino jejunos impastosque traduxisse.

XVIII.

(24) *Tertull. de Jejun. contra Psychicos Cap. II.*

(25) *In his vero ipsis Tertulliani verbis non leve subest argumentum Quadragesimalis etiam jejunii. Scribit enim ibidem Catholicos &* præter Pascha *seu jejunium Ante-Paschale*, jejunare, citra illos dies, in quibus ablatus est Sponsus, i. e. *ante binos dies Parasceves, & Sabbati Sancti. Est enim* Citra *idem, ac* Ante, *opponiturque* Ultra: *sicut Gellio Tertulliano ipsi coævo* cita Kalendas *est* ante Kalendas. *Ergo ante-Paschale jejunium alios dies jejuniis item addictos præmittebant Catholici.*

(26) *Ambros. Serm. XXXIV.*

(27) *Conc. Aurel. IV. anno DXLI. Can. II.* Ut Quadragesima ab omnibus Ecclesiis teneatur, neque per Sabbata absque infirmitate quisquam solvat Quadragesimæ jejunium, nisi tantum die Dominica prandeat: quia sic fieri specialiter Patrum statuta sanxerunt. Si quis hanc regulam irruperit, tamquam transgressor disciplinæ a Sacerdotibus censeatur.

Conc. Tolet. VIII. Can. IX. qui mox dabitur.

XVIII. Hinc perperam hi faciunt, qui universam Quadragesimæ abstinentiam intra brevissimum hoc spatium veteres Patres conclusisse putant. Loquuntur quippe illi de proximis Paschæ diebus, in quibus jejunii fideles velut habenas laxabant: quod tum ex eo patet, quod de ejus temporis jejunio verba faciunt, quo ab Apostolis ablatus est sponsus; tum quod de insolenti quadam, atque extraordinaria jejunandi ratione agunt, quæ per Magnam Hebdomadem semper in Ecclesia servari consuevit. His accedit passim per quarti Seculi Patres ordinarium Quadragesimæ jejunium, & extraordinarium illud *Ante-Paschale* distingui invicem, discernique. Clarissime in id sunt Epiphanii verba (28): *Quadragesimam observare*, inquit, *atque in jejuniis perseverare consuevit Ecclesia. Dominicis vero nullis omnino, adeoque nec ipsius Quadragesimæ quidem jejunare solent. Præterea sex illos Paschatis dies xerophagiis, hoc est arido victu transigere omnis populus assuevit: hoc est panem duntaxat cum sale, & aqua post vesperam adhibere: immo vero nonnulli ad biduum, vel triduum, vel quatriduum usque jejunia prorogant. Alii totam hebdomadem ad usque sequentis Dominicæ gallicinium sine cibo transmittunt.*

§. VI. *De Ratione servandi jejunium Quadragesimale in veteri Ecclesia.*

XIX. Quadragesimale jejunium semper in Ecclesia ea ratione observatum fuit, ut Fideles ab omni prorsus cibo ad vesperam usque abstinerent. Antiquitus enim ciborum commutatio minime jejunium credita est, nisi cum perfecta abstinentia ab omnibus corporis alimentis per integrum diem ad vesperam usque conjungeretur; in quo maxime jejunium Quadragesimale discrepabat a Stationariis, quæ ad Nonam usque protrahebantur. Hinc Ambrosius (29) Christianum ad jejunium adhortans ait: *differ epulas aliquantulum, non longe finis est diei.* Idem ex Basilio (30), Chrysostomo (31), aliisque vetustis Ecclesiasticis Scriptoribus colligit Bellarminus (32), qui illud observat, hanc consuetudinem ad Seculum usque XII. perdurasse.

XX. Ceterum si qui infirma valetudine conflictarentur, vellentque ab jejunio excusari, ille semper mos in Ecclesia viguit, ut prandendi libertas ipsis concederetur; tantum ut in pietatis opera ferventius incumberent. Egregium in hanc rem Joannis Chrysostomi locum vide inferne (33). Atque in hoc præsertim capite Catholici a Montanistis differebant. Hi quippe tres in anno quadragesimas, cibisque aridis necessario obeundas dictitabant, tanqnam a Spiritu S. indictas nova revelatione Montano, quam vel scriptis Apostolorum anteferebant. Contra Catholica Ecclesia licet quadragesimale jejunium ad amussim observari vellet, attamen si qui infirmitate detinerentur, cum his indulgentius actum est, nemini jugo imposito, quod ferri non posset.

(28) *Epiph. Exposit. fid. §. XXII.*
(29) *Ambros. de Elia, & Jejunio Cap. X.*
(30) *Basil. Homil. I. de Jejun.*
(31) *Chrysostom. Hom. VI. in Genesim*: Quæ utilitas jejunii sit, obsecro, si tota die nihil comedis, ludis autem, & nugaris, sæpe etiam pejeras, & blasphemas, & ita totum perdis diem?
(32) *Bellarmin. de Bonis Oper. Lib. II. Cap. II.*
(33) *Chrysostom. Homil. X. in Genes.* Si ob corporis imbecillitatem non potes jejunus diem producere, nullus qui sapiat, propter hoc arguere te poterit. Dominum enim habemus mansuetum, & benignum, & nihil supra vires nostras a nobis exigentem. Neque enim abstinentiam a cibis, & inediam simpliciter a nobis exigit: neque hoc ipsum, ut jejuni solum permaneamus: sed ut a secularibus operibus nos abdicantes, omne nostrum otium in spiritualibus consumamus.... Si igitur sunt aliqui præsentes, quos corporis vetat infirmitas jejunos, & impransos permanere, eos hortor, ut corporis infirmitatem curent, & spirituali doctrina non solum non priventur, sed & pransi plus exhibeant studii.... Igitur, qui cibum accipit, & jejunare non valet, largiorem det eleemosynam, ferventior sit in precibus, majorem habeat alacritatem in audiendis divinis eloquiis, inimicis reconcilietur, omne odium, & vindictæ cupiditatem ex animo depellat, in quibus corporis infirmitas nihil obstare potest: qui hæc fecerit, verum jejunabit jejunium, quod a vobis potissimum exposcit Deus.

XXI. Quod vero ad ipsam ciborum abstinentiam spectat, in hac re illud primo constat IV. Seculo communem fuisse omnium Ecclesiarum praxim, ut Fideles per Quadragesimam ab carnibus, vino, piscibus, aliisque cibis lautioribus abstinerent. Non enim prava tum inoleverat consuetudo, pisces artificiosis, ac peregrinis condimentorum generibus parandi, delicatioresve cibos, vina, ac quicquid est suavium potionum in carnium locum surrogandi, quam quidem præposteram, intemperantemque jejunandi formam jam pridem descripsit, vituperavitque Augustinus (34).

XXII. Verum hoc jure quæri potest; num dumtaxat abstinentia a carnibus Ecclesiastica lege præcepta sit? In quo illud crediderim, ut a carnibus, ita ab vino, piscibus, aliisque delicatioribus cibis abstinentiam olim per integros quadraginta dies consuetudine tantum obtinuisse, quæ postea vim legis acceperit. Si enim aliter se res habuisset, haud ita rigide ab omnibus IV. Seculi Christianis servatum id fuisset, neque deinde Seculo Ecclesiæ VIII. publica lege sancitum fuisset. Primum enim in *Concil. Tol. VIII.* ann. DCLV. in hanc rem lata Sanctio occurrit; cujus hæc sunt verba *Can. IX. Quisquis diebus Quadragesimæ sine inevitabili necessitate.... esum carnis præsumserit attentare, non solum reus erit Resurrectionis Dominicæ; verum etiam alienus ab ejusdem diei sancta communione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut ipsius anni tempore ab omni carnium esu abstineat gulam, quia sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi vero, quos aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non ante prohibita violare præsumant, quam a Sacerdote permissum percipiant.* Trullana etiam Synodus (35) jussit, ut in tota Quadragesima vel in Sabbatis, atque Dominicis abstinerent fideles, ut ab omni mactabili, sic ab ovis, & caseo; quæ quidem fructus sunt, & fœtus eorum, a quibus abstinendum est. Si autem hoc non servaverint, si quidem sint Clerici deponi, sin autem laici, segregari jubet.

XXIII. Tandem illud quoque observatu dignum, Patres aliquando ob id etiam jejunium fidelibus insinuasse, ut quod ab prandio abstinentes lucrati erant, id non in cœnam opiparam, sed in pauperum usus conferrent. Illud ex homilia quadam sub nomine Augustini (36) condiscimus: *Ante omnia in diebus jejuniorum quod solebamus prandere, pauperibus erogemus, ne forte aliquis sibi sumtuosas cœnas, & exquisitis saporibus epulas studeat præparare, & corpori suo magis commutasse, quam subtraxisse ciborum abundantiam videatur.* Origenes (37) invenisse se testatur inquo-

(34) *Augustin. Serm. LXXIV. de Diversis*: Sunt quidam observatores Quadragesimæ deliciosi potius, quam religiosi, exquirentes novas suavitates magis, quam veteres concupiscentias castigantes, qui copiosis, pretiosisque apparatibus fructuum diversorum quorumlibet opsoniorum varietates, & sapores superare contendunt: vasa, in quibus coctæ sunt carnes, tanquam immunda formidant: Jejunant, non ut solitam temperando minuant edacitatem, sed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, opimis mensis tamquam pecora præsepibus, irruunt, numerosioribus ferculis corda obruunt, ventresque distendunt, artificiosis, & peregrinis condimentorum diversitatibus, gulam, ne vel copia compescatur, irritant: Tamquam non sit Quadragesima piæ humilitatis observatio, sed novæ voluptatis occasio.

(35) *Concil. Trull. Can. LVI.* Visum est ergo, & hoc ut omnis Dei Ecclesia quæ est in universo terrarum orbe, unum ordinem sequens jejunium perficiat, & abstineat sicut ab omni mactabili, sic ab ovis, & caseo, quæ quidem sunt fructus, & fœtus eorum, a quibus abstinemus; si autem hoc non servaverint, si sint quidem clerici, deponantur, sin autem laici, segregentur.

(36) *August: Serm. LVI. de Tempore.*

(37) *Origen. Homil. X. in Levitic. At fuit id certe ab Apostolicis viris maxime inculcatum. Hinc Hermas Pastor antiquissimus Scriptor, atque Apostolis suppar* Simil. V. *edoctum se dicit ab superno Spiritu tum demum Christianorum Jejunia Deo grata fore, si quod impensarum supererat per jejuniorum dies, id pauperibus erogaretur.* Computata, *inquit*, quantitate cibi illius, quem ceteris diebus comesturus, sumtum diei illius, quem facturus eras, repones, & dabis viduæ; pupillo aut inopi: & sic consumabis humilitatem animæ tuæ. *Hunc ipsum veterum Christianorum morem irridet Tertullianus, quum jam Montani præstigiis irretitus ait Lib. de Jejun. Cap. XIII.* Bene autem, quod & Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent: non dico de industria *Stipium* conferendarum, ut vestræ capturæ est: sed interdum & ex aliqua sollicitudinis Ecclesiasticæ caussa.

quodam libello hoc Apostolorum dictum: *Beatus est, qui etiam jejunat pro eo, ut alat pauperem*. Addas & illud Leonis M. (38): *Proficiat eleemosynis, quod non impenditur mensis. Tunc enim demum ad animæ curationem proficit medicina jejunii, quum abstinentia jejunantis esuriem reficit indigentis*. Nec non Chrysologum (39): *Jejunantes ergo prandium nostrum reponamus in manu pauperis, quod venter nobis fuerat perditurus*.

§. VII. *Quasnam ob caussas institutum fuerit Quadragesimale jejunium*.

XXIV. Ac si primam ejus institutionem repetere velimus, profecto 1. ratio ea est, cujus Tertullianus meminit, nimirum ut memoriam recolerent luctus, atque ægritudinis Apostolorum ob Magistri sui mortem. Quamvis enim Christus sponsus ab suis discipulis vix duos, tresve dies abfuerit; attamen id Ante-Paschale jejunium, uti vidimus, jam inde ab Ecclesiæ incunabulis vehemens Christianorum pietas, fervorque ad quadraginta dies prolatavit. 2. Ad justiorem christianarum virtutum exercitationem: Hinc Patres nullam, aut fere nullam ejus jejunii rationem habendam esse censuerunt, quod virtutum exercitatione caruisset, uti S. Leo M. aliique docent (40). 3. Ut fideles sanctam Eucharistiam in festo Paschali recepturi dignius sese præpararent: ut qui pridem negligentes fuerant, hanc jejunii opportunitatem nacti resipiscerent aliquando, seque ad Paschalis Agni immolationem, qua par erat, devotione compararent. Hinc Chrysostomus (41): *Ob hoc*, inquit, *jejunium, & Quadragesima, & tot dierum Synaxes, auditiones, preces, & doctrinæ susceptæ sunt, ut abstersis sceleribus per istiusmodi studium, quæ nobis hoc anno quocunque modo allita inhæserunt, cum spirituali securitate illius incruenti sacrificii participes efficeremur*.

XXV. 4. Ut Catechumeni ad Baptismum, Pœnitentes ad absolutionem accipiendam sese præpararent. Sicut enim Pascha solemne tempus erat admittendi Catechumenos ad Baptisma, Pœnitentesque post expletas pœnitentiæ leges Ecclesiasticæ communioni restituendi; ita solemne Quadragesimæ jejunium ad utrumque velut præparatio erat. Huc procul dubio respexit Justinus M. (42) ubi de Catechumenis scripsit: *Orare jejunantes, & petere a Deo priorum peccatorum veniam docentur: nobis cum illis una, & orantibus, & jejunantibus*. Cyrillus quoque Hierosl. (43) catechumenum erudiens: *Satis longum*, inquit, *habes intervallum, quum pœnitentia dierum quadraginta tibi datur*. Idem de Pœnitentibus docent Ambrosius, Nyssenus, Petrus Alex. aliique (44). Ex quibus illud certo statuas, Pœnitentes licet per totum annum statis pœnitentiæ legibus obnoxii fuerint, per quadragesimalis tamen jejunii observationem vehementius pœnitentiæ agendæ incubuisse, spe erectos vicinæ absolutionis per Paschatis dies obtinendæ. Quo illa Hieronymi (45) spectat observatio: *Quadragenarius numerus convenit peccatoribus & jejunio, & orationi, & sacco, & lacrymis, & perseverantiæ deprecandi*.

XXVI.

(38) *Leo M. Serm. III. de Jejun. Pentecost.*

(39) *Chrysol. Serm. VIII. de Jejunio, & eleemosyna.*

(40) *Leo M. Serm. IV. de Quadragesima:* Quamvis nulla sint tempora, quæ divinis non sint plena muneribus, & semper nobis ad misericordiam Dei per ipsius gratiam præstetur accessus: Nunc tamen omnium mentes majori studio ad spirituales profectus moneri, & ampliori fiducia oportet animari, quando ad universa pietatis officia illius nos diei, in quo redempti sumus, recursus invitat: Ut excellens super omnia passionis Dominicæ Sacramentum, purificatis, & corporibus, & animis celebremus.

(41) *Chrysostom. Hom. XXII. de Ira.*

(42) *Justin. Apol. II.*

(43) *Cyril. Catech. I. num. V.*

(44) *Ambrof. Epist. XXXIII. ad Marcellin. Sororem:* Erat dies, quo Dominus sese pro nobis tradidit, quo in Ecclesia pœnitentialia relaxantur.

Addas Nyssen. Epist. Canon. ad Letoium, & Petrum Alex. Can. I.

(45) *Hieron. Comment. in Jon. III.*

XXVI. 5. Demum ut hoc jejunio dierum sex, & triginta Christiani totius anni Deo velut decimas penderent. Hinc V. Seculi Patres sæpius hujusce rationis meminere. Egregie vero universam hanc rem explicat Cassianus *Collat. XXI. Cap. XXIV.* Ait quippe universum annum triginta sex semis dierum numero decimari. E septem vero Quadragesimæ hebdomadis si quidem juxta Græcos Dominicas demas, & Sabbata, dies supererant quinque & triginta, quibus adjecto majoris hebdomadæ Sabbato ab universa Ecclesia jejunato, constabit plane numerus triginta sex dierum, qui decima pars est totius anni solaris. Id ipsum docent Dorotheus Abbas *Doctrin. V.* Inter Occidentales vero Gregorius Magnus *Hom. XVI. in Euang.* *Sex hebdomadæ*, inquit, *veniunt*, *quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt*. *Ex quibus dum sex dies Dominici abstinentia subtrahuntur*, *non plus in abstinentia*, *quam sex & triginta dies remanent*... *quasi anni nostri decimas Deo damus*.

§. VIII. *De Varia diversarum Ecclesiarum in Jejunii Quadragesimalis observatione Disciplina.*

XXVII. Ac primo ad ejus durationem quod spectat, id juvat observare, hoc jejunium non eo Quadragesimale dictum fuisse, quod Fideles ipsos exacte quadraginta dies jejunio dicaverint. Licet enim jejunio Ante-Paschali plures additicii dies jam inde ab Apostolico ævo accesserint; hi tamen pro varia Ecclesiarum disciplina plures, paucioresve erant: nihilo tamen secius Quadragesima dicti sunt, vel quod Fideles eo jejunio Christum per quadraginta dies in deserto jejunantem imitari cuperent, vel potius, quod ad quadraginta dies propius accederet. Hinc apud Originem diserta Quadragesimæ mentio occurrit: at Irenæus, uti vidimus, variam hac in re Ecclesiarum disciplinam fuisse tradit, aliis uno, duobus aliis, aliis pluribus diebus ante Pascha jejunantibus, nonnullis etiam quadraginta. Tertullianus vero indefinite scribit (46): *Convenio vos & præter Pascha jejunantes citra illos dies*, *quibus ablatus est Sponsus*. Hieronymus (47) etiam Montanistas tres in anno celebrasse Quadragesimas refert, licet unaquæque earum duabus tantum hebdomadibus constitisset.

XXVIII. Quod vero spectat ad IV. & V. Seculi disciplinam ex Cassiano, Chrysostomo (48), aliisque colligere licet quasdam Ecclesias sex hebdomadibus quadragesimam celebrasse, nonnullas septimam quoque addidisse: neutrum tamen numerum quadraginta dierum summam explevisse, quum apud illas omnes dies Dominici jejunio exemti essent, apud istas etiam Sabbata; unde triginta sex dies, non amplius, jejunio destinati erant. Atque ita quidem Quadragesima observata est ad usque Gregorii Magni (49) tempus, qui de Quadragesimali jejunio scribit: *Sex dies Dominici subtrahuntur*; *non plus in abstinentia*, *quam triginta*, *& sex remanent*. Quo quidem sensu intelligendi sunt plerique quarti, quintive Seculi Patres, qui Quadragesimam jejunium quadraginta dierum palam nominant, ex quorum unanimi consensu merito colligunt nonnulli mysticum hunc dierum numerum ad Apostolicam Institutionem quodammodo referendum esse.

XXIX. At inquies, Socratem (50), Hi-

(46) *Tertull. Lib. de Jejun. contra Psychicos Cap. II.*

(47) *Hieron. Epist. LIV. ad Marcellam*: Nos unam quadragesimam.... jejunamus; illi (*Montanistæ*) tres in anno faciunt Quadragesimas.

(48) *Cassian. Collat. XXI. Cap. XXIV. Chrysostom. Homil. XI. in Genesim.*

(49) *Gregor. Homil. XV. in Euangel.*

(50) *Socrat. Lib. V. Cap. XXII.* Primum igitur jejunia illa, quæ ante Pascha fiunt, aliter apud alios observari reperias. Nam qui Romæ sunt, tres continuas Hebdomadas ante Pascha exceptis Sabbato, & Dominica die jejunant. Qui vero in Illyrico, & per universam Achajam, &c.

Historicum quum de variis Ecclesiarum moribus agit, perspicue tradere, Romanos tres continuas hebdomadas ante Pascha, præter Sabbatum, & Dominicam jejunasse; contra alios septima ante Pascha hebdomade jejunium exorsos, tres dumtaxat septimanas, quinque dierum singulas, per intervalla in jejunio transegisse. Quod ostendit Socratis ætate Ecclesiarum hac in re adeo variam fuisse consuetudinem, ut earum nonnullæ, atque adeo ipsa Romana nonnisi quindecim dierum jejunium servarint.

XXX. Atqui observandum est, Socratem Novatianorum si minus erroribus, saltem partibus addictum, veram Romanæ Ecclesiæ praxim dolo malo præteriisse, ut Novatianis faveret. Horum quippe hæresis fuit omnia festa, & jejunia libera, atque cujusque arbitrio commissa credere. Hinc ἀδιάφοροι *Indifferentes* dicti sunt. Verum quidquid sit de Socratis Novatianismo, illud tamen certum est, eum ex incertis quorumdam rumusculis turpiter hallucinatum fuisse. Duo enim ibi dicit Socrates, 1. Romæ tres tantum hebdomadas jejunatum fuisse. 2. Alicubi sex quidem septimanas jejuniis destinatas, sed intercalari, ut ita dicam, jejunio, primam scilicet jejunantibus, secundam non item. At ad primum quod attinet, egregie fallitur: quandoquidem ipse Leo M. ejusdem Romanæ Ecclesiæ Præsul, ipsique Socrati coævus sexcentis pene in locis testatur Romæ per XL. dies productum fuisse jejunium (51).

XXXI. Ad secundum vero quod spectat, id non alicujus Ecclesiæ publicæ, sed privatorum hominum proprium fuit, Italorum maxime, in quos vehementer invehitur Petrus Chrysologus (52). *Si ergo*, inquit, *quadraginta dierum simplex, purum, æquale, tantis testimoniis sub tanti numero Sacramenti traditum nobis a Domino jejunium perdocetur; unde ista varietas? unde ista novitas? unde Hebdomadæ nunc rigidæ, nunc resolutæ, nunc indulgentes nimium, nunc severæ? Unde intemperati jejunii usus iste, qui aut afficiat sine venia, aut remittat ad crapulam?.... Jejunium sit æquale &c.* Addas etiam Ambrosium, cujus est similis querela de nonnullorum ævi sui Christianorum intemperantia (53). Denique in hoc plane falsum Socratem fuisse discas ex Sozomeno, qui hanc consuetudinem per intercalares Hebdomadas jejunandi non publicatum Ecclesiarum fuisse docet, sed privatorum hominum (54). Atque id fortassis Socratis errori caussa fuit. Quod enim privatorum ho-

& qui Alexandriæ degunt, sex ante Pascha septimanas jejunant, idque jejunium Quadragesimam vocant. Alii rursus diversum ab illis morem sequuti, septima hebdomada ante Pascha jejunium ordiuntur, ac tres dumtaxat septimanas, quinque dierum singulas, per intervalla jejunantes, nihilominus hoc tempus ipsi quoque Quadragesimam appellant.

(51) *Leo M. Serm. VIII. de Quadrag.* Nunc in istis quadraginta dierum jejuniis, sollicitioribus vos pietatis operibus expolite. *Ad hæc plus vice simplici legere est in Leonianis homiliis phrases has*: Quadraginta dierum continentia: Quadraginta dierum jejunia: Quadraginta dierum exercitia. *&c. Sed videsis eruditissimam dissertationem Quesnellii* de Jejunio Sabbati in Eccles. Rom.

(52) *Chrysol. Serm. CLXVI.*

(53) *Ambros. Serm. XXXIV.* Audio complures fideles alternis in Quadragesima Hebdomadis abstinere, & consecratum illum dierum numerum gula intemperanti violare, hoc est prandere septem dierum curriculo, & septem dierum spatio jejunare. *Similem quoque consuetudinem Constantinopoli obtinuisse, conjicias ex Chrysostomo, qui memoriæ prodidit ab nonnullis ævi sui Christianis, aliis duas, aliis tres, aliis omnes Quadragesimæ Hebdomadas jejunatas fuisse. Vide ejus Homil. XVI. Tom. I.*

(54) *Sozom. Lib. VII. Cap. XIX.* Quadragesimam in qua Populus jejunare solet, alii quidem sex dierum septimanis computant ut Illyrii, & Occidentales, totaque Africa, & Ægyptus, ac Palæstina. Alii vero septem hebdomadas computant, ut Constantinopoli, & per cunctas in circuitu provincias usque ad Phœnicen. Nonnulli e sex, aut septem illis hebdomadis, tres per intervalla jejunant, alii tres simul hebdomadas Paschale festum proxime antecedentes continuant: quidam duas tantum, ut Montanistæ.

hominum fuit, id ille perperam publicis Ecclesiis appinxit. Sic ibidem Socrates scribit nonnullos tempore Quadragesimæ cum piscibus etiam avibus vesci solitos; tum alios ad horam usque nonam jejunasse, quovis posthac ciborum genere usuros indiscriminatim. Atqui nemo unquam dubitabit quarto, & quinto Seculo per Quadragesimam prorsus ab carnibus abstinuisse fideles, & jejunium ad vesperam usque protraxisse. Ergo recte statuas, quidquid de Quadragesimæ observandæ varietate scribit Socrates, id de privata nonnullorum Christianorum consuetudine intelligendum esse.

§. IX. *De Præcipuis quibusdam Quadragesimæ prærogativis.*

XXXII. 1. Omnes pœnæ corporales per Quadragesimam interdictæ per leges Imperiales. Theodosius M. (55) binas hanc in re leges tulit, quibus sanxit, ne sacro quadragesimali tempore quævis cognitio haberetur criminalium quæstionum. Sed subinde excepta est quæstio Isaurorum latronum, quorum prædationes, quod saluti publicæ maxime erant noxiæ, Theodosius Junior eorum examen per quæstiones quovis tempore, nullo ipsius, vel quadragesimæ, vel paschalis festivitatis die excepto, fieri imperavit (56).

XXXIII. 2. Religiosi conventus, ac sermones singulis quadragesimæ diebus jam inde ab primis Ecclesiæ Seculis habiti sunt: id quod num in singulis Ecclesiis parochialibus etiam per villas, & agros obtinuerit, non ausim adfirmare. At in majoribus Ecclesiis passim usu receptum fuisse docet cum primis Chrysostomus, cujus Homiliæ in Genesim, ubi illæ etiam *de Statuis*, quæ dictæ sunt Ἀνδριάντες per singulos quadragesimæ dies dispositæ sunt, in quarum una hæc habet: *Non hoc solum quæritur, ut hic quotidie conveniamus, & de iisdem continuo audiamus, & totam quadragesimam jejunemus .... licet quotidie hic conveniamus, & continuo doceamur, & tantum a jejunio adminiculum habeamus, qualis nobis erit venia, qualis defensio?*

XXXIV. 3. Frequentius fideles ad sacram Eucharistiam accedebant: licet enim in Quadragesima Martyrum solemnitates nullæ forent, attamen Sabbato, & Dominica integra sacra liturgia peragebatur, in qua fideles communicabant ex præscripto Synodi Laodicenæ, & Trullanæ (57), quæ etiam indicat in Aliturgicis quoque Quadragesimæ diebus fideles consuevisse consecratam pridem in Dominica Eucharistiam percipere: quod sacrum *Præsanctificatorum* ministerium vocabatur (58).

XXXV. 4. Ut fideles ad religiosos conventus hoc tempore frequentius ineundos pellicerentur, omnia spectacula, & ludi publici per leges Ecclesiæ interdicti erant. Docent id Patres passim, ac præcipue Nazianzenus (59) qui Celeusium Præsidem eo acriter reprehendit, quod jejunii diebus spectacula ederet. Ad hæc Chrysost. *Hom. IV. in Genes.* ex Quadragesimalibus una, Fideles sic adloquitur: *Quum cogito, quod omnem illam nostram doctrinam, & quotidianam admonitionem ad modicum diaboli flatum oblivioni tradideritis, & ad satanicum illum equestrem ludum omnes concurreritis, qua alacritate potero iterum de prædictis vos*

(55) *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XXXV. de Quæstionibus leg. IV.*
(56) *Cod. Theod. ibid. leg. VII.* Provinciarum judices moneantur, ut Isaurorum latronum quæstionibus nullum Quadragesimæ, nec venerabilem Pascharum diem existiment excipiendum &c.
(57) *Concil. Laod. Can. XLIX.*
(58) *Concil. Trull. Can. LII.* In omnibus Quadragesimæ sanctæ jejunii diebus, præter quam Sabbato, & Dominica, & sancto Annuntiationis die, fiat sacrum Præsanctificatorum ministerium.
(59) *Nazian. Epist. LXXI.* Inique agis, o Judex, qui non jejunas. Et quomodo leges humanas servabis, qui divinas contemnis, ac pro nihilo ducis? Purga tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, ut aut malus fias, aut existimeris. Fœda spectacula proponere, se ipsum traducere est. Ad summam, o Judex, te judicium subiturum esse scito, & minus peccabis.

vos docere, quum tam cito animo exciderunt? Theodoſius quoque Junior ea lege, qua omnia ſpectacula, & ludos per dies ſupplicationum fieri prohibuit, Quadrageſimale quoque tempus ex Gothofredi ſententia comprehendit (60).

XXXVI. 5. Sanctorum quoque ſolemnitates hoc tempore vetitæ erant, quippe quæ lætitiæ, atque jucunditatis plenæ minime luctuoſis quadrageſimæ temporibus convenire poterant. Hinc in Sabbatis tantum, ac Dominicis permiſſæ ex decreto Conc. Laodic. (61). Eadem Synodus (62) nuptias quoque in Quadrageſima, & Natalitia celebrari vetuit: ſunt autem *γενέθλια* *Natalitia* in hoc Canone dies privatorum hominum Natales, qui magnis, & ſolemnibus lætitiæ ſignis celebrari conſuevere.

§. X. *De Magna Hebdomade, quæ proxime Paſcha præcedebat.*

XXXVII. Quamobrem poſtremæ Quadrageſimæ Hebdomadi *Magnæ* nomen inditum ſit, docet Chryſoſtomus (63); nimirum *quod magnæ in ea res geſtæ ſint a Domino noſtro Jeſu Chriſto*. Rigidiſſimum hujus Hebdomadis jejunium jam inde ab Eccleſiæ exordiis ſervatum fuiſſe, ſupra ex Dionyſio Alex. & Epiphanio demonſtravimus. Ac 1. tempus erat requietis, libertatiſque ſervorum. Ita Auctor Conſtitutionum, ac leges Theodoſii (64). 2. Omnes actiones forenſes civiles item, ac criminales hac tota hebdomade ceſſare juſſæ, ex lege Theodoſii (65). At Joſephus Scaliger (66) legis Conſtantini etiam meminit, qua idem ſancitum fuerat. His autem ſanctionibus cauſſa fuit, ne quid vel contentionis ſuboleſceret inter Chriſtianos, vel crudelitatis hoc ſancto tempore conſpiceretur, quo omnibus adlaborandum erat, ut miſericordiam, & veniam per ſanguinem Chriſti conſequerentur. 3. Imperatores omnibus captivis, debitoribus, aliorumque criminum reis indulgentiam impertiebantur, uti docent plures Theodoſii leges (67): exceptis atrociorum criminum reis, de quibus eædem leges ſanxere.

XXXVIII. Porro ejuſdem Hebdomadis feria V., qua Chriſtus ſacram Euchariſtiam inſtituerat, nonnullæ Latinorum Eccleſiæ communionem adminiſtrabant veſpere poſt cœnam, ipſius Chriſti inſtar, qui poſt cœnam Apoſtolos communicaverat. Hinc Canon (68) Concilii Carthag. III. *Ut Sacramenta*, inquit, *altaris nonniſi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo Cœna Domini celebratur*. Quod Auguſtinus quoque tradidit (69). Catechumenorum ii, qui *Competentes* dicebantur,

(60) *Gothofr. ad Leg. V. Cod. Theod. Lib. XV. Tit. V.* Theodoſius Junior hac lege non Dominico tantum die, etſi hunc primum nominet, verum omnibus feſtis, ſupplicationumque Chriſtianarum diebus ſpectacula edi vetat: In quibus certe jejuniorum dies nonnulli fuere, quibus proinde ſpectacula prohibita hac lege.

(61) *Conc. Laodic. Can. LI.* Quod non oportet in Quadrageſima Martyrum Natales peragere, ſed ſanctorum Martyrum facere commemorationes in Sabbatis, & Dominicis.

(62) *Ibid. Can. LII.* Quod non oportet in Quadrageſima nuptias, vel Natalitia celebrare.

(63) *Chryſoſt. Homil. in Pſal. CXLV.*

(64) *Conſtit. Apoſt. Lib. VIII. Cap. XXXIII.* Magna hebdomade tota, & ea quæ illam ſequitur ſervi otientur. Quia illa paſſionis eſt, hæc reſurrectionis.
Adde Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XXXVIII. de Indulgentia Crimin. leg. III.

(65) *Cod. Theod. Lib. II. Tit. VIII. de Feriis leg. II.* Sanctos quoque Paſchæ dies, qui ſeptimo, vel præcedunt numero, vel ſequuntur, illa eadem obſervatione numeramus.

(66) *Scaliger de Emendat. temporum Lib. IV.*

(67) *Cod. Theod. Lib. IX. Tit. XXXVIII. de Indulgentia Crimin. leg. III.*

(68) *Conc. Carthag. III. Can. XXIII.*

(69) *Auguſt. Epiſt. CXVIII. ad Januar. Cap. VII.* Nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipſam cœnam Dominus dedit, tanquam ad inſigniorem commemorationem poſt cibos offerri, & accipi liceat Corpus, & Sanguinem Domini. Honeſtius autem arbitror ea hora fieri, ut qui etiam jejunaverit, poſt refectionem, quæ hora

sive Baptismatis Candidati eadem V. die publice in Ecclesia simbolum coram Episcopo, vel presbyteris recitabant, uti colligitur ex Concilio Laodiceno, & Theodoro Lectore (70). Præterea eadem hæc dies *Sanctæ* & *Magnæ* nomen sortita est; immo rituum Ecclesiasticorum expositores eam vocant *diem Mandati*, quod illa Servator noster discipulorum pedes lavit, eisque mandavit, ut exemplum suum imitarentur, aut etiam quod illa Eucharistiam instituit, simulque imperavit, ut id perpetuo in Ecclesia ad suimetipsius recolendam memoriam fieret.

XXXIX. Porro ejusdem etiam Magnæ Hebdomadis feria VI. quæ *Parasceve* dicebatur, aut *Pascha Crucis*, Pœnitentes, qui unius, duorum, vel plurium annorum pœnitentiam jam compleverant, veniam ab Episcopo publice consequebantur, teste Ambrosio (71) qui scribit diem, quo *Pœnitentia in Ecclesia relaxatur*, *diem esse eum*, *quo sese pro nobis tradidit Dominus*. Adhæc generica quædam venia, atque indulgentia hac Passionis die universo populo publice indicebatur. Est in hanc rem Canon (72) Concilii Toletani IV. *Oportet*, inquit, *eodem die mysterium Crucis*, *quod ipse Dominus cunctis nuntiandum voluit*, *prædicari*, *atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare* (alia habent præstolari) *ut pœnitentiæ compunctione mundati venerabilem diem Dominicæ resurrectionis remissis iniquitatibus suscipere mereamur*. Præterea alio ejusdem Synodi Canone (73) culpantur graviter ii, qui Parasceves jejunium ad horam nonam remittunt, jubenturque omnes, præter parvulos, senes, & languidos, totum diem mœrentes, atque abstinentes traducere, nec jejunium solvere ante adprecatas indulgentiæ preces. Ergo generalis indulgentia velut clausula erat totius officii publici hujus diei, quam quisquis non expectarat, ab Sacramento Corporis, & Sanguinis Christi in die Paschatis prohibebatur: quia, ut Canon loquitur, *diem Passionis Dominicæ per abstinentiam non honorarat*. Profecto hæc dies earum una fuit, quas, ut in Euangelio jejunio destinatas, omnes generatim Christiani ut diligentissime observarent, necessarium credebant.

XL. Demum Sabbatum Pascha antevertens, quod *Sabbatum Magnum* ab veteribus appellatum scimus, unicum erat per universum orbem Christianum, quod Ecclesiæ Græcæ, ceteræque etiam Occidentales jejunio addicebant. Quinimmo fideles plerumque hujus Sabbati jejunium cum jejunio Parasceves conjungebant: atque hoc continuatum utrinsque diei jejunium ab Græcis Ὑπέρθεσις, a Latinis *Superpositio* dicebatur; quo nomine generatim exactum duorum, pluriumve dierum jejunium apud veteres nuncupatum fuit. Atque hujus quidem praxis meminerunt Constitut. Apost. (74). *In Parasceve*, inquiunt, *& Sabbato ex parte omni jejunate*, *quibus sat virium suppetit*,

nona fit, ad oblationem possit occurrere. Quapropter neminem cogimus Dominica illa cœna prandere, sed nulli etiam contradicere audemus. Hoc tamen non arbitror institutum, nisi quia plures, & prope omnes in plerisque locis eo die lavare consueverunt. Et quia nonnulli etiam jejunium custodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia simul, & lavacra tolerare non possunt, ad vesperam vero propter jejunantes.

(70) *Concil. Laodic. Can. XLVI.* Quod oporret eos, qui illuminantur, fidem discere, & quinta Hebdomadis feria Episcopo, vel Presbyteris renunciare.

Theodor. Lect. Lib. IV.

(71) *Ambros. Epist. XXXIII. ad Soror.*

(72) *Concil. Toletan. IV. Can. VII.*

(73) *Ibid. Can. VIII.* Quidam in die ejusdem Dominicæ Passionis ad horam nonam jejunium solvunt, conviviis abutuntur, & dum sol ipse eodem die tenebris palliatus lumen subduxerit, ipsaque elementa turbata mœstitiam totius mundi ostenderint, illi jejunium tanti diei polluunt, epulisque inserviunt. Et quia totum eumdem diem universalis Ecclesia in mœrore, & abstinentia peragit, qui quoque in eo jejunium præter parvulos, senes, & languidos ante peractas indulgentiæ preces resolverit, a Paschali gaudio repellatur, nec in eo Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini percipiat qui diem passionis ipsius per abstinentiam non honorat.

(74) *Constit. Apost. Lib. V. Can. XVIII.*

petit, nihil penitus gustantes usque ad nocturnum galli cantum. Igitur hujus Sabbati jejunium non ad vesperam tantum, sed ad gallicinium usque protelatum fuit, quo tempore Servatoris nostri Resurrectio contigisse credita est.

XLI. Ea vero nox Sabbatum Magnum excipiens tota quanta erat, insomnis acta fuit, sanctis Christianorum vigiliis dicata, qui ad Ecclesiam convenientes vehementiori studio rei divinæ vacabant. In ea etiam nocte baptisma conferebatur, si qui Catechumeni ei recipiendo parati erant. Ejus vero noctis vigiliarum velut reliquis omnibus celebriorum sæpius meminere veteres Patres Tertullianus, Nyssenus, Hieronymus, Epiphanius, Palladius (75), aliique, ac præsertim Hieronymus (76) ejus originem perscrutatus. *Traditio Judæorum est*, inquit, *Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptii temporis, quando Pascha celebratum est, & exterminator venit, & Dominus super tabernacula transiit, & sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt. Unde reor & traditionem Apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, exspectantes adventum Christi. Et postquam illud tempus transierit, securitate præsumta, festum cunctos agere diem*. Tempore Constantini hanc vigiliam magna cum pompa actam esse, auctor est Eusebius (77). *Sacram vigiliam*, inquit, *in diurnum splendorem verterat Constantinus accensis tota urbe cereorum quibusdam columnis .... lampades quoque accensæ cuncta passim loca illustrabant*. Gregorius etiam Naz. (78) de consuetudine loquitur accendendi faces, & lampades in Ecclesia non secus, ac in privatis domibus, cujus plures adfert significationes, eamque præ ceteris, quod *magni illius Luminis exsurgentis Christi prænuntia esset, ac veluti professa quædam animarum voluptas*.

§. XI. *Quinam Christianorum olim crediti Quadragesimalis jejunii necessitate obstricti*.

XLII. Rigidissima fuit, ut sæpe diximus, apud antiquos jejunii disciplina, neque tantæ tum exceptiones, titulique prætenti, ut ab eo sese eximerent. Credebant quippe omnibus Christianis esse jejunandum, quod omnes aut peccarant, aut certe per jejunii asperitatem sanctiores fieri poterant, ut id egregie explicat Leo Magnus (79): neque aliam solvendo jejunio caussam probabilem esse volebant, præter unam corporis infirmitatem. Canon Apostolicus (80) omnes quidem non jejunantes anathemate ferit, sed unos tamen excipit infirmos: *præterquam si corporis infirmitate impediantur*. Ipsis vero infirmis hac demum lege jejunium remissum est, ut non continuo ob id crederent permissum sibi quavis hora, quovisve ciborum genere ventrem saginare, sed 1. si convalescerent, statim illud resumerent: 2. ut si non omnino, aliqua saltem ex parte Christianam temperantiam præ se ferrent. Gregorius Magnus, quum deberet ob stomachi gra-

(75) *Tertul. ad Uxor. Lib. II. Cap. IV.* Quis (*infidelis Maritus*,) solemnibus Paschæ abnoctantem (*Uxorem*) securus sustinebit?

Epiphan. Exposit. fid. §. XXII. Quibusdam in locis in ea solum nocte, quæ quintam feriam sequitur, & in feriam sextam desinit, atque in ea, quæ Dominicam antecedit, pervigilant.

Addes Hieron. in Matth. XXV. Pallad. Vit. Chrysost. Cap. IX. Nyssen. in quinque homiliis de hoc argumento, aliosque.

(76) *Hieron. in Matth. XXV. v. 6.*

(77) *Euseb. Vit. Constantin. Lib. IV. Cap. XXII.*

(78) *Gregor. Naz. Orat. LII. de Pascha.*

(79) *Leo Magnus Serm. II. de Quadrag.* Appropinquante festivitate Paschali, adest maximum sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis fidelibus *sine exceptione* denunciat: quia nemo tam sanctus est, ut non sanctior, nemo tam devotus, ut non debeat esse devotior. Quis enim in hujus vitæ constitutus incerto aut immunis a tentatione, aut liber inveniatur a culpa? Tentat sanitas, tentat infirmitas &c.

(80) *Canon. Apost. Can. LII.*

vem infirmitatem ſingulis ferme horis cibum capere, ægre ferebat, ne ipſam quidem majorem Hebdomadam poſſe ſe jejunare: mox vero quum Sabbato magno precibus ſanctiſſimi Viri aliquantulum convaluiſſet, jejunium ad veſperam produxit, ut ipſe de ſe ſcribit *Dialog. Lib. III. Cap. XXXIII.*

XLIII. Ceterum ſi quidem per valetudinem eis liceret, omnes ad unum Chriſtiani jejunabant. Hinc Baſilius (81) teſtatur, univerſos Chriſtianos generatim jejunaſſe ſive milites, ſive juvenes, ſive ſenes, ſive feminas, ſive navigantes, ſive viatores. Ex Ambroſio etiam eruitur (82) ſenes jejunii tenaciſſimos fuiſſe, quum ille juvenes ſenum exemplo excitet, horteturque ad jejunium: *Pudet dicere*, inquit; *ſenes, & aniculæ quadrageſimam faciunt: juvenes, & juvenculæ non faciunt*. Ipſi Imperatores minime ab ea ſe lege eximebant. Ac mira ſane ſunt, quæ de Valentiniano Juniore narrat Ambroſius (83), de Juſtiniano Procopius (84), quorum hic ſemel per dies binos prandebat olera tantum, ac braſſicas ſale, acetoque maceratas, modico aquæ potu. Ad hæc Chryſoſtomus (85) tantam fuiſſe ait veterum religionem obſervandis Quadrageſimalibus jejuniis, ut ea præterire vel negligentiſſimus Chriſtianorum piaculum crederet: *Nos quidem*, inquit, *etſi clamate, ac jejunium prædicare non ceſſemus, nemo verbis noſtris animum attendit. Quod ſi tantum Quadrageſimæ tempus advenerit, etiam is, qui negligentiſſimus fuerit, excitatur, & oblatum ab ipſo tempore conſilium, & cohortationem admittit*.

XLIV. Sed enim negandum non eſt, præter corporis infirmitatem duplex etiam hominum genus ab Quadrageſimali jejunio immune fuiſſe; parvulos ſcilicet, atque operarios. Concilium Gangrenſe *Can. XIX.* omnes jejuniorum violatores excommunicat, ſi quidem rationis compotes ſint: quod indicio eſt nnos parvulos ratione carentes ab jejunio eximi: *Si quis eorum, qui exercentur abſque corporali neceſſitate, ſe inſolenter gerat, & tradita jejunia, quæ communiter ſervantur ab Eccleſia, diſſolvat, perfecta in eo reſidente ratione, anathema ſit*. Ad operarios vero quod ſpectat, eos minime jejunaſſe ex eo apparet, quod Concilium Aurelianenſe (86) jubet per tres Rogationum dies ſervos, ancillaſque feriari: ſcilicet, ut per eos dies jejunando ſatis forent. Quod oſtendit, Aurelianenſes credidiſſe jejunium minime conjungi poſſe cum gravibus manuum, operoſiſque laboribus. Ad rem etiam facit, quod ſcribit Surius (87) de Auxentio Abbate V. Eccleſiæ Seculo: *Quamobrem*, inquit, *ſi quan-*

(81) *Baſil. Homil. II. de Jejun.* Nec ulla eſt inſula, nec ulla terra continens, non civitas, non gens ulla, non extremus mundi angulus, ubi non ſit auditum jejunii edictum. Quin & exercitus, & viatores, & nautæ, & negotiatores omnes pariter audiunt edictum, & ſummo gaudio excipiunt. Nemo ergo ſe excludat a numero jejunantium.... Dives es? ne jejunium afficeris contumelia, ne ex condemnatione ad longe majorem inediam adigaris. Qui pauper eſt, ne ſimulatione utatur erga jejunium, quum illud jam olim habeat & domus; & vitæ ſocium. Pueri velut plantæ lætiores, aqua jejunii irrigantur. Senibus levem reddit laborem contracta jam olim cum jejunio familiaritas. Porro mulieribus quum reſpirare, tum & jejunare proprium eſt.

(82) *Ambroſ. Serm. XXXIV.*

(83) *Idem Orat. funebri de Valentini Junior.* Cœpit ita frequentare jejunium, ut plerumque ipſe impranſus convivium ſolemne ſuis comitibus exhiberet.

(84) *Procop. de Ædif. Juſtinian. Lib. I.* Omnibus illis diebus, qui Paſchalem ſolemnitatem præcedunt, jejunio addictos, duriſſimam vitam egit .... per duos dies cibis abſtinebat. Cibi appetens vinum, panem, & id genus alia cibaria abeſſe voluit: braſſicas ſolum, & agreſtes herbas longo tempore ſale, & aceto maceratas edebat. Neque his ad ſaturitatem utebatur &c.

(85) *Chryſoſtom. Hom. LII. Tom. V.*

(86) *Concil. Aurel. II. Can. VII.* Per quod triduum (*Rogationum*) ſervi, & ancillæ ab omni opere relaxentur.

(87) *Surius Februar. die XIV. n. XXXIIIV.*

si quando contigisset ipsum habere operarios, aut etiam ejus successorem, hos duos dies feriari jubebat (scilicet feriam VI. & Dominicam) *die quidem Parasceves cum impensis mercedem quoque praebentes: Dominico autem solum impensas*. Paulo ante dixerat Auxentium ob id operarios feriari voluisse per Parasceves diem, ut illum *in jejunio, & precatione propter passionem Salvatoris* transigerent.

§. XII. *Quinam Quadragesimae dies ab jejunio immunes olim fuerint; tum quo primum tempore primi quatuor dies Quadragesimae accesserint.*

XLV. Quadragesimalis jejunii varietas tum in hebdomadarum numero constitit, quum alii sex, alii septem septimanis jejunarent, quod supra monuimus, tum in ipsis diebus, quibus ab unis quandoque jejunium servabatur, ab aliis non item. Graeci omnes per singulas hebdomadas ab jejunio exemerunt Sabbatum, & Dominicam, uno excepto Sabbato majoris hebdomadae; quod egregie explicat Chrysost. (88). Hinc Synodus Laodicena (89) cujus saepe meminimus, hisce tantum diebus per Quadragesimam sacrificium offerri vult, quod in his minime jejunandum foret. Hic idem mos fuit Afrorum, Italorum, Gallorumque, quod passim indicant earum Ecclesiarum Patres. Aevo tamen Concilii Trullani i.e. Seculo VII. quum festum Annuntiationis institutum fuit, hic quoque dies jejunio immunis fuit, quod sanxit singularis ejus Synodi Canon, confirmaturque etiam a Balsamone (90). Contra Romani, Hispani, nonullaeque etiam Occidentis Ecclesiae, teste Augustino (91) per omnia Sabbata jejunabant.

XLVI. Henricus tamen Valesius in rebus Ecclesiasticis facile princeps contra opinatur, aevo Leonis Magni, ac Socratis Sabbatum Romanos non secus, ac Graecos victos, impransosque traduxisse. Socrates quippe id perspicue testatur *Lib. V. Cap. XXII. Nam Romae*, inquit, *qui sunt, tres continuas Hebdomadas ante Pascha, exceptis Sabbato, & Dominica jejunant*. Immo ipsum Leonem Magnum, cui profecto Romani mores erant comperti, Sabbatum disertis verbis ab jejunio exemisse contendit ex his ejusdem verbis *Serm. IV. de Quadragesima. Igitur secunda, & quarta, & sexta feria jejunemus, Sabbato autem Vigilias apud S. Petrum celebremus*. Ubi perspicue Sabbatum Vigiliis, i. e. Laetitiae dedicatum esse videtur, ferias vero II. IV. & VI. jejuniis.

XLVII. Atqui ad primum quod spectat, malumus Socrati Socratem ipsum op-

(88) *Chrysost. Hom. XI. in Genes.* Quemadmodum in viis publicis sunt stationes, & diverticula, in quibus fessi viatores, & respirent, & quiescant, ut alacrius postea iter suum conficiant: utque in mari litora sunt, & portus, ut in eos e jactatione se recipiant navigaotes, expectentque donec ventorum impetus conquiescat, & sic iterum mari se committant; ita etiam nunc iis, qui in hac Quadragesima jejunii cursum suscepere, quasi stationes, & diverticula, & litora, & portus per duos hebdomadis dies (*Sabbatum, & Dominicam*,) Dominus quietem largitus est, ut & corpori aliquantulum jejunii labores remittantur, & exactis duobus illis diebus in pulcre coepto itinere alacrius pergant.

(89) *Concil. Laodic. Can. XLIX.*

(90) *Concil. Trull. Can. LII.* In omnibus sanctae Quadragesimae diebus, praeterquam Sabbato, & Dominica, & sancto Annunciationis die, fiat sacrum Praesanctificatorum ministerium.

Balsamon in hunc Can. Sacrificium offerre, est festum celebrare. Festus autem dies nihil est aliud, quam gaudium: quomodo autem potest quis simul & moerere & laetitia diffundi? Ideo ergo statuerunt Patres non fieri sacrificium tota Quadragesima, praeterquam Sabbato & die Dominico, & die Annunciationis. In his enim festum agere, non flere, *non jejunare*, vel genuflectere jussi sumus.

(91) *Augustin. Epist. LXXXVI. ad Casulan.* Hinc exorta est ista in regia illa veste varietas, ut alii, sicut maxime populi Orientis, propter requiem significandam, mallent relaxare jejunium, alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, sicut Romana, & nonnullae Occidentis Ecclesiae.

opponere, quam aliorum testimoniis ei refellendo abuti. Ille quippe eodem capite, ubi dixerat Sabbatum ab Romanis jejunatum non fuisse, mox sui oblitus subdit: *Ἐν Ῥώμῃ πᾶν σάββατον νηστεύουσιν* *Qui Romæ sunt per omne Sabbatum jejunant*. Quod mirum sane est ab Valesio observatum non fuisse. Leonis vero Magni locus apocryphus est, alienaque manu adjectus, quod jam pridem gravissimis argumentis probavit Cl. Quesnellius *Dissert. de Jejunio Sabbati Roman.* Quinque enim MSS. Codices ea periodo carent. Ac profecto merito cuique suspecta ea additio videtur, quum ex X. Sermonibus de Quadragesimali jejunio ab Leone editis, hic unus quartus ea clausula concludatur, præterea nemo. His addas Gelasium P. qui XLV. post Leonem annis i. e. anno DLXXXIII. Pontificatum iniit, meminisse ordinationum conferendarum Sabbato primæ Quadragesimalis hebdomadis, & Sabbato mediano ejusdem, id est, ut videtur, Sabbato ante Dominicam Passionis: qui tamen ibidem verbis disertis testatur duo illa Sabbata jejunio destinata fuisse (92). Ex quibus jam illud statuas licet, Romanos Sabbati jejunium servasse, unamque Dominicam apud eos per Quadragesimam jejunio immunem fuisse.

XLVIII. Illud demum superest, ut inquiramus, quo primum tempore, quibusque auctoribus quatuor illi dies ab *Cinerum* die ad primam usque Dominicam accesserint. In qua quidem re discrepasse video scriptores. Alii enim Gregorii Magni, alii Gregorii II. anno DCCXV. hanc institutionem fuisse opinantur. At falluntur, ut ego quidem puto. Primus enim, qui ejus additionis meminerit, est Ratramnus Monachus Corbejensis (93) qui floruit anno circiter DCCCXL. quique in libris contra Græcos scriptis quatuor horum dierum perspicue meminit. Extat etiam eorum dierum mentio in binis Conciliis Moguntino (94), & Suessionensi (95), quorum illud habitum est anno DCCCXLV. hoc anno DCCCLIII. imperante Carolo II. cognomento Calvo. Ergo horum dierum accessio non ante IX. Ecclesiæ Seculum figenda est.

XLIX. Neque minus falluntur, qui hanc institutionem ab Romanis Pontificibus arcessendam esse volunt. Primum enim ortum habuisse videtur in Galliis, quandoquidem Gallicani scriptores primi omnium, & Gallica Concilia ejus meminere. Et sane credibile est Gallicas primo Ecclesias, ut ad amussim quadraginta dierum jejunia æquarent, ad Christi, Eliæ, & Moysis exemplum, hos quatuor dies addidisse: mox sensim eumdem morem ab aliis quoque receptum fuisse, non tamen ab omnibus continuo, quum vel sua ætate Ratramnus Monachus (96) Romanos adhuc triginta sex dies jejunasse fateatur. Immo Nicolaus I. anno circiter DCCCLX. *Ep. ad Bulgaros*

(92) *Gelas. P. Epist. IX. ad Episc. Lucaniæ*: Ordinationes etiam Presbyterum, & Diaconorum, nisi certis temporibus, & diebus exercere non debent, id est, quarti mensis jejunio, septimi, & decimi. Sed & etiam Quadragesimalis initii, ac mediana Quadragesimæ die, Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.

(93) *Ratramn. contra Græcorum opposita Lib. IV. Cap. IV.* Subtractis sex Dominicis supersunt triginta sex dies, quibus jejunium celebratur. Ut vero Quadragenarius perficiatur, quatuor diebus Hebdomada septima jejunatur. Hinc fit, ut Hebdomadis septimæ non sex, sed quatuor tantummodo dies jejunentur, qui triginta sex diebus superadditi quadragenarium perficiunt.

(94) *Concil. Mogunt. Can. LXVI.* Post quartam feriam; quæ caput jejunii (*Quadragesimalis*) nominatur.

(95) *Concil. Suession. Can. VIII. Quo in Canone Carolus II. Calvus, rogatu Episcoporum, concedit, ut tribunalia taceant* a quarta feria ante initium Quadragesimæ.

(96) *Ratramn. ibid.* Jejunant denique Romani sex ante Pascha septimanis continuatim, præter Dominicam, qua jejunium solvunt. Unde si jejunantes triginta sex dies, quatuor minus a quadraginta complere noscuntur, caussa, cur id faciunt, honestatis est... Jubemur laborum decimas nostrorum offerre Domino.

garos Cap. IX. itidem triginta sex dierum Quadragesimam iis præscripsit (97). Id quod adhucdum retinet Mediolanensium Ecclesia jejunia inchoantium ab prima Quadragesimæ Dominica.

(97) *Nicolaus I. Epist. ad Consult. Bulgaror.* Deo etiam carnis nostræ decimas damus. *Sunt autem totius anni decimæ dies sex & triginta, ut supra dictum est.*

CAPUT VIII.

DE JEJUNIIS QUATUOR TEMPORUM, MENSTRUIS, ET ROGATIONUM: TUM DE JEJUNIIS FERIA IV. ET VI.

§. I. *De Jejuniis quatuor temporum.*

I. Jejunia quatuor temporum, nimirum verni, æstivi, autumnalis, & hyemalis antiquitus instituta fuere, non ut fideles per ea dignos ab Deo efflagitarent ministros, qui se ordinationibus sisterent, sed sive ut divina pro diversis anni temporibus pietas imploraretur, sive ut gratiæ pro acceptis beneficiis agerentur, sive demum ut iis jejuniis, quasi quibusdam medicamentis per temporum intervalla Christianorum animi reficerentur, purgarenturque. S. Leo M. primus est, qui jejunia quatuor temporum diserte meminerit (1). *Jejunia Ecclesiastica*, inquit, *ita per totius anni circulum distributa sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit distributa temporibus. Siquidem jejunium vernum in Quadragesima, æstivum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, Hyemale autem in hoc, qui est decimus celebramus.* Philastrius (2) quaterna pro quatuor anni temporibus jejunia memorat: at vice jejunii Septembris posuit jejunium Epiphaniæ. *Per annum*, inquit, *quatuor jejunia in Ecclesia celebrantur. In Natali primum, deinde in Pascha, tertium in Epiphania, quartum in Pentecoste.* Igitur quatuor temporum jejunia non eadem prorsus fuere ævo Philastrii, quam quæ tempore Leonis. Adhæc sequntis subinde temporibus varia fuit per quatuor tempora jejunandi disciplina, sic ut Synodus Salegunstadiensis *an.* MXXII. jejunium quatuor temporum *incertum* vocet (3).

II. Jejunium Pentecostes, ab S. Leone jejunium æstivum appellatum, Athanasius etiam meminit; namque in Apologia sua ad Constantium scribit, hebdomade post S. Pentecosten, populum jejunio perfunctum orandi caussa ad cœmeterium divertisse (4). Concilia Gerundense in Hispania, ac Turonense II. in Gallia (5) hoc jejunium in hebdomadem post Pentecostem conjiciunt: at Synodi Moguntina, & Rotomagensis per secundam Junii hebdomadem celebrandum statuunt. Neque vero deerant, qui in Hebdomade proxime Pentecosten præcedente illud servarent; uti constat ex Synodo Oxoniensi (6).

(1) *Leo M. Serm. VIII. de Jejunio decimi mensis.*
(2) *Philast. Biblioth. Patr. Tom. IV.*
(3) *Concil. Salegunstad. an. MXX. Can. II.* De incerto jejunio quatuor temporum, hanc certitudinem statuimus &c.
(4) *Athanas. Apolog. de fuga:* In Hebdomade post sanctam Pentecosten, Populus cum jejunasset, degressus est ad cœmeterium, orandi caussa.
(5) *Concil. Gerund. Can. II.* Expleta solemnitate Pentecostes, in sequenti septimana, a quinta feria usque in Sabbatum, per hoc triduum abstinentia celebretur.
Concil. Turon. II. Can. XVII. Post Quinquagesimam tota Hebdomade ex asse jejunent *Monachi.*

(6). Immo, Philastrio auctore (7), nonnulli *ab Adscensione inde usque ad Pentecosten diebus decem* jejunabant. Concilium Salegunstadiense (8) regulas tradidit, quibus varietates ipsæ horum jejuniorum componi, regique poterant.

III. Jejunium Autumnale, sive *mensis Septimi* nulli ante Leonem memoratum reperias. Hinc post eum Gelasius (9) illius meminit, velut quod cum reliquis tribus Sacris destinatum erat ordinationibus, quas semper sancta comitabantur jejunia. Synodus Salegunstadiensis præcipit, ut si Kalendæ Septembres in IV. feriam inciderent, vel ante, jejunium tertiæ hebdomadi addiceretur: Quod si in quintam, aut sextam, aut Sabbatum, quarta hebdomade jejunandum foret (10).

IV. Jejunium Decembris, sive *mensis Decimi*, dictum quoque *jejunium Adventus*, sive *Natalis Domini*, antiquitus ab festo S. Martini usque ad Natalem Christi ter per singulas hebdomades feria scilicet II. IV. & VI. agitabatur, uti ex Concilio Matisconensi constat (11). Ac Concilium Turonense (12) Monachis singulis diebus per idem hoc tempus ut jejunarent, præscripsit. Verum Concilia Salegunstadiense, & Oxoniense, ut vidimus, hoc jejunium intra proximam ante Natalem Christi hebdomadem concludunt.

V. Jejunium in Pascha ab Philastrio memoratum fortasse idem est ac jejunium Quadragesimale. Ceterum Leo M. de eo loquitur, velut de jejunio ab Quadragesimali distincto; *jejunium*, inquit, *vernum in Quadragesima*, *æstivum in Pentecoste &c.* Concilium Atvernense sanxit, ut *jejunium veris in prima hebdomada Quadragesimæ fiat*. Contra ea Concilia Salegunstadiense, & Oxoniense (13) eidem jejunio primam Martii hebdomadem addixere. Ergo constat jam omnibus quatuor per annum jejuniis dicata fuisse tempora: quamvis, quod ad hebdomades, & dies attinet, quibus ejusmodi jejunium obtineret, varia semper fue-

(6) *Conc. Oxon. Can. VIII.* In Martio prima Hebdomada jejunandum est feria IV. & VI. & Sabbato. In jejunio in secunda, quod dupliciter observatur a pluribus, in prima hebdomada post litanias, aut in hebdomada Pentecostes. In Septembri per tres dies. In proxima septimana integra ante Natalem Domini.

(7) *Vide not.* (2).

(8) *Concil. Salegunstad. an. MXX. Can. II.* De incerto jejunio quatuor temporum hanc certitudinem statuimus, ut si Kalendæ Martii in quarta feria, sive antea evenerint, eadem hebdomada jejunium celebretur. Si autem Kalendæ Martii in quintam feriam, aut sextam, aut Sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadam jejunium differatur. Simili quoque modo si Kalendæ Junii in quartam feriam aut antea evenerint, in subsequente hebdomada jejunium celebretur, & si in quintam feriam, aut sextam, aut Sabbatum contigerit, jejunium in tertiam hebdomadam reservetur. Et hoc sciendum est, quod si quando jejunium mensis Junii in vigilia Pentecostes secundum prædictam regulam evenit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solemni Pentecostes; & tunc propter solemnitatem Spiritus Sancti, diaconus dalmaticis induatur, & alleluja cantetur, & *flectamus genua* non dicatur. Eodem modo de Septembris jejunio constitutum est, & si Kalendæ Septembris in quarta feria evenerint aut antea, jejunium in tertia hebdomada celebretur; & si in quinta, aut sexta, aut Sabbato contigerint, aut antea, in quarta hebdomada jejunandum erit. In Decembri illud observandum erit, aut proximo Sabbato ante vigiliam Natalis Domini celebretur jejunium. Quia si vigilia in Sabbato evenerit, simul vigiliam, & jejunium celebrare non convenit.

(9) *Gelas. Epist. IX. ad Episc. Lucaniæ Cap. XI.* Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum nisi certis temporibus, & diebus exercere non debent i. e. Quarti mensis jejunio, septimi, & decimi, sed & etiam Quadragesimalis initii, ac mediana Quadragesimæ die, Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.

(19) *Vide Not. supra* (8).

(11) *Conc. Matisc. I. Can. IX.* Ut a feria S. Martini usque ad Natale Domini, secunda, quarta, & sexta Sabbati jejunetur, & Sacrificia Quadragesimali debeant ordine celebrari.

(12) *Conc. Turon. II. Can. XVIII.* De Decembri usque ad Natalem Domini omni die jejunent (*Monachi*).

(13) *Vide supra Not.* (6) & (8).

fuerit pro diversis Ecclesiis consuetudo (14).

VI. Quod vero spectat ad jejunium Epiphaniæ, quod vice jejunii Septembris posuit Philastrius, observatione dignus est Canon Concilii Turonensis II. (15) quo sancitur, ut dies quidem inter Natalem Domini, & Epiphaniam in lætitia agantur, & fideles prandeant; at excepto *triduo illo, quo ad calcandam gentilium consuetudinem Patres statuerunt privatas in Kalendis Januarii fieri litanias*. Namque, ut alibi vidimus, Kalendas Januarii, sive diem Circumcisionis Ecclesia per aliquot secula jejuniis potius, quam lætitiæ addixit, ut Christianus populus præpediretur, quo minus lascivientibus comessationibus gentilium more se dederet. Atque id profecto est jejunium Epiphaniæ, cujus mentio occurrit apud Philastrium.

VII. Illud postremo etiam juvabit animadvertere, quod initio communimus, recentioris esse institutionis, ut Ecclesiasticæ ordinationes quatuor temporum jejuniis attemperarentur: quod quibus tandem Auctoribus factum fuerit, diligenter inquirendum est. Nonnulli ab Gregorio VII. id institutum volunt. Binghamus *Lib. XXI. Cap. II. §. VII.* incertos dudum apud Romanos ordinationum dies fuisse contendit. At falluntur, meo quidem judicio. Ita enim se res habuit. A Petro usque ad Simplicium, qui Pontificatum iniit anno CCCCLXVI. Ordinationes contulere semper Romani Pontifices mense Decembri, quod passim Auctor Pontificalis testatur. Tum Simplicius primus Decembri Februarium etiam addidit, quod docet Fortunatus Amalarius *de Eccl. Officiis Lib. II. Cap. I. Primi*, inquit, *Apostoli semper in Decembrio mense, in quo Nativitas Domini nostri Jesu Christi celebratur, consecrationes ministrabant, usque ad Simplicium, qui fuit ab Petro Quadragesimus nonus. Ipse primus sacravit in Februario*. Post Simplicium vero sensim obtinuisse puto, ut ordinationum dies in quatuor temporum jejunia inciderent: quandoquidem Gelasius *Epist. IX. ad Episcopos Lucaniæ* ordinationum meminit mensibus IV. VII. & X. atque in Quadragesima conferendarum. Vide supra *Not.* (9). Ex quo illud statuas quatuor temporum jejunia etsi primo ordinationibus caruerint, mox V. Seculo cum iis ordinationes quoque conjunctas fuisse: indeque etiam *Jejunia ordinationum* dicta fuisse.

§. II. *De Jejuniis menstruis, & Rogationum*.

VIII. Nonnullis in locis singulis etiam mensibus jejunia celebrabantur Julio, Sextilique exceptis. Profecto per Hispanias id obtinuisse constat ex Concilio Illiberitano (16) quo sancitur, *jejuniorum superpositiones per singulos menses placuit celebrari exceptis diebus duorum mensium Julii, & Augusti*. *Superpositiones* jejuniorum fortasse dicta sunt, aut quod rigidiora essent, quam illa feriæ IV. & VI., vel quod novæ essent institutionis, atque Episcopi ad arbitrium indicenda, uti in hunc Canonem recte observat Albaspinæus (17). Sane vero eadem Illiberitana Synodus (18) ubi primum per Hispanias Romanum Sabbati jejunium introduxit, illud etiam *superpositionem* vocat, quia in Hispanias exemplo Ecclesiæ Romanæ tunc primum receptum fuerat.

IX. De Rogationum Jejuniis, atque Li- ta-

(14) *Cujus rei vel illud argumento est, quod in Sacramentario Gelasiano post Dominicam orationem denunciationes variæ præscribuntur*. In jejunium quatuor temporum denunciatio. *Quod arguit incerta ea fuisse, nullique certæ aut diei, aut Hebdomadi destinata*. III. mensis jejunia, *inquit*, in hac nobis sunt hebdomade tenenda: ideoque hortamur Sanctam Fidem vestram, ut IV. VI. vel VII. feria jejunemus, quatenus divinis inhærendo mandatis propitiationem Dei nostri perseverantia devotæ servitutis obtineat.

(15) *Concil. Turon. II. Can. XVIII.*

(16) *Concil. Illiberit. Can. XXIII.* Jejuniorum superpositiones per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Julii, & Augusti, ob eorumdem infirmitatem.

(17) *Albaspin. in cit. Can.*

(18) *Concil. Illiberit. Can. XXVI.* Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die jejuniorum superpositiones celebremus.

(6). Immo, Philaſtrio auctore (7), nonnulli *ab Adſcenſione inde uſque ad Pentecoſten diebus decem* jejunabant. Concilium Salegunſtadienſe (8) regulas tradidit, quibus varietates ipſæ horum jejuniorum componi, regique poterant.

III. Jejunium Autumnale, ſive *menſis Septimi* nulli ante Leonem memoratum reperias. Hinc poſt eum Gelaſius (9) illius meminit, velut quod cum reliquis tribus Sacris delinatum erat ordinationibus, quas ſemper ſancta comitabantur jejunia. Synodus Salegunſtadienſis præcipit, ut ſi Kalendæ Septembres in IV. feriam inciderent, vel ante, jejunium tertiæ hebdomadi addiceretur: Quod ſi in quintam, aut ſextam, aut Sabbatum, quarta hebdomade jejunandum foret (10).

IV. Jejunium Decembris, ſive *menſis Decimi*, dictum quoque *jejunium Adventus*, ſive *Natalis Domini*, antiquitus ab feſto S. Martini uſque ad Natalem Chriſti ter per ſingulas hebdomades feria ſcilicet II. IV. & VI. agitabatur, uti ex Concilio Matiſconenſi conſtat (11). Ac Concilium Turonenſe (12) Monachis ſingulis diebus per idem hoc tempus ut jejunarent, præſcripſit. Verum Concilia Salegunſtadienſe, & Oxonienſe, ut vidimus, hoc jejunium intra proximam ante Natalem Chriſti hebdomadem concludunt.

V. Jejunium in Paſcha ab Philaſtrio memoratum fortaſſe idem eſt ac jejunium Quadrageſimale. Ceterum Leo M. de eo loquitur, velut de jejunio ab Quadrageſimali diſtincto; *jejunium*, inquit, *vernum in Quadrageſima*, *æſtivum in Pentecoſte &c.* Concilium Arvernenſe ſanxit, ut *jejunium veris in prima hebdomada Quadrageſimæ fiat*. Contra ea Concilia Salegunſtadienſe, & Oxonienſe (13) eidem jejunio primam Martii hebdomadem addixere. Ergo conſtat jam omnibus quatuor per annum jejuniis dicata fuiſſe tempora: quamvis, quod ad hebdomades, & dies attinet, quibus ejuſmodi jejunium obtineret, varia ſemper fue-

(6) *Conc. Oxon. Can. VIII.* In Martio prima Hebdomada jejunandum eſt feria IV. & VI. & Sabbato. In jejunio in ſecunda, quod dupliciter obſervatur a pluribus, in prima hebdomada poſt litanias, aut in hebdomada Pentecoſtes. In Septembri per tres dies. In proxima ſeptimana integra ante Natalem Domini.

(7) *Vide not.* (2).

(8) *Concil. Salegunſtad. an. MXX. Can. II.* De incerto jejunio quatuor temporum hanc certitudinem ſtatuimus, ut ſi Kalendæ Martii in quarta feria, ſive antea evenerint, eadem hebdomada jejunium celebretur. Si autem Kalendæ Martii in quintam feriam, aut ſextam, aut Sabbatum diſtenduntur, in ſequentem hebdomadam jejunium differatur. Simili quoque modo ſi Kalendæ Junii in quartam feriam aut antea evenerint, in ſubſequente hebdomada jejunium celebretur, & ſi in quintam feriam, aut ſextam, aut Sabbatum contigerit, jejunium in tertiam hebdomadam reſervetur. Et hoc ſciendum eſt, quod ſi quando jejunium menſis Junii in vigilia Pentecoſtes ſecundum prædictam regulam evenit, non ibi celebrandum erit, ſed in ipſa hebdomada ſolemni Pentecoſtes; & tunc propter ſolemnitatem Spiritus Sancti, diaconus dalmaticis induatur, & alleluja cantetur, & *flectamus genua* non dicatur. Eodem modo de Septembris jejunio conſtitutum eſt, & ſi Kalendæ Septembris in quarta feria evenerint aut antea, jejunium in tertia hebdomada celebretur; & ſi in quinta, aut ſexta, aut Sabbato contigerint, aut antea, in quarta hebdomada jejunandum erit. In Decembri illud obſervandum erit, aut proximo Sabbato ante vigiliam Natalis Domini celebretur jejunium. Quia ſi vigilia in Sabbato evenerit, ſimul vigiliam, & jejunium celebrare non convenit.

(9) *Gelaſ. Epiſt. IX. ad Epiſc. Lucaniæ Cap. XI.* Ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum niſi certis temporibus, & diebus exercere non debent i. e. Quarti menſis jejunio, ſeptimi, & decimi, ſed & etiam Quadrageſimalis initii, ac mediana Quadrageſimæ die, Sabbati jejunio circa veſperam noverint celebrandas.

(10) *Vide Not. ſupra* (8).

(11) *Conc. Matiſc. I. Can. IX.* Ut a feria S. Martini uſque ad Natale Domini, ſecunda, quarta, & ſexta Sabbati jejunetur, & Sacrificia Quadrageſimali debeant ordine celebrari.

(12) *Conc. Turon. II. Can. XVIII.* De Decembri uſque ad Natalem Domini omni die jejunent (*Monachi*).

(13) *Vide ſupra Not.* (6) & (8).

fuerit pro diversis Ecclesiis consuetudo (14).

VI. Quod vero spectat ad jejunium Epiphaniæ, quod vice jejunii Septembris posuit Philastrius, observatione dignus est Canon Concilii Turonensis II. (15) quo sancitur, ut dies quidem inter Natalem Domini, & Epiphaniam in lætitia agantur, & fideles prandeant; at excepto *triduo illo, quo ad calcandam gentilium consuetudinem Patres statuerunt privatas in Kalendis Januarii fieri litanias*. Namque, ut alibi vidimus, Kalendas Januarii, sive diem Circumcisionis Ecclesia per aliquot secula jejuniis potius, quam lætitiæ addixit, ut Christianus populus præpediretur, quo minus lascivientibus comessationibus gentilium more se dederet. Atque id profecto est jejunium Epiphaniæ, cujus mentio occurrit apud Philastrium.

VII. Illud postremo etiam juvabit animadvertere, quod initio commonuimus, recentioris esse institutionis, ut Ecclesiasticæ ordinationes quatuor temporum jejuniis attemperarentur: quod quibus tandem Auctoribus factum fuerit, diligenter inquirendum est. Nonnulli ab Gregorio VII. id institutum volunt. Binghamus *Lib. XXI. Cap. II. §. VII.* incertos dudum apud Romanos ordinationum dies fuisse contendit. At falluntur, meo quidem judicio. Ita enim se se res habuit. A Petro usque ad Simplicium, qui Pontificatum iniit anno CCCCLXVI. Ordinationes contulere semper Romani Pontifices mense Decembri, quod passim Auctor Pontificalis testatur. Tum Simplicius primus Decembri Februarium etiam addidit, quod docet Fortunatus Amalarius *de Eccl. Officiis Lib. II. Cap. I. Primi*, inquit, *Apostoli semper in Decembrio mense, in quo Nativitas Domini nostri Jesu Christi celebratur, consecrationes ministrabant, usque ad Simplicium, qui fuit ab Petro Quadragesimus nonus. Ipse primus sacravit in Februario*. Post Simplicium vero sensim obtinuisse puto, ut ordinationum dies in quatuor temporum jejunia inciderent: quandoquidem Gelasius *Epist. IX. ad Episcopos Lucaniæ* ordinationum meminit mensibus IV. VII. & X. atque in Quadragesima conferendarum. Vide supra *Not.* (9). Ex quo illud statuas quatuor temporum jejunia etsi primo ordinationibus caruerint, mox V. Seculo cum iis ordinationes quoque conjunctas fuisse: indeque etiam *Jejunia ordinationum* dicta fuisse.

§. II. *De Jejuniis menstruis, & Rogationum.*

VIII. Nonnullis in locis singulis etiam mensibus jejunia celebrabantur Julio, Sextilique exceptis. Profecto per Hispanias id obtinuisse constat ex Concilio Illiberitano (16) quo sancitur, *jejuniorum superpositiones per singulos menses placuit celebrari exceptis diebus duorum mensium Julii, & Augusti*. *Superpositiones* jejuniorum fortasse dicta sunt, aut quod rigidiora essent, quam illa feriæ IV. & VI., vel quod novæ essent institutionis, atque Episcopi ad arbitrium indicenda, uti in hunc Canonem recte observat Albaspinæus (17). Sane vero eadem Illiberitana Synodus (18) ubi primum per Hispanias Romanum Sabbati jejunium introduxit, illud etiam *superpositionem* vocat, quia in Hispanias exemplo Ecclesiæ Romanæ tunc primum receptum fuerat.

IX. De Rogationum Jejuniis, atque Li-

(14) *Cujus rei vel illud argumento est, quod in Sacramentario Gelasiano post Dominicam orationem denunciationes variæ præscribuntur*. In jejunium quatuor temporum denunciatio. *Quod arguit incerta ea fuisse, nullique certæ aut diei, aut Hebdomadi destinata*. III. mensis jejunia, *inquit*, in hac nobis sunt hebdomade tenenda: ideoque hortamur Sanctam Fidem vestram, ut IV. VI. vel VII. feria jejunemus, quatenus divinis inhærendo mandatis propitiationem Dei nostri perseverantia devotæ servitutis obtineat.

(15) *Concil. Turon. II. Can. XVIII.*

(16) *Concil. Illiberit. Can. XXIII.* Jejuniorum superpositiones per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Julii, & Augusti, ob eorumdem infirmitatem.

(17) *Albaspin. in cit. Can.*

(18) *Concil. Illiberit. Can. XXVI.* Errorem placuit corrigi, ut omni Sabbati die jejuniorum superpositiones celebremus.

taniis plura **Tom.** super. Part. II. scripsimus. Hic juvat observasse eorum originem V. Ecclesię Seculo ab Mamerco repetendam esse. Primis namque Ecclesiæ Seculis, si quando præter solitum ob aliquam necessitatem Deo supplicandum fuerat, ad proprii cujusque Ecclesiæ Episcopi arbitrium peculiares litaniæ indicebantur. Sed vero Mamercus, cum Galliæ subitis, horrendisque calamitatibus afflictarentur, stata jejunia, statasque litanias tribus diebus proxime ante Ascensionem recitandas instituit, quod tradit Sidonius Apollinaris (19). Erat vero prorsus nova illa institutio, immo etiam antiquæ Ecclesiarum omnium praxi contraria, vetanti ne intra Pentecosten dies ulla jejuniis addiceretur. Hinc licet nonnullæ Ecclesiæ illam cooptarint, obstitere tamen Hispanicæ, illudque jejunium non ante Ascensionem, sed in hebdomadam post Pentecosten conjecerunt, uti sanxit *Conc. Gerund.* II. (20) quodque adhuc ævo suo apud Hispanos obtinuisse testatur Walfridus Strabo (21). Romani quidem ipsas Rogationes i. e. Litanias tribus diebus ante Ascensionem retinuerunt; jejunium autem non item, quod nunc quoque solemus.

§. III. *De Jejuniis IV. & VI. Feriæ.*

X. Jejunia IV. & VI. Feriæ ita semper in Ecclesia conjuncta fuere, ut neutrum separatum unquam apud veteres legas. Hinc Canon Apostolicus (22): *Si quis*, inquit, *Episcopus, vel Presbyter... Quartam vel Parasceven non jejunat, deponatur.* Neque vero ab hac disciplina abhorrent quarti, sequentiumque Seculorum Patres: immo & vetustissimi quique Clemens Alex. Orig. Tertull. (23) ita quidem de iis jejuniis loquuti sunt, ut clare ostendant, ea non sua primum ætate introducta fuisse, sed veteri Patrum traditione accepta, omniumque Ecclesiarum consensu firmata in generalem praxim evasisse. Hinc jure statuas hæc jejunia merito plerorumque clarissimorum Virorum sententia Apostolicam sibi originem vindicare: præsertim quum in Hermæ Pastore sæpe ab Tertulliano, Clemente Alexandrino, & Irenæo laudato, velut antiquo Ecclesiæ commentario, haud obscura ejus vestigia offendere liceat. Ibi enim *Lib. III. Simil. V. Cum jejunarem*, inquit, *& sederem in monte quodam, & gratias agerem Deo pro omnibus, quæ fecerat mecum, video Pastorem illum sedentem juxta me, & dicentem mihi; Quid tam mane huc venisti? Respondi: Domine, quia stationem habeo. Quid est*, inquit, *Statio? & dixi: jejunium; & dixit: Quid est illud jejunium? Sicut solebam, inquam, sic jejuno.* Hermas igitur jejunium, *Stationem* etiam dictum celebrare solebat. Atqui nullum unquam jejunium ab antiquis *Stationem* appellatum legas, præter hæc quartæ, & sextæ feriæ addicta: proindeque vero simillimum est, Hermam tunc temporis

unam

(19) *Sidon. Lib. V. Epist. XIV.* Quidquid illud est, quod vel otio, vel negotio vacas, in urbem tamen *Rogationum* contemplatione revocabere: quarum nobis solemnitatem primus Mamercus Pater, & Pontifex, reverendissimo exemplo, utilissimo experimento invenit, instituit, invexit. Erant quidem prius (quod salva fidei pace sit dictum) vagæ, tepentes, infrequentesque, utque sic dixerim oscitabundæ supplicationes, quæ sæpe interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur, maxime aut imbres, aut serenitatem deprecaturæ... In his autem, quas suprafatus Sacerdos nobis protulit, jejunatur, oratur, psallitur, fletur.

(20) *Concil. Gerund. Cap. II.* De litania ut expleta solemnitate Pentecostes sequenti septimana a quinta feria usque in Sabbatum per hoc triduum abstinentia celebretur.

(21) *Strabo de Offic. Eccles. Cap. XXVII.* Hispani, propter hoc, quod scriptum est: *non possunt Filii Sponsi lugere, quandiu cum illis est Sponsus:* infra quinquagesimam Paschæ recusantes jejunare, litanias suas post Pentecosten posuerunt.

(22) *Can. Apostol. LXIX.*

(23) *Clem. Alex. Strom. VII.* Novit ipse jejunii quoque ænigmata, sive mysteria horum dierum, quarti inquam & parasceves. Dicitur autem ille quidem Mercurii, hic vero Veneris. Hinc ille jejunat in vita, & ab avaritia, & a libidine, ex quibus omnia oriuntur vitia.

Tertull. de Jejun. Cap. XIV. Orig. Homil. X. In Levitic. Habemus Quadragesimæ dies jejuniis consecratos. Habemus quartam, & sextam Septimanæ dies, quibus solemniter jejunamus.

unam ex duabus hisce feriis jejunasse, *ita solebat*, quod ipse dicit. Accedit his, Hermam illud jejunium summo mane exorsum fuisse, quo scilicet tempore jejunia IV. & VI. Feriæ semper in Ecclesia incœpta sunt. Jam vero si Hermæ ævo hæc jejunia coluit Ecclesia, quis dubitet ab ipsis Apostolis, quibuscum ille versatus est, tradita, atque instituta fuisse?

XI. Porro cur isthæc jejunia ab Latinis quidem *Semijejunia*, & *Stationes* dicta, ab Græcis vero *νηστεῖαι τῆς τετράδος, καὶ τῆς παρασκευῆς* instituta sint; explicat Augustinus (24); nimirum, quod IV. feria consilium ad occidendum Dominum inierint Judæi; & feria VI. passus sit. Eidem etiam caussæ eorum jejuniorum originem referunt Petrus Alex. Auctor Constit. & Victorius (25). Præterea illud omnino notatu dignum, isthæc jejunia, utpote singulis quibusque peracta hebdomadibus, exceptis quinquaginta diebus a Paschate ad Pentecosten, minime ad vesperam usque, uti quadragesimalia, producta fuisse; sed cum hora diei nona desiisse, nisi forte sponte quis sua ad vesperam usque, vel per *superpositionem*, uti Victorius loquitur, usque ad sequentem diem producere ea maluisset. Ad rem Epiphanius (26): *Quarta sextaque feria jejunium observatur ad horam usque nonam, exceptis quinquaginta Pentecostes diebus*. Atque hinc *Semijejunia* dicta sunt.

XII. Adhæc, uti modo vidimus, *Stationes* etiam ea dixere veteres, eo quod cum religiosis conventibus, cum perceptione Eucharistiæ, usitatisque diei Dominicæ sacris celebrantur, quod docent passim Ambrosius, Tertullianus, Basilius, & Socrates (27). Fortassis vero unus Episcopi sermo per stationales dies omittebatur, contra quam quod in Dominicis fiebat. At, Socrate auctore (28), Alexandriæ hisce diebus Sermones habiti sunt, ac reliqua peracta, quæ ad collectam pertinebant, excepta mysteriorum celebratione. Qua in re Alexandrina Ecclesia singularem, diversamque ab aliis rationem sequuta est.

XIII. Postremo illud observes, Ecclesiam Occidentalem primis quidem seculis in hisce jejuniis cum Orientali consensisse; uti ex Victorino, Ambrosio, Hier. & Augustino liquet (29). Verum quum quarto Seculo Sabbatum apud Occidentales jejunari cœptum esset, uti constat ex Synodo Illiberitana, atque Augustino (30), mox id ipsum jejunium Sabbati feriæ IV. jejunio antelatum est. Itaque sensim, gradatimque omissum illud, neglectumque fuit, donec tandem in omnibus Ecclesiis, quæ Sabbato jeju-

 nare

(24) *August. Epist. LXXXVI. ad Casulanum*: Cur quarta, & sexta maxime jejunet Ecclesia, illa ratio reddi videtur; quod considerato Euangelio, ipsa quarta Sabbati, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Judæi. Intermisso autem uno die, cujus vespera Dominus cum discipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quam vocamus quintam Sabbati; Deinde traditus est nocte, quæ jam ad sextam Sabbati, qui dies passionis ejus manifestus est, pertinebat ..... quapropter & ipsa sexta recte jejunio deputatur.

(25) *Petrus Alex. Cap. XV.* Non reprehendat nos quispiam quartam, & sextam feriam observantes, in quibus nobis jejunare secundum traditionem cum ratione præceptum est. Quartam quidem propter initum a Judæis consilium de proditione Domini: Sextam autem, quod ipse pro nobis passus sit.

Addas Constitut. Apost. Lib. V. Cap. XV. Et Victorin. de Fabrica Mundi.

(26) *Epiphan. Exposit. Fid. §. XXII.*

(27) *Ambros. Hom. VIII. In Psalm. CXVIII.* Differ aliquantulum, non longe est finis diei; immo plerique sunt ejusmodi dies, ut statim meridianis horis adveniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio.

(28) *Socrat. Lib. V. Cap. XXII.* Præterea Alexandriæ quarta feria, & ea, quæ dicitur parasceve, leguntur Sacræ Scripturæ, easque Doctores interpretantur, & cuncta fiunt, quæ ad collectam pertinent, præter Mysteriorum celebrationem.

(29) *Vide cit. passim supra loca.*

(30) *Concil. Illiberit. Can. XXVI. Vide sup. not.* (18) *& Augustin. Epist. LXXXVI. ad Casulan.* Alii propter humilitatem Mortis Domini (*Sabbato*) jejunare, sicut Romana, & nonnullæ Occidentis Ecclesiæ.

pare coeperant, feriæ quartæ jejunium prorsus abolitum est, quod observavit eruditissimus Albaspinæus (31).

(31) *Albaspin. Observat. Lib. I. Cap. XIII.* Notandum porro, simul ac Sabbatis jejunari coeptum est, apud Latinos diei Mercurii jejunium desiisse, & in Sabbatum transmissum esse.

CAPUT IX.

DE DEI ADORATIONE

§. I. *De Adorationis* Οὐσίᾳ *sive Essentia*.

I. Adoratio, quam Græci προσκύνησιν vocant, ut ex antiquorum Patrum doctrina definivit Damascenus (1), est *submissionis, & honoris indicium*. Hinc prout honor major, minorve est, ita de Adoratione judicandum est. Est autem *Honor* testificatio quædam, ostentatioque excellentiæ, quam in quopiam agnoscimus; vel ut Aristoteles loquitur (2): *Signum opinionis*, quæ de beneficentia alicujus excitata est. Ergo *Honor* ipse variat pro vario excellentiæ, dignitatis, beneficentiæque alienæ gradu, ac statu. Hinc Adoratio ipsa multiplex, ac varia est, quippe quæ pendet ab diversa dignitatis, præstantiæque ejus conditione, quem honore afficere volumus. Porro Dei ut natura τὸ ὄν, ita excellentia, dignitas, ac virtus infinita est; hominum vero uti natura, ita excellentia, dignitas, ac virtus, si cum divina comparetur, non tam exigua est, quam nulla, quum hæc ab illa distermìnetur infinito intervallo. Quin homines, Angelique uti participatione quadam, adumbrationeque, sive ἀναλογίᾳ & esse, & vivere dicuntur, ita etiam per quandam quasi ἀναλογίαν dignitate, atque excellentia præfulgere, ac benemereri de hominibus possunt. Ergo cultus, & Adoratio propria solius Dei est, sicuti & esse τὸ ὄν & bonorum omnium cumulata perfectio. Angelis vero, Sanctisque hominibus tantum per ἀναλογίαν honorificus tribuitur cultus, non secus ac per ἀναλογίαν solum exstant, vivuntque.

II. Illud etiam hic omnino quasi in antecessum observandum est, duplicem esse distinguendam Adorationem, sive religiosum cultum: unum exteriorem, quem externo aliquo gestu, veluti inclinatione capitis, genuumque plicatione præ nobis ferimus, alterum interiorem, qui soli menti inest; nimirum quum mente, animoque intelligimus, profitemurque excellentem esse illius dignitatem, qui nobis colitur, totaque voluntatis inclinatione in eumdem rapimur. *Quia duplici natura constamus*, ait Damascenus (3), *aspectabili, & in aspectum non cadente, hoc est, intelligibili, & sensibili, idcirco duplicem Conditori nostro adorationem offerimus*. Utrumque Adorationis genus Jonas Aurelianensis (4) significatum credit per vocabulum *colendi*, & *adorandi*. Exodi Cap. XX. *non adorabis ea, neque coles*; sic ut interiorem *colendi* vocabulo, exteriorem *adorandi* Deus intellexerit. At quocumque demum sensu ea vocabula accipiantur, illud omnino notatu dignissimum, Adorationem proprie acceptam ita demum in externo cultu sitam esse, si ejus comes sit interior animi sensus. Quum enim externus honor per sese specta-

(1) *Damascen. in VII. Synodi actis Act. V.*
(2) *Aristot. ap. S. Thom. 2. 2. quæst. 103. art. 1.*
(3) *Damascen. Lib. IV. Cap. XIII.*
(4) *Jonas Aurelian. Lib. I. de Cultu Imagin. in illud Exod. XX.* Non adorabis ea, neque coles: Aliud est, *inquit*, colere, aliud adorare. Potest quis interdum & invitus adorare: sicut nonnulli regibus adulantes cum eos in hujusmodi studia deditos vident, adorare se simulant idola: cum in corde ipsorum certum sit, quia nihil est idolum. Colere vero est toto huic affectu, & studio mancipari. Utrumque ergo resecat sermo divinus; ut neque affectu colas, neque specie adores.

ctatus, unus, idemque homini plerumque tribuatur, & Deo; profecto ab interiore animi sensu exterioris cultus modus, & vis dignoscetur.

III. Vocabula, quibus utraque Adorationis species exprimatur, præcipua sunt, ipsaque velut vetustate sacrata: προσκύνησις, σέβας, τιμὴ, λατρεία, δουλεία, quæ latine reddi possunt: *Adoratio*, *Cultus*, *Honor*, *Famulatus*, *Servitus*. Jam vero hæc eadem nomina diligenter notanda sunt. Ac primo ad προσκύνησιν quod spectat, ea vox licet generalis sit, atque Sacrarum litterarum stilo æque, ac veterum Auctorum usu non minus profanum, civilemque honorem, quam sacrum, divinumque Deo peculiarem significat, sæpe tamen ad unam Supremi Numinis Adorationem notandam ponitur; ut quum lex præcipit: *Dominum Deum tuum adorabis* προσκυνήσεις. Hinc veterum Patrum nonnulli, præsertim vero Athanasius, Nazianzenus, Cyrillus, Basilius, Jonas Aurelianensis, & Jo: Damascenus (5) genus illud Adorationis προσκυνεῖν dictum Dei proprium esse statuunt.

IV. Quamvis λατρεία, quod nomen supremum divinum cultum vulgo significat, non multum ab δουλεία distare tradant Grammatici, atque Etymologiographi cum veteres, tum recentiores: nihilominus vicit usus græcorum, latinorumque Patrum, ut λατρεία *latria* peculiare nomen esset supremi cultus, & Adorationis, quæ nulli rei creatæ, præterquam uni vero, sempiternoque Deo tribuitur. Audiendus hac de re Augustinus (6): *Latriam quippe nostri, ubicumque Sanctarum Scripturarum positum est, interpretati sunt servitutem. Sed ea servitus, quæ debetur hominibus... alio nomine Græce nuncupari solet. Latria vero secundum consuetudinem, qua locuti sunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, aut semper, aut tam frequenter, ut pæne semper, ea dicitur servitus, quæ pertinet ad colendum Deum*. Hinc idem Augustinus (7) Spiritus S. Divinitatem inde probat, quod jussum nobis sit ab Apostolo Spiritui Deo, sive Dei servire λατρεύειν. Latina igitur vocula licet majorem ἔμφασιν non habeat, quam προσκύνησις, & δουλεία, antiquissimo tamen Græcorum, Latinorumque Patrum usu receptum est, ut uni adorationi divinæ significandæ adhiceretur, contra vero προσκύνησις, & δουλεία ad Sanctorum etiam Reliquiarum, & Imaginum cultum denotandum adhiberetur.

§. II. *Latreutico cultu solum Deum jam inde ab suis primordiis adoravit Ecclesia.*

V. Hunc, quem modo descripsimus, Latreuticum cultum, in quo veram, germanamque adorandi vim, atque rationem positam esse diximus, uni Deo tribuere semper majores nostri. Fuit enim id, uti præceptum olim Hebræis divina sanctione, ita summa cum religione ab nostris servatum semper, quantumvis in eos debaccharentur mendacium Idolorum adoratores. Jusserat olim Judæis Deus *Deut. VI. 13. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies* λατρεύσεις. *& Exod. XX. 3. non habebis Deos alienos coram me: non adorabis ea, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes &c.* Id ipsum vero confirmatum ab Christo, servatumque ab ejus Apostolis fuit. Diabolo enim se tentanti his verbis, ut est *Lucæ IV. 7. tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia*, respondit Christus: *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Paulus vero *I. ad Timoth. Cap. I. 17. soli Deo*, inquit, *honor, & gloria*. Ac sexcenta sunt novi Fœ-

(5) *Athanas. Epist. ad Adelphium*: Non enim Creatorem adoret προσκυνεῖ creatura.
Nazian. Orat. XX. Ubi Basilius Valentis Præfecto se ad Arianam hæresim instiganti respondet: Nullam creaturam adorare sustineo προσκυνεῖν ἀνέχομαι, cum sim ipse creatura Dei, & Deus esse jubear.
Adde Cyrill. Lib. III. contra Nestor. Basil. apud Nazianz. Orat. XX. Jonam Aurel. Lib. I. de Cultu Imag. & Damascen. Orat. I. & III. de Imagin.
(6) *August. Lib. I. de Civit. Dei Cap. I.*
(7) *Idem Lib. I. de Trinit. Cap. VI.*

Fœderis testimonia, quæ Latreuticum cultum uni Deo præscribunt. Hinc idem Apostolus *ad Rom. Cap. I.* 25. eos ab vera, sanctaque Religione alienos esse scribit, qui res creatas colunt, adorantque, quod antiquis Græcorum Philosophis accidit: *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacio, & coluerunt ἐσεβάσθησαν, & servierunt ἐλάτρευσαν creaturæ potius, quam creatori.* Rursus *Epist. ad Galat. Cap. IV.* 8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum ii, qui natura non sunt Dii, serviebatis.*

VI. Eamdem etiam unius Dei adorandi præceptionem, necessitatemque per summa etiam tormenta, per crudelissimos cruciatus sustinuere primorum Seculorum Christiani. Hinc Origenes: *Christiani propter istud:* Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies: *item propter illud:* Non erunt tibi Dii præter me: *& propter alia plura similia, non solum templa, & Aras, & simulacra abominantur, sed etiam parati sunt mori, ubi se dederit occasio, ut suam Dei summi notionem ab aliqua ejusmodi impietate intaminatam servent.* Hinc illæ Gentilium calumniæ Christianos accusantium velut Atheos, Divinitatisque hostes acerrimos. Quas quidem criminationes quum diluerent Christiani Apologistæ, inde hanc opinionem inter gentes increbuisse dicebant, quod unus Deus ab Christianis coleretur, stultamque illam Gentilium Deorum multitudinem detestarentur, uti ex Justino, & Athenagora (8) colligitur. Hinc illæ querelæ apud Minucium Felicem (9), Idolorum templa, ut busta ab Christianis despicatui habita fuisse. Aversabantur quippe illa, neque licere sibi arbitrabantur ea, vel visendi studio, ingredi.

VII. Porro ejusdem adorationis uni Deo exhibendæ argumentum est luculentissimum rigida Patrum veterum disciplina, qua cautum erat, ne quis Christianus pingendi, sculpendive artes profiteretur, quod docet sæpe Tertullianus (10). Quum enim solemne id esset per ea tempora statuariis, atque pictoribus, ut Deorum sive imagines, sive statuas effingerent, venalesque facerent, hinc merito summum piaculum credidere Christiani iis artibus quæstus facere, ex quarum professione Idololatriæ occasio præbebatur. Hinc sæpe cum loca Patrum, tum Conciliorum Canones offendes, quibus sancitur, ut statuarii, ac pictores Christo nomen dantes eas artes ejurent penitus. Cavesis tamen inde colligas omnino picturas veteribus interdictas fuisse. Extant quippe adhucdum antiquissimæ Sanctorum Martyrum, atque Apostolorum imagines aut in vitreis vasis, aut in sepulcris, aut in marmoribus depictæ, quæ per tria priora Secula effictæ videntur (11). Quod indicio est non quasvis indiscriminatim picturas interdictas.

(8) *Justin. Apol. II.* Profitemur quidem, nos talium, qui habentur, deorum esse expertes & atheos: sed non verissimi illius Dei.

Athenag. Legat. pro Christian. Nequaquam nos sumus athei, qui universitatis hujus opificem, simulque ejus Verbum ut verum Deum veneramur.

(9) *Minucius Felix Dialog. Octavius*: Templa, ut Busta, despiciunt Christiani.

(10) *Tertull. Lib. de Idololatr. Cap. VI.* Si nulla lex Dei prohibuisset idola fieri a nobis, si nulla vox Spiritus Sancti fabricatoribus idolorum non minus, quam cultoribus comminaretur, de ipso sacramento nostro interpretaremur, nobis adversas esse fidei ejusmodi artes. Quomodo enim renunciavimus Diabolo, & Angelis ejus, si eos facimus? Quod repudium diximus iis, non dico, cum quibus, sed quibus vivimus? Quam discordiam suscepimus in eos, quibus exhibitionis nostræ gratia obligati sumus? Potes lingua negasse, quod manu confiteris? Verbo destruere, quod facto struis? Unum Deum prædicare, qui tantos efficis? .... Facio, ait quidam, sed non colo; quasi ob aliam caussam colere non audeat, nisi ob quam & facere non debeat, scilicet ob Dei offensam utrobique. Immo tu colis, qui facis, ut coli possint.

Idem Cap. VIII. ibid.

(11) *Plures hujusmodi Imagunculas aut Pastoris, aut Petri, Paulique, aliorumque SS. Martyrum vultus exprimentes visere est apud Boldetum, Bosium, Casalium, Mancheniuin, Bartholum, aliosque. Illud vero observatu dignum, has Imagines rudes admodum, atque inelegantes esse contra quam.*

ctas fuisse, sed solum publicas idola pingendi, aut sculpendi artes.

§. III. *Eodem cultu Verbum, seu Filius secunda Trinitatis Persona adoratus fuit.*

VIII. Quæ diximus hactenus, illud modo indicant veteres Christianos Latria unum Deum, sive Divinitatem ipsam coluisse. Atqui eodem quoque cultu singulas Trinitatis personas prosequuti sunt. Quod ut cuique pateat, omissis novi Fœderis testimoniis, de quibus insignes Theologi magna cum laude disputarunt, solam Ecclesiasticam praxim priorum Seculorum persequemur: quæ quidem ea in re nusquam sibi non constans fuit. Atque ad Verbi, seu Filii adorationem divinam quod spectat, jam inde ab II. Seculo adeo id persuasum, pervulgatumque inter Christianos fuit, ut ne ipsos quidem Ethnicos Scriptores latuerit. Lucianum enim (12) in Dialogo, quem *Philopater* inscripsit, Catechumenum Christianum introducit ab Catechista quærentem, per quem Deum jurandum sibi foret: cui ille respondet: *per Deum alte regnantem, perque ejus Filium*. Est autem jurisjurandi religio princeps Divinæ adorationis argumentum. Plinius etiam junior Epist. ad Trajanum data (13) comperisse se ait, Christianos stata die convenire solitos, carmenque Christo, *quasi Deo* dicere. Deus ergo creditus est Filius, eique ceu Deo laudis hymni odæque decantatæ sunt.

IX. Id ipsum innuunt omnes Christiani Apologistæ. Justinus Martyr (14) qui gladio percussus obiit anno CLXIX. Marco Aurelio Imperante, Paganorum calumniam propulsaturus, qua nostros, ut diximus, velut Atheos criminabantur, id quidem verum esse ultro concedit, siquidem Athei sunt hi, quibus multi non sunt Dii: secus vero, si de adoratione agatur unius Dei Patris, ac Filii, quam profitebantur Christiani universi. Eodem tempore anno scilicet CLXVIII. (15) Athenagoras Atheniensis Philosophus in ea Apologia, quam pro Christianis obtulit Imperatoribus Marco Aurelio, & Antonino, eamdem Paganorum criminationem his verbis refellit, quibus palam ostendit Verbum Dei ab Fidelibus adoratum fuisse: *Nequaquam*, inquit, *nos sumus Athei, qui universitatis hujus Opificem, simulque ejus Verbum, ut verum Deum veneramur*. Et sane in omnibus fere II. Seculi Patrum scriptis, quæ quidem superstiterunt, luculentissima monumenta occurrunt Latreuticæ adorationis Verbo præstitæ. Polycarpus, quum in Epist. ad Philippenses (16) uti ad Patrem, ita ad Filium orationem dirigit; tum ipse de aggesta lignorum strue jam jam flammis comburendus illustre hoc exemplum divinæ Filii adorationis posteris reliquit: *De omni-*

quam quod ejus ætatis gustus ferebat. Quod quidem utrumque illud, quod supra dixi, apprime confirmat, Christianos scilicet & aliquas habuisse olim Imagines, & ab pingendi, sculpendique arte adeo abstinuisse, ut si quid quando pingerent, aut sculperent, nulla id artis peritioris elegantia facerent Vide Bonarrotum: Tab. XIII. Fig. I.

(12) *Lucianus Dialog. Philopater prope finem*: Per quem jurabo? (*Cui Catechista Christianus respondet*). Per Deum alte regnantem, magnum, Immortalem, Cælestem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria. Hunc tu Jovem puta, hunc existima Deum.

(13) *Plin. Epist. XCVII. Lib. X.* Affirmabant, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem.

(14) *Justin. M. Apolog. II.* Profitemur quidem nos talium Deorum qui habentur, esse expertes & Atheos. Sed non verissimi illius Dei: Patris videlicet Justitiæ, & Castitatis, & virtutum aliarum, & ab omni vitiositatis commixtione, & labe alieni. At hunc ipsum, & ab eo profectum Filio, a quo ista perdocti sumus: necnon aliorum ipsum sequentium, & ad ejus conformatorum similitudinem, bonorum scilicet Angelorum exercitum: Spiritum quoque Propheticum colimus, & adoramus cum ratione, & veritate adorantes, atque unicuique noscere, atque discere volenti, pro eo, ac edocti sumus, candide hæc tradentes.

(15) *Athenag. Legation. pro Christian.*

(16) *Polycarp. Epist. ad Philipp. num. XII.*

omnibus laudo Te, inquit, *benedico Te, glorifico Te, cum sempiterno, & cælesti Jesu Christo, dilecto Filio tuo: cum quo Tibi, & Spiritui Sancto gloria, & nunc, & in futura secula: Amen.* Sed vide etiam Epist. Smyrnensium ad Philomelienses (17), Clementem Alexandrinum (18), aliosque.

X. Majora, ac frequentiora in idem argumentum monumenta nobis suppeditat III. Ecclesiæ Seculum: quandoquidem ea ætate errores bini gliscere cœperunt: hinc Sabellianis Verbi Divinitatem impugnantibus, hinc Paganis Philosophis Christianos incusantibus, ut qui improbum hominem ab Judæis, Romanisque Cruci damnatum publice colerent, adorarentque. Utrorumque autem calumnias ita demum tunc temporis Theologi declinabant, ut simul Verbo Dei sartam, tectamque servarent divinam cum naturam, tum adorationem. Hinc Cajus Romanus Presbyter, cujus fragmenta exscripsit Eusebius (19), Artemonem refutaturus, qui primus Verbo Divinitatem abjudicavit, odarum hymnorumque meminit, quibus Filius Dei ab Christianis publice oratur, prædicaturque ut Deus. Quam quidem præclaram Sabellianos, Arianosque refellendi rationem tenuere semper sequentium Seculorum Patres. Credebant quippe nunquam Christianorum antiquissimos publico, ac Latreutico cultu Filium Dei adoraturos fuisse, nisi divinam etiam ejus naturam credidissent.

XI. Ad objectam vero ab Gentilibus Christi vilissimam Crucifixionem, publicamque ejusdem adorationem, ita quidem respondebant, ut numquam negarent Christum ab se coli, sed id sat justa ratione fieri dicerent, quum ille Dei ipsius Filius, ejusdem, ac Pater, esset naturæ. Ita sæpe Celsum Origenes (20), Paganosque reliquos refellunt Arnobius (21), atque Lactantius (22). Divinam ergo Filii adorationem ab ipsis licet Genti-

(17) *Smyrnens. Epist. ad Philomel. apud Euseb. Lib. IV. Cap. XV.* Stulti, qui ignorarent, nos nec Christum umquam posse relinquere, qui pro salute omnium, quotquot ex genere humano salvi futuri sunt, mortem pertulerit, nec alium quemquam colere. Illum enim utpote Filium Dei adoramus: Martyres vero tamquam discipulos & imitatores Domini, merito amore prosequimur, ob eximiam ipsorum benevolentiam, quam erga Regem ac Magistrum suum declararunt. Quorum nos quoque consortes ac condiscipulos fieri omnibus modis optamus.

(18) *Clemens Alex. Pædagog. Lib. III. Cap. XII.* Sis propitius tuis, o Pædagoge, pueris, pater, auriga Israel, fili & pater, unum ambo, Domine.

(19) *Euseb. Lib. V. Cap. XXVIII.* Psalmos, atque odas ab Fidelibus conscriptas producit Verbum Dei laudantibus, & ejus divinitatem celebrantibus. *Τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦντες θεολογοῦντες.*

(20) *Orig. contra Celsum Lib. VIII.* Si Celsus intellexisset illud: *Ego & Pater unum sumus*: & illud in precatione dictum a Filio Dei; *Sicut ego & tu unum sumus*; non putasset, nos & alium colere præter Deum universorum Dominum. Ait enim: *Pater est in me, & ego in Patre.* Quod si quis his motus verebitur, ne forte transfugiamus ad eos, qui negant, duas esse subsistentias Patrem & Filium: audiat illud: *Erat autem omnium credentium cor unum, & anima una*: ut contempletur illud dictum; *Ego & Pater unum sumus*. Unum igitur Deum, sicut rationem reddimus, Patrem & Filium colimus, constanterque stamus contra alios, & non recens exortum, quasi prius non fuerit, nimiis honoribus extollimus.

(21) *Arnob. contra Gentes Lib. I.* Non (inquiunt) idcirco Dii vobis infesti sunt, quod omnipotentem colatis Deum: sed quod hominem natum, & (quod personis infame est vilibus) Crucis supplicio interemtum & Deum fuisse contenditis, & superesse adhuc creditis, & quotidianis supplicationibus adoratis. *Quibus ille respondit*: Cum Deus sit revera, & sine ullius rei dubitationis ambiguo, inficiaturos arbitramini nos esse, quam maxime illum a nobis coli, & præsidem nostri corporis nuncupari? Ergo ne, inquiet aliquis furens, iratus, & percitus, Deus ille est Christus Deus, respondebimus, & interiorum potentiarum Deus: Et quod magis infidos acerbissimis doloribus torqueat, rei maximæ caussa a summo Rege ad nos missus.

(22) *Lactan. Lib. IV. Cap. XVI.* Venio nunc ad ipsam Passionem, quæ velut opprobrium nobis objectari solet, quod & hominem, & ab hominibus insigni supplicio affectum, & excruciatum colamus. *Id vero sic ille refellit, ut contendat Christum coli ab Christianis, quod sit ejusdem*,

tilibus acriter impetitam, numquam negarunt III. Seculi Patres, immo defenderunt, propugnaruntque. Porro ad eamdem rem facit mos ille Martyribus non insolens Filium Dei apprecandi, orandique sub extremum vitæ terminum, ut sibi cum vim impertiretur, virtutemque ad teterrimos cruciatus tolerandos, tum, ut perfunctis Martyrio promissam æternæ patriæ felicitatem elargiretur. Plures hujusmodi preces visere est in actis MM. apud Baronium. Singularis est illa Beatæ Thelicæ Virginis oratio (23): *Gratias ago*, inquit, *Deo Regnorum*. *Domine Jesu Christe*, *Tibi servimus*. *Tu es spes nostra*. *Tu es spes Christianorum*, *Deus Sanctissime*, *Deus altissime*, *Deus omnipotens*; *Tibi laudes pro nomine tuo agimus*. Plura occurrunt plurium hujus Seculi Patrum testimonia, quæ plane demonstrant generalem fuisse Ecclesiæ praxim Verbum Dei publice adorandi: sed satis fit id ex publica ejus temporis Christianorum Theologorum doctrina, ex publicis Martyrum testimoniis commonstrasse. Unus non omittendus est Cyprianus, qui Epistola ad Lucium P. (24) Eucharisticas preces, atque gratulationes Filio etiam non secus ac Patri dirigi ait. Quod sane maximum est argumentum Latreutici cultus eidem Filio tributi. Fuere enim sacrificia apud omnes populos, quovis tempore, quovis ritu ea demum peracta sint, fuere, inquam, veluti unicum, atque ultimum hominum erga Deum fidei, obsequii, cultus, atque Religionis indicium.

§. IV. *Idem Latriæ cultus exhibitus Spiritui Sancto.*

XII. Neque vero minori cultu, atque religione prosequuti sunt Spiritum Sanctum. Patet id ex pluribus II. Seculi Patrum locis, quæ proximo superiori §. protulimus. Audivimus enim ibi Polycarpum palo deligatum, ac jam jam Martyrium subiturum, clara voce clamantem: *De omnibus laudo Te*, *glorifico Te cum sempiterno*, & *cælesti Jesu Christo*, *dilecto tuo Filio*, *cum quo Tibi*, & Spiritui Sancto *gloria*. & *nunc*, & *in infinita secula*: *Amen*. Idem docuisse vidimus Justinum Martyrem, & Clementem Alexandrinum, qui Patri, ac Filio Spiritum Sanctum addidere, ut qui uno, eodemque cultu, ac illi, coleretur ab Christianis. Lucianus etiam (25) indicat, Christi fideles æque per Patrem, Filium, ac Spiritum S. jurasse: *Jura*, inquit, *per Deum alte regnantem*, *magnum*, *immortalem*, *cælestem*, *Filium Patris*, *Spiritum ex Patre procedentem*. *Unum ex Tribus*, & *ex uno Tria*. *Hunc tu Jovem puta*, *hunc existima Deum*. Atqui præter hos, luculentum etiam monumentum adorationis Spiritus Sancti habemus apud Origenem (26), qui Christianos ut ab

vitiis,

dem, *ac Pater*, *naturæ*. Quum dicimus Deum Patrem & Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus: Quia nec Pater esse sine Filio potest; nec Filius a Patre secerni. Siquidem nec Pater nuncupari sine Filio, nec Filius potest sine Patre generari. Cum igitur & Pater Filium faciat, & Filius fiat: una utrique mens, unus spiritus, una substantia; sed ille quasi exuberans fons est, hic tamquam defluens ex eo rivus. Ille tamquam sol, hic quasi radius a sole porrectus.

(23) *Acta Thelicæ M. apud Baron. anno CCCIII. num. XLI.*

(24) *Cyprien. Epist. ad Lucium P. LVIII.* Vicarias pro nobis ego & collegæ & fraternitas omnis has ad vos litteras mittimus, frater carissime, & repræsentantes vobis per epistolam gaudium nostrum, fida obsequia caritatis expromimus; hic quoque in sacrificiis atque in orationibus nostris non cessantes Deo Patri, & Christo Filio ejus, Domino nostro gratias agere & orare pariter ac petere, ut qui perfectus est atque perficiens, custodiat & perficiat in nobis confessionis vestræ gloriosam coronam.

(25) *Lucianus Dialog. Philopatr. Vide Notam* (12).

(26) *Orig. In Epist. ad Rom. Cap. I. Ubi Christianorum, Paganorumque praxin inter se conferens*: Eorum (*Gentilium*) est, *inquit*, contumelia adficere corpora sua, qui deserviunt simulacris: & eorum colere creaturam, qui dereliquerunt Creatorem. Nos autem, qui nullam creaturam, sed Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum colimus & adoramus, sicut non erramus in

cultu,

vitiis, peccatisque abstineant ex eo hortatur, quod quum Spiritum Sanctum adorent, neque eo cultu peccare se credant, nolint degeneri conversatione, fœdisque animi cupiditatibus membra sua, quæ templum sunt Spiritus S. turpiter coinquinare.

XIII. Ad hæc Basilius, qui integrum scripsit librum de Spiritu Sancto, ut grassantes tunc temporis de eo hæreses comprimeret, quamplura veterum Patrum in id ipsum argumenta congerit. Primo enim ait (27) Athenogenem Martyrem Hymnum composuisse Spiritus Sancti laudes deprædicantem: cujus quidem Hymni esse putat doxologiam hanc ab antiquis retro Seculis penes Ecclesias usitatam: Αἰνοῦμεν Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ ἅγιον Πνεῦμα Θεοῦ *Laudemus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Dei*. Ibidem testatur Dionysium Alexandrinum hac sæpe usum doxologia: *Deo Patri, & Filio Domino nostro Jesu Christo cum Sancto Spiritu gloria, & imperium in secula seculorum: Amen*. Postremo duos III. Seculi Patres citat (28) Firmilianum Cæsareensem, & Gregorium cognomine Thaumaturgum, quos passim cum in libris ab se scriptis, tum in Orationibus hanc ipsam posuisse doxologiam ait: *Deo Patri, & Filio Domino nostro Jesu Christo cum Sancto Spiritu gloria, & imperium in secula seculorum: Amen*. Τῷ Θεῷ Πατρὶ καὶ Υἱῷ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι δόξα καὶ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. Jam vero quum hæ doxologiæ laudes simul complectantur, adorationemque Patris, Filii, & Spiritus Sancti, jam illud necessario consequitur eodem Latreutico cultu Spiritum Sanctum quoque non secus, ac Patrem & Filium prosequutos esse veteres Christianos.

XIV. Ab IV. Seculi vero Patribus supersedemus, quum eorum testimonia pene in oculos cujusvis legentes incurrant. Illud postremo monemus, Tertulliani ævo adeo inter Christianos divinum Spiritus S. cultum increbuisse, ut Praxeas, alique Hæretici *Unitarii* appellati, Catholicos Tritheismi passim incusarint, id est trini Numinis Adoratores. Atqui Tertullianus (29), qui contra eos scripsit, nusquam inficiatus est Divinam, ac Latreuticam Adorationem Filio, Spirituique item, ac Patri ab Christianis præstitam fuisse, quod ubi semel dixisset, facile Praxeæ argumentum declinasset: sed hanc unam ejus refellendi rationem init, ut dicat, non immerito singulas Trinitatis Personas adorari, quando singulæ ejusdem naturæ sunt, ejusdemque substantiæ: *Pater*, inquit, *Deus, & Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & Deus unusquisque* (30). Ergo constanter creditum ab majoribus nostris fuit Latriæ cultu Spi-

cultu, ita nec in actibus quidem, & conversatione peccemus, neque imitemur eos, qui contumeliis adficiunt corpora sua in semetipsis; sed adspicientes quod dicit Apostolus: An nescitis, quia corpora nostra membra sunt Christi, & iterum: Quia corpus vestrum templum est Spiritus Sanctus: ut membris Christi & templum Spiritus Sancti corpora nostra in omni sanctitate & puritate servemus, quo non solum Angelorum digna ingressibus fiant, verum etiam inhabitatione Spiritus Sancti, & mansione Patris & Filii.

(27) *Basil. de Spir. S. Cap. XXIX.* Quis fuerit auctor illorum verborum, quæ dicuntur in gratiarum actione in lucernas, dicere non possumus. Populus tamen antiquam profert vocem, neque cuiquam visi sunt impietatem committere, qui dicunt; Laudemus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum Dei. Quod si quis etiam novit Athenogenis hymnum, quem tamquam aliquod valedictionis munus discipulis suis reliquit, festinans jam ad consummationem, quæ fit per ignem, is novit & martyrum sententiam de Spiritu.

(28) *Ibid.* Deo Patri, & Filio Domino nostro Jesu Christo, cum Sancto Spiritu gloria, & imperium in secula seculorum: Amen. Idem fuit glorificationis modus, quem instituit Gregorius, & is, cui nune contradicitur, ex illius traditione Ecclesiæ conservatus . . . Hanc fidem & Firmiliano nostro fuisse, testantur illius libri, quos reliquit.

(29) *Tertull. Contra Praxeam Cap. III.* Duo & tres jam jactitant a nobis prædicari, se vero unius Dei *Cultores* præsumunt: quasi vero non & unitas irrationaliter collecta hæresim faciat & Trinitas rationaliter expensa veritatem patiat.

(30) *Idem ibid. Cap. XVI.*

Spiritum Sanctum etiam colendum, quandoquidem est, ut idem docet Tertullianus (31): *Trinitas unius Divinitatis Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.*

§. V. *Eodem demum cultu adoratur Christus secundum utriusque Naturæ Divinæ, atque Humanæ proprietatem.*

XV. Duplicem in Christo Naturam Divinam, Humanamque sub una tamen Hypostasi coivisse, nullaque utriusque commutatione, commixtioneque, retentis etiam utriusque proprietatibus *Emmanuel* Deum, Hominemque constitisse, creditum semper ab Christianis fuit: traditumque id ab Apostolis Sanctis ad nostra usque tempora Ecclesia contra acres, dementesque plurium hæresum impetus custodivit. Jam vero, quandoquidem duo hæc in Christo conveniunt Increatum, & Creatum, Divina scilicet Natura, & Humana: illa absoluta per se, principiique expers, profundeque supremo hominum cultu dignissima: hæc vero servilis per se, minimeque adoranda: hinc gravis oritur quæstio, una ne, eademque adoratione colendus Christus sit, an vero duplici, pro duplici ipsius natura: altera Divinitatis *Lautreuticæ*, altera vero Humanitatis χετικῇ i. e. *Analogicæ*, ut ajunt. At Ecclesiæ Patres semper id fixum, ratumque esse voluerunt, ut utraque Christi Natura una τῆς λατρείας *Latriæ* adoratione coleretur: neque quiquam umquam eam divisere, aliaque Divinitatem, alia adoratione Humanitatem colendam esse censuere, nisi qui sceleratas de Christo hæreses excitavere: quod Nestorianis maxime accidit.

XVI. Nestorius enim, etsi sæpe diceret utriusque Christi naturæ μίαν καὶ μοναδικὴν ἀξίαν *unam singularemque dignitatem* se statuere, tum adderet etiam Naturas in Christo separare se, honorem, & adorationem non item, ut est apud Cyrillum *Lib. IV. adversus Nestor.* re tamen vera illis verbis imperitis fucum facere volebat. Ex ejus enim doctrinæ principiis, positis semel in Christo duabus Naturis invicem ab se distinctis, separatisque, statutisque etiam duabus Hypostasibus, sive Personis, Divina altera, altera Humana, necessario consequebatur duplici etiam adoratione Christum esse colendum, altera quidem divina, absolutaque i. e. Latreutica, altera Morali sive κατὰ χέσιν *per analogiam*. Siquidem Divinam in eo Hypostasin Latriæ cultu venerabatur, Humanam vero σχετικῶς, sive sola rationis vi; quod Hypostasis humana Divinæ conjuncta erat, neque proinde fieri poterat, ut Divinam quis coleret, ni humanam quoque veneraretur, licet hæc Divina illa longe inferior sit; non aliter prorsus, quam si quis Regem regia indutum purpura adoret, fieri nequit, quin cum Rege purpuram item veneretur, quamvis κατὰ σχέσιν *secundum rationem* purpuræ adoratio Regis ipsius adoratione minor sit, ac prorsus exigua. Sed tamen prodit se demum palam Nestorii impietas, ad Humanitatis Christi adorationem quod spectat: quippe qui semel, atque iterum Catholicos appellarit Ἀνθρωπολάτρας καὶ Νεκρολάτρας, *Hominicolas & Cadavericolas*, verbaque etiam illa impietatis plena in Ephesino Concilio effutierit palam: se scilicet *propter ferentem, eum qui fertur, adorare* (32) i. e. Humanam Hypostasin propter Divinam, cui conjuncta erat, esse colendam.

XVII. Porro autem fuit & aliud Hæreticorum genus, qui licet, contra quam Nestorius, Christi adorationem minime scinderent, dividerentque, haud minus tamen Catholicis odio fuere. Scilicet Apollinaris Sectatores non secus, ac Catholici, uno, atque Latreutico cultu Christum adorandum esse palam dictitabant, id tamen impiæ eorum hæreseos velut coronis erat. Duas enim in Christo Naturas diffitebantur: carnem vero, qua visibilis hominibus se conspicandum idem præbuerat, Patri ὁμοούσιον *consubstantialem*

Oo 2 esse.

(31) *Idem de Pudicitia Cap. XXI.*
(32) *Nestor. In Actis Conc. Ephesin.*

esse statuebant, atque e cælo demissam. Hinc merito hi Incarnationem penitus e medio tollere visi sunt. Non enim tam Caro, quam quid increatum, minimeque sub oculos cadens, atque adeo Deus ipse fuit Christi Corpus ex eorum sententia. Jam vero hoc semel posito, inde illud consequebatur, unica esse adoratione colendam Christi sive Divinitatem, sive Carnem, quippe quæ Deo Consubstantialis, Deus ipse erat, cui supremum cultum deferre nemo umquam dubitavit. Atque hæc ex Athanasio (33), qui iis refellendis plura scripsit.

XVIII. Jam vero recensitis binis his duarum Hæresum erroribus, quæ ad Christi adorationem pertinebant, jam ex Scripturis, Ecclesiasticisque antiquorum Patrum monumentis illud statuamus, quod initio proposuimus, Christum scilicet uno eodemque Latreutico, divinoque cultu adorandum esse secundum utriusque Naturæ Divinæ, atque Humanæ proprietatem. Ac primo Paulus *Cap. I. Epist. ad Hebræos: Et quum iterum*, inquit, *introducit Primogenitum in orbem Terræ dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Adorarunt vero Angeli Christum, ubi primum carnem assumsit, ut egregie explicat Chrysostomus, atque Theophylactus (34), proindeque Humanitatem Divinæ Verbi Hypostasi conjunctam. Namque Divinam ipsam personam ab æterno subsistentem coluerant jam inde Angeli ab prima sui origine. Idem Paulus *Epist. ad Philipp. Cap. II.* ubi incredibilem Filii abjectionem, humilitatemque descripsit, mox addit: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur Cælestium, Terrestrium, & Infernorum.* Atqui, ut idem Chrysostomus, atque Basilius docent (35), Humanitatem tum Christi exaltavit Deus, eamque adorandam summo Latriæ cultu proposuit cælo, terræ, inferisque locis. Absurdum est enim credere majus decus majoremque gloriam Verbo accessisse post Incarnationem, qua antea caruerit.

XIX. Hanc vero ipsam adorationem apprime probant ea Scripturæ loca, quibus Christus inter homines agens, ut Homo, non secus, ac Deus, agnitus, adoratusque dicitur ab hominibus, quod Athanasius, atque Cyrillus advertere (36). Hinc illud *Joann. Cap. IX. Tu credis in Filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. Et ille ait: Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam.* Hic ille Filius Dei creditur adoraturque, quem cæcus præsentem oculis conspicatus fuerat, i. e. Deus simul atque Homo. Magi, qui ab Oriente venerant, oblatis muneribus, Infantem in præsepio positum *procidentes adoraverunt*, ut est *Matthæi Cap. II.* Per Latriam vero adorat, qui procidens adorat,

(33) *Athanas. Epist. ad Epictetum, ubi de Apollinari scribens*: Undenam, *inquit*, ista prodierunt? Quinam porro inferi illud eructarunt; consubstantiale Deitati corpus esse, quod ex Maria genitum est? Aut Verbum illud in carnem, ossa, capillos, totumque adeo corpus esse conversum, & a suapte natura mutatum? Quis hoc omnino a Christianis audit, Filium Dei specie, ac fictione sola, non natura, vereque gessisse corpus? Ecquis eo impietatis erupit, ut diceret, ac sentiret, ipsam consubstantialem Patri Deitatem circumcisam esse, atque imperfectam ex perfecta redditam? Item illud, quod in ligno suffixum est, non corpus exstitisse, sed substantiam ipsam naturæ totius opificem?

(34) *Chrysost. Hom. III. In Epist. ad Hebræos*: Non de Verbo ista dicuntur, sed de Christo, qua est carne præditus. Non enim aliter introductus in Mundum Dei Filius dicitur, quam in carne, cum in Mundo jam esset, ut ait Joannes, & Mundus per ipsum factus est.

Theophylactus in eumdem locum: Gregorius Nyssenus, & qui in Sanctis est, Cyrillus censuerunt id ita esse oportere, quod quidem antequam carnem susciperet nihil habebat commune cum creatura, utpote carnis expers Deus. Postquam autem carnem induit, tum communicans cum creatura, quatenus creatum sibi aliquid univit introductus esse dicitur in creaturam.

(35) *Chrysostom. Homil. VII. in Epist. ad Philipp. Basil. Lib. IV. contra Eunomium.*

(36) *Athanas. Epist. ad Adelphium. Cyrillus in Scholiis Cap. XXVII.*

orat, quod ab ipso Christo, quum, ut id sibi præstaret, efflagitasset Satanas, illud audiit: *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Præterea quamplura extant in novi Fœderis Libris monumenta Christum adorantium, quorum cultum nusquam repudiavit ille. Sed illud in primis illustre Latreuticæ Adorationis argumentum, quam Christo de Erebo, & Morte triumphanti quatuor animalia, ac viginti quatuor seniores (quod symbolum est militantis, triumphantisque Ecclesiæ) præstitere; ut est *Apocalyps. Cap. V. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Sedenti in Throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in secula seculorum*.

XX. Sed jam progrediamur ad Ecclesiasticam praxim, qua vetustissimi primorum Seculorum Patres Christum secundum utramque Naturam & adorarunt, & adorandum esse docuerunt. Ac primo Polycarpus Smyrnensis Episcopus, & Martyr Patrem adprecatur, Filiumque ejus *Sempiternum Pontificem* i. e. hominum natura, supremoque Pontificatu exornatum, uti sibi, ac Philippensibus, ad quos scribit (37) cumulatæ benedictionis gratiam impertiantur. Tum eamdem Epistolam his verbis exorditur: *Misericordia vobis, & pax a Deo omnipotente, & Jesu Christo Servatore nostro abundet.* Jam vero qui una cum Patre invocatur, profecto adoratur etiam. Est enim invocatio adorantis. Smyrnenses ipsi Polycarpi plebs de ejus martyrio Epistolam ad Philomelienses (38) scripsere, ubi; quod Judæi Proconsulem monuerant, ne Martyris corpus discipulis traderet, ne *relicto Crucifixo*, eum deinceps colerent, impiam accusationem detestantur, seque numquam ab Crucifixi adoratione recessuros esse profitentur. Ejusdem Seculi scriptor Clemens Alexandrinus (39): *Crede*, inquit, *homo, Homini, & Deo. Crede, homo, Deo viventi, qui passus est, & adoratur*. Quin librum ipsum claudit doxologia adorationis plena, quam ad Patrem dirigit, ad Spiritum S. & Filium *Pædagogum* hominum, & *Magistrum* (40).

XXI. Seculo III. Origenes (41) Christianas preces ad Christum dirigi vult velut inter ingenitam, genitamque naturam sequestrem efficacissimum, qui pro nobis Patrem deprecetur. Mediatoris autem munus fungitur Christus per utriusque naturæ proprietates. Ad hæc idem Origenes Christi cum Divinitatem, tum adorationem probat ex Apostoli *Epist. ad Romanos* (42). Arnobius (43)

(37) *Polycarpus Epist. ad Philipp. num. XII.* Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi; & ipse sempiternus Pontifex, Dei Filius Christus Jesus, ædificet nos in fide & veritate, & in omni mansuetudine, & sine iracundia, & in patientia, & longanimitate, & tolerantia, & castitate; & det nobis sortem & partem inter sanctos suos & nobis vobiscum, & omnibus, qui sunt sub Cælo, qui credituri sunt in Dominum nostrum Jesum Christum & in ipsius Patrem.

(38) *Smyrnenses Epist. ad Philomel. apud Euseb. Lib. IV. Cap. XV.*

(39) *Clemens Alex. Cohortatione ad Gentes.*

(40) *Idem ibid.* Gratias agamus, & gratias agentes laudemus unum Patrem & Filium, Filium & Patrem, Pædagogum & Magistrum Filium, una cum Sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia sunt unum, per quem est æternitas, cujus membra sumus omnes, cujus sunt gloria & secula, qui est undequaque bonus, undequaque pulcer, undequeque sapiens, undequaque justus: cui gloria nunc & in secula seculorum. Amen.

(41) *Orig. Contra Celsum Lib. III.* Preces offerimus Christo, tamquam mediatori inter omnem naturam genitam & ingenitam, qui nobis a suo Patre omnia beneficia deferat, & vicissim in morem Pontificis vota nostra ad summum Deum perferat.

(42) *Orig. Comment. Epist. ad Rom. Cap. X. Lib. VIII.* Apostolus in principio Epistolæ, quam ad Corinthios scribit, ubi dicit: Cum omnibus, qui invocant nomen Domini Jesu Christi, in omni loco ipsorum & nostro: eum, cujus nomen invocatur, Deum Jesum Christum esse pronuntiat. Si ergo Enos, & Moyses, & Aaron, & Samuel invocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, sine dubio Christum Jesum Dominum invocabant: & si invocare Domini nomen & adorare Deum,

(43) scribit id objecisse nostris Gentiles, quod Deos odissent, ut in Jesum Christum teterrimo, ac vilissimo crucis patibulo multatum *crederent*, *atque adorarent*. Cyprianus cum alibi sæpe Christum ut Mediatorem hominum orandum esse docet, tum in *Lib. de Bono Patientiæ* id ipsum probat ex illo Apost. *ad Philippenses Cap. II. Deus exaltavit illum*, *&* *donavit* &c. uti etiam ex iis Apocalypseos verbis: *Vide ne feceris*, *quia conservus tuus sum*, *&* *Fratrum tuorum*: *Jesum Dominum adora*: ut ipse legit hoc comma. Postremo quot non dedere insignia adorationis Christi monumenta celebres III. Seculi Martyres, qui jam jam morti proximi summa cum animi demissione, confidentiaque Jesum Christum invocabant, adprecabanturque ut Deum, utque benignum æterni præmii largitorem? Videsis apud Baronium Acta Glycerii (44), Olympii (45), Ampelii (46), Euplii (47), Dativi (48), aliorumque. Ex quibus jam illud constat trium priorum Seculorum Patres credidisse una λατρείας Latriæ adoratione utramque Christi naturam esse colendam, eo præsertim, quod nuspiam legas illorum quempiam distinxisse binas adorationes, alteram, qua Humanitatem, alteram, qua Christi Divinitatem venerarentur fideles.

XXII. Porro Patrum IV. & V. Seculi expressissima sunt testimonia contra Arianos, Apollinaristas, & Nestorianos disputantium, qui novitiis opinionibus, aut divinam Christi Naturam aut adorationem impetebant. Atque Athanasius cum primis id ipsum variis argumentis probat. Contendit enim (49) humanam naturam per Incarnationem Verbi propriam evasisse, proindeque Verbi ipsius cultum minime ab Humanitatis cultu esse dispescendum, sed ambas naturas una, eademque Latria esse colendas: appellatque Gentiles eos, qui ab carne Verbum secernunt, quo id adorarent: tum subdit: *Ubinam vero omnino impii illi separatim*, *ac per se Carnem invenient*, *quam Salvator suscepit*, *ut dicere audeant*: *Adoramus nos Dominum cum carne*: *sed dividimus corpus*, *&* *illi soli Latriæ cultu servimus*. Idem argumentum egregie pertractat Epiphanius (50) contra Aria-

Deum, unum atque idem est, sicut invocatur Christus & sicut offerimus postulationes Patri, ita offerimus gratiarum actiones Deo, ita gratias offerimus Salvatori. Unum namque utrique honorem deferendum, id est, Deo Patri, & Filio, divinus docet sermo; quum dicit: ut honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.

(43) *Arnob. Lib. I. Contra Gentes*.

(44) *Acta Glycerii apud Baron. ann. CCCI. num. XVIII.* Sum Christianus servus Christi, qui solus verus Deus est: unus est mihi Dominus, unus Rex: stans ad Orientem partim quidem Christo agit gratias.

(45) *Acta Olympii ap. Baron. anno CCLIX.* Gloria, tibi Christe, qui nos dignatus es cum Sanctis martyribus congregare.

(46) *Acta. Ampelii apud. Baron. anno CCCIII. num. LII.* Christe tibi laudes refero: exaudi Christe.

(47) *Acta Euplii ibid. num. CXLVIII.* Gratias tibi Christe: me custodi, qui propter te hæc patior. Adoro Christum, detestor dæmonia.

(48) *Acta Dativi ibid. num. XLIV.* O Christe Domine, non confundar: *&* *num. XLV.* Rogo, Christe, non confundar.

(49) *Athanas. Epist. ad Adelphium. Tom. I.*

(50) *Epiphan. Ancorat. §. LI.* Etenim purpura indutus Imperator adoratur. Utrumnam igitur purpura, an Imperator adoratur? Perspicuum est ipsum adorari Imperatorem: cum eo vero simul adoratur ea, quæ gestatur purpura. Quum autem hanc Imperator exuit, & suo loco reposuit, non amplius adoratur purpura. Sæpe autem accidit, ut Imperator Augustali, suoque in throno sedeat: & qui adoraturi veniunt, in Augustali, atque in throno Imperatorem adorent. Ubi autem Imperator assurrexit, nemo vel Augustale, vel thronum adorat. Nemo vero sic insanit, ut cum adorare velit Imperatorem in ipsius Augustali, dicere huic audeat, exi ab illo tuo Augustali, ut te adorem. Sic igitur nemo Unigenito dixerit: Depone corpus, ut adorem &c. Quin potius ipsum adorat cum corpore unigenitum, increatum cum templo facto, quod veniens assumpsit.

Arianorum calumnias Catholicos accusantium, quod Christi corpus mortale ab mortali Virgine genitum venerarentur; quos ille ex eo refellit, quod Corpus Christi Verbo ipsi proprium effectum non possit ab illo disjungi ab adorantibus. At Cyrillus disertis verbis testatur fuisse hanc constantem omnium Orientalium Patrum sententiam (51).

XXIII. Postremo Synodus Alexandrina, cui Cyrillus præfuit, unius Latreuticæ Christi adorationis vindex acerrima fuit: his enim verbis *ex Cyrilli Anathematism. VII.* Nestorium damnat: *Si quis audet dicere assumtum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere, conglorificari tamquam alterum cum altero (nam particula* cum *addita hoc cogit intelligi) & non magis una reverentia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod* Verbum caro factum est: *Anathema sit*. Quod decretum probavere deinceps Concilia Chalcedonense, Constantinopolitanum II. & Lateranense sub Martino (52). Hic autem illud advertas, nusquam Cyrillum, qui ejus sanctionis princeps auctor fuerat, ab obtrectatoribus suis Theodoreto, aliisque ob id reprehensum fuisse. Quæ mira confessio acerrimorum Cyrilli adversariorum illustre argumentum est, hanc tum fuisse omnium opinionem, unicum, eumdemque Latreuticum cultum Christo, secundum utriusque naturæ proprietatem, esse impertiendum. Neque vero ab Orientalibus dissensere Occidentis Patres. Ambrosius (53) in illud: *Adorate Scabellum pedum ejus*: Scabellum Verbi Corpus esse dicit, quod adorandum non secus, ac Verbum ipsum docet. Idem tradunt Augustinus, Rusticus Diaconus, atque Auctor Sermonis sub ejusdem Augustini nomine (54).

(51) *Cyrillus de Orientalib. in Enarrat. Anathem. VII. Tom. VI. Ubi Orientales ipsi fatentur:* Non se coadorari velle hominem Deo, tamquam duæ sint Hypostases, & personæ: aut tamquam duo intelligendi sint Filii: neque aliter adorationem carni, aliter Deo Verbo adhibendam putare. Ἀλλὰ μᾶλλον μίαν προσκύνησιν, ὡς τὰ λοιπά, ὡς ἑνὶ υἱῷ προσφέρομεν. Sed unam Adorationem sicuti cetera, uni Filio deferimus.

(52) *Synodus Chalced. Act. V. Synodus II. Constantinop. Can. IX. Collat. IX. Synodus Lateran. in Decret.* Si quis adoreri in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo, & semotim homini, aut si quis ad peremtionem carnis, aut ad confusionem Deitatis, & Humanitatia in unam Naturam, sive essentiam convenientium protense dicens, sic adorat Christum: sed non una adoratione Deum Verbum Incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est: talis Anathema sit.

(53) *Ambrosius Lib. III. de Spiritu S. Cap. XII.* Adorate Scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum est. *Mox Scabellum* Terram *esse dicit*. Per terram autem, *inquit*, Caro Christi, quam hodie quoque in Mysteriis adoramus, quam & Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt. Neque enim divisus Christus, sed unus: neque quum adoraretur, tamquam Dei Filius, natus ex Virgine negabatur.

(54) *Augustin. Enarrat. in Psalm. XCVIII.* Exponens autem mihi Scriptura quid sit Scabellum pedum ejus, dicit: *Terra autem Scabellum pedum meorum*. Anceps factus sum: timeo adorare terram.... Rursus timeo non adorare Scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit: *Adorate Scabellum pedum ejus*.... Fluctuans converto me ad Christum, & invenio, quomodo sine impietate adoretur Terra. Suscepit enim de terra terram: quia Caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit: inventum est quemadmodum adoretur tale Scabellum, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

Vide etiam Rusticum Diac. contr. Acephalos. & Serm. LXXVIII. inter August. Tract. in Joann.

CA-

CAPUT X.

De Sanctorum cultu, eorumque Imaginum et Reliquiarum Veneratione.

§. I. *De Sanctorum cultu antiquissimo apud Hebræos, & Christianos.*

I. Ex iis, quæ supra §. *I. Cap. IX.* de ἁγίᾳ sive Adorationis ipsius natura fusius disputavimus, intelligi facile potest, præter Deum, cui summus, independens, absolutusque cultus debetur, posse etiam Sanctos homines coli, observarique, qui quod propius ad Deum Immortalem illustribus virtutibus accessere, eo proximum ab Deo cultum demerentur, licet is σχετικὸς *relativus* sit, atque in ipsum Deum demum redundet. Si enim *Adoratio*, ut ea definita est ab Damasceno, est *Submissionis, atque honoris indicium*, hinc facile consequitur esse Sanctos aliquo cultu, adorationeque dignos, quos ob summas virtutes, quibus ceteris mortalibus præstitere, summum etiam honorem, dignitatemque apud Deum consequutos esse scimus. Adhæc Εὐσεβείας, vel Θρησκείας, quam nos *Religionem* dicimus, scopus unicus est Deus, quod non diffitemur. Deo enim unice addicti sumus: hunc unice colere, venerarique fas est, huic vota, precesque offerre, hunc semper adprecari necesse est, a quo conditi, eductique in lucem sumus, a quo etiam cumulatam bonorum omnium perfectionem præstolamur. At id non impedit, quominus, secundum Deum, alios etiam homines sanctitate insignes colamus, observemusque, quos Deo caros, amicos, devinctosque novimus tenacissimo caritatis vinculo. Sic enim objectum *Religionis* non scindimus: i. e. honorem Deo unice debitum hominibus non communicamus: sed solum homines, qui Deo placuere, propter Deum ipsum, honoramus; seu, ut rectius dicam, Deum ipsum in Sanctis suis adoramus. Atque hinc vetusti Patres hunc, quem Sanctis impertimus, cultum σχετικὸν *Relativum* esse, dicique voluerunt. Is enim in Deum ipsum, velut princeps objectum, demum *refertur*. Praeclare Augustinus (1) Christianos, qui Petrum Apostolum honorant, Deum ipsum honorare dixit: *Sumus enim*, inquit, *Christiani, non Petriani*.

II. Sed jam id ipsum ex veteri Hebræorum, Christianorumque praxi comprobemus. Atque ad antiqui Fœderis oracula quod spectat, cuique illa perlustranti, modo ne præjudicatis opinionibus abripiatur, id apprime constat, veteres Hebræos credidisse, esse medium quemdam cultum Divino minorem, civilique majorem, qui sanctis hominibus, sacrisque rebus impendi possit citra ullam intemeratæ Religionis jacturam. Hinc Psalmus XCVIII. *Adorate*, inquit, *Scabellum pedum ejus: quoniam Sanctum est*. Ubi *Scabellum Pedum Domini* κατὰ λέξιν Arcam Testamenti significat: uti id constat ex *I. Paralip. Cap. XXVIII. Ex Psalm. CXXXI.* & ex *II. Regum Cap. VI.* (2). Erat quippe in Arca Propitiatorium velut Dei ipsius solium duo-

(1) *Augustin. in Psalm. XLIV.* Ostendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto tibi ostendo memoriam Petri. In Petro quis honoratur, nisi ille defunctus pro nobis? Sumus enim Christiani, non Petriani.

(2) *Paralip. Lib. I. Cap. XXVIII. v. 2.* Quumque surrexisset Rex, & stetisset, ait: Cogitavi, ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca Domini, & Scabellum pedum Dei nostri. *Cetera loca vide prout superne indicantur.*

duorum Cherubinorum manibus sustentatum: atque ob id *Scabellum pedum Domini* appellari cœpta est. Hinc illud Psalmi ejusdem initio: *Qui sedes super Cherubim*. Jam vero cultus Arcæ Testamenti præscriptus neque plane Divinus est, neque ἁπλῶς Civilis. Neque enim Arca quidquam Divinitatis habuit; & vocula illa *Adorate* juxta Hebraicam vim Religiosam adorationem portendit: quandoquidem e vestigio additur: *Quoniam sanctum est*.

III. Præterea viri inter Hebræos non ignobiles sapientia, Sanctis Angelis cultum præstitisse leguntur. *Num. XII.* legimus: *Aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via: adoravitque eum pronus in terram*. Tum *Josue Cap. V.* ipse Josua, ubi vidit Angelum dicentem sibi: *Ego sum Princeps exercitus Domini: continuo cecidit pronus in terram, & adoravit*. Hæc autem Scripturarum loca, siquidem ingenue inspiciantur, medium illud Adorationis genus, Divinum inter, atque Civile apprime confirmant. Balaamo enim non secus, ac Josua persuasum erat, Angelum, quicum loquebantur, quemque adorabant, Deum minime esse: quandoquidem idem se illis ut Dei ipsius ministrum manifestarat. Neque vero plane Civilis fuit. Tum enim demum Balaam, ac Josua eum proni adorarunt, quum eumdem Dei Angelum esse compererunt.

IV. Patrum vero Christianorum religiosum Sanctorum cultum sive scriptis, sive exemplis docentium tot, tantaque sunt testimonia, tamque perspicua, ut nulla plane effugia, nulla diverticula iis declinandis reliqua sint recentibus Agiomachis. Nos e multis (est enim hæc Theologorum Sparta) perpauca proferemus. Ac primo Justinus M. *Apol. II.* ubi omnium velut Christianorum partes agit, doctrinamque eorum, & mores ab Gentilium calumniis vendicat, hæc scribit: *Profitemur quidem nos talium Deorum, qui habentur, esse expertes, & Atheos. Sed non verissimi illius Dei, Patris videlicet Justitiæ, & Castitatis, & virtutum aliarum, & ab omni vitiositatis commixtione, & labe alieni. At hunc ipsum, & ab eo profectum Filium, a quo ista perdocti sumus: nec non aliorum ipsum sequentium, & ad ejus conformatorum similitudinem, bonorum scilicet Angelorum exercitum; Spiritum quoque Propheticum colimus, & adoramus cum ratione, & veritate adorantes, atque unicuique noscere, atque discere volenti, pro eo, ac edocti sumus, candide hæc tradentes*. Non me latet nostrorum temporum Agiomachos longe aliter græcum Justini locum interpretari: sed iis confutandis infernam paginam destinamus (3). Interim advertas Justinum hic *Adorationem* latius accepisse pro quovis

(3) *Ergo, ut ne ab antiquissimo scriptore aliquo cultu sanctos Angelos dignos habitos fuisse videant illi, hunc in modum Justinum latinum reddunt*. Verum hunc ipsum (*Patrem scilicet*) & qui ab eo venit, atque ista nos, atque aliorum obsequentium, exæquatorumque (ad voluntatem ejus) bonorum Angelorum exercitum docuit, Filium, & Spiritum Propheticum colimus, & adoramus. *Qua ex versione sequitur Justinum minime credidisse esse Angelos colendos, sed eos, non secus, ac homines ab Christo edoctos fuisse. Atqui qui Græce vel tantulum sapit, facile per se intelliget minus consentaneam esse hanc interpretationem, atque ab Justini mente alienam. Græca enim sic sonant*: Ἀλλ' ἐκεῖνόν τε καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα καὶ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα, καὶ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων καὶ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν Ἀγγέλων στρατὸν, Πνεῦμά τε τὸ Προφητικὸν σεβόμεθα, καὶ προσκυνοῦμεν. *Quæ sic ad verba reddi possunt, ac debent*. Sed & hunc ipsum, (*Patrem*) & ab eo Filium venientem, & nos talia docentem, & exercitum aliorum bonorum Angelorum ipsum sequentium, & ipsi conformatorum, & Spiritum Propheticum colimus, & adoramus. *Atque hanc præ illa versionem rectiorem esse hæc suadent. Nam 1. Justinus objecta, quod ajunt, Christianæ adorationis recensens, ea per articulum græcum exprimit*: Ἀλλ' ἐκεῖνόν τε καὶ τὸν υἱὸν . . . καὶ τὸν τῶν Ἀγγέλων στρατὸν, Πνεῦμα τε τὸ, &c. *quorum verborum vim Italicus plane sermo assequitur hoc pacto*. „ Ma „ ed il Padre, ed il Figlio, che tali cose a noi insegnò, e l' esercito de' buoni Angioli, e lo „ Spirito Profetico noi adoriamo. „ *Quam quidem veram esse germanamque Justini mentem ipsa Græcorum verborum structura, ratioque indicat. 2. Non satis caussæ videtur, cur inter homines ab Christo edoctos, bonos etiam Angelos recenseat Justinus. Neque enim satis perspicue intelligi potest, qui tandem Christus Angelos quoque docuerit, præsertim si hæc Gentilibus dicantur, quibuscum Justino res tum erat. Ergo omnino statuendum est, Justinum aliquem Angelis etiam cultum adjudicasse. At* enim

vis cultu, five Latreutico, quo fummum Numen profequimur, five *σχετικῷ Relativo*, quo Sanctos colimus. Illud tamen certum eft, hunc vetuftiffimum Chriftianorum Apologiftam dignos aliqua adoratione fanctos Angelos cenfuiffe.

V. Smyrnenfes Epiftolam fcripfere ad Philomelienfes, quam etiam ad finitimos circa populos perferri imperant, ubi Beati Polycarpi Martyrium defcribunt (4), narrantque Judæos homines Chriftianis infenfos fategiffe, ut Quadrato Proconfuli fuaderetur, ne per eum jus effet, atque poteftas Chriftianis Polycarpi offa colligendi, *ne forte*, ut ajebant, *relicto Crucifixo, hunc deinceps colere inciperent*. Huic vero accufationi, ut refpondeant Smyrnenfes, *Stulti*, inquiunt, *qui ignorarent nos nec Chriftum umquam poffe relinquere, qui pro falute omnium mortem pertulerit; nec alium quemquam colere σέβειν. Illum enim, utpote Filium Dei adoramus: Martyres vero, ut difcipulos, & imitatores Domini merito honore profequimur*: τοὺς δὲ Μάρτυρας ὡς μαθητὰς τοῦ κυρίου καὶ μιμητὰς ἀγαπῶμεν ἀξίως. Jam vero fi Smyrnenfibus id perfuafum fuiffet, quod Agiomachis, Sanctos fcilicet nullo cultu, nulla veneratione effe colendos, næ facile Judæorum calumnias declinaffent, fi dixiffent, nulla prorfus adoratione profequi fe gloriofos Chrifti Athletas: quod cum non fecerint, contraque etiam palam profeffi fint ἀγαπᾶν *colere* fe Chrifti Athletas, hinc facile apparet Sanctorum cultum vetuftiffima etiam Chriftianorum praxi obtinuiffe.

VI. Origenes III. Seculi fcriptor *Hom. III.* quum Martyrum mentionem injeciffet: *Horum*, inquit, *memoria*, *femper*, *ut dignum eft*, *in Ecclefia celebratur*. Eufebius Cæfareenfis *Lib. XIII. Præparat. Euang. Nos*, inquit, *quotidie id factitamus: Nam vera pietatis milites*, *ut Dei amiciffimos honoramus*. Cyrillus Alexandrinus adverfus Julianum, qui Chriftianos, quod Martyres colerent, objurgabat, irridebatque, velut fi eos pro Diis haberent, difertis verbis docet alio cultu ab Chriftianis fanctos homines coli, alio Deum ipfum adorari; hunc eos λατρείᾳ *Latria* profequi, fummo fcilicet, præftantiffimoque adorationis genere, illos vero colere τιμητικῶς καὶ σχετικῶς *honorifice*, ac *relative*, qui medius cultus eft inter Divinum, & Civilem (5). Gregorius Nazianzenus *Orat. I.* contra eundem Julianum rem narrat prorfus mirabilem: impium fcilicet Apoftatam, cum Martyrem quemdam adprecaretur, ab eo rejectum palam fuiffe: tum exclamat: *O infignem Martyrum inter fe caritatem! honorem illius recufarunt, qui multos Martyres contemtui habiturus erat*. His addas Proclum Gyzicenum, & Auctorem Serm. II. de SS. Apoftolis Petro, & Paulo (6).

VII. Præterea non leve eft argumentum Adorationis Sanctis hominibus præftandæ, vetuftiffima illa Ecclefiæ praxis Sanctos invocandi, rogandique. Eft enim invocatio adorantis, reverentifque animi indicium. Ac primo fuit id majoribus noftris perfuafum, Angelorum, Sanctorumque Martyrum animas Deo conjunctas, æter-

enim minus confentaneum videtur, ac Juftino dignum, Angelorum cultum Filii, ac Spiritus Sancti adorationi accenferi. Atqui propofiti ipfius ratio, ut id ita fieret, poftulabat. Quum enim paulo ante dixiffet minime ab noftris coli falfos Deos i. e. malos Dæmones illud confequi videbatur, ut quoniam Ecclefia non omnes omnino Angelos rejeciffet, bonorum etiam mentionem injiceret, quos noftri venerabantur quidem, fed non fummo, ac Latreutico cultu, utpote Dei ipfius, Chriftique Miniftros. Vide Petav. Lib. XV. de Incarn. Cap. V.

(4) *Eufeb. Hiftor. Ecclef. Lib. IV. Cap. XV.*

(5) *Cyrillus Alex. Lib. V. contra Julian.* Neque Deos effe nos putamus fanctos Martyres: nec eos adorare confueviffe, illo videlicet adorationis genere, quod *Latria* dicitur; fed relative, & honorandi ritu. Quin potius illos fupremis ornamus honoribus, tamquam eos, qui generofe pro veritate certarunt.

(6) *Proclus Gyzicenus p.* 108. Adoratur & Maria, quoniam mater facta eft, & ancilla.

Auctor Serm. II. de Sanctis Petro, & Paulo inter opera Auguftini, & Ambrofii: Concurrere debemus ad Domum Dei .... reddere illis honorificentiam, qui nobis falutem effufione fanguinis fui pepererunt, &c. Quifquis ergo honorat Martyres, honorat & Chriftum: & qui fpernit Sanctos, fpernit Chriftum Dominum.

æternaque beatitate potitas posse precibus suis, suaque intercessione militantibus Christianis opem ferre, eisque Deum clementiorem reddere. Origenes (7) docet, Sanctos Angelos, ac Martyres, utpote Dei *amicos* Deum ipsum propitium nobis efficere, ac nobiscum una simul postulare, adprecarique. Cyprianus (8) ad Cornelium Romanum scribens veluti cum eo paciscitur, ut uter eorum prior per gloriosum Martyrium ad Deum convolarit, pro altero, reliquisque fratribus *apud Patris misericordiam oret*. Hoc vero semel posito, jam illud etiam consequitur credidisse veteres Patres dignos esse beatos cælites, qui invocentur, colanturque ab hominibus. Hinc tot odæ, atque hymni in Sanctorum laudes conscripti, quibus eorum auxilium, intercessioque expostulatur. In quo quidem genere facile omnes præstitere inter Occidentales Paulinus Nolanus (9) atque Prudentius (10) qui sæpe eleganti carmine Sanctos invocant, rogantque. Hinc frequentes illæ apostrophæ ad Sanctos Martyres in vetustissimorum Patrum Panegyricis, quibus eos sibi, ceteroque populo Christiano propitios efflagitant, quod sæpe præ reliquis fecere inter Occidentales Augustinus (11), inter Orientales vero Gregorius Nyssenus (12), Nazianzenus, atque Asterius Chrysostomo coævus (13). Hieronymus etiam *Epist.*

Pp 2 XXVII.

(7) *Orig. Lib. VIII. contr. Celsum*: Ex eo quod conciliatur nobis summus Deus, consequens est, ut & benevoli reddantur nobis omnes illius amici, Angeli, animæ, ac spiritus. Habent enim sensum eorum, qui Dei benevolentia digni sunt, ac bene sunt affecti: sed & omnibus opitulantur, qui summum colere Deum cupiunt, quem & propitium reddunt, & cum iis communiter precantur, ac simul postulant.

(8) *Cyprian. Epist. LVII. ad Cornel. P.* Cognovimus, frater carissime, memores nostri invicem simus, concordes, atque unanimes: utrobique pro nobis semper oremus: pressuras, & angustias mutua caritate relevemus. Et si quis istinc nostrum prior divinæ dignationis celeritate præcesserit, perseveret apud Dominum nostra dilectio. Pro fratribus; & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.

(9) *Paulinus Nolanus Nat. II. de Sancto Felice M.*

O felix Felice tuo tibi Præsule, Nola,
Inclyta cive sacro, cælesti firma patrono.
Sis bonus o, felixque tuis; Dominumque potentem
Exores; liceat placati munere Christi,
Post pelagi fluctus, mundi quoque fluctibus actis,
In statione tua placido consistere portu.

(10) *Prudent. Hymn. V. de S. Vincentio.*

Adesto nunc, & percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum Patris.
Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Incliner aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet.

(11) *S. August. Serm. XCVI.* Et ideo conversi mecum deprecemur beatissimum martyrem Christi, ut mentis ipsius nobis imploret coronam in vita perpetua, ut eum eo simus in seculorum secula.

Addas Serm. LCIV. Ambo ibi vos videtis, ambo vos sermonem nostrum auditis, ambo pro nobis orate: ambos vos exaudiet, qui vos coronavit.... Orationibus suis commendent nos, ut quietam, & tranquillam vitam impetrent Ecclesiæ Domini sui.

(12) *Gregorius Nyss. Orat. de S. Theodoro:* Nos enim quod incolumes sumus servati, tibi acceptum referimus. Postulamus autem & futuri securitatem temporis. Quod si majori advocatione, & intercessione opus est, fratrum tuorum martyrum chorum congrega; & cum omnibus deprecare. Multorum justorum orationes, populorum, & multitudinum peccata dissolvunt. Admone Petrum: excita Paulum; nec non Joannem Theologum, & dilectum discipulum, ut pro fundatis a se Ecclesiis solliciti sint, pro quibus catenas gestarunt.

(13) *Greg. Nazian. Orat. XVIII. de S. Cypriano*: Tu vero nos e Cælo benignus aspice, & orationem nostram, & vitam guberna.

Asterius Amasenus in Encom. Martyrum testatur Christianas matres, ut ægrotantibus filiis salutem

XXVII. quæ est Epitaphium Paulæ, hanc ipsam invocat, ejusque se cultorem dicit. *Vale*, inquit, *o Paula*, *& cultoris tui ultimam senectutem orationibus juva. Fides*, *& opera tua Christo te sociant. Præsens quod postulas*, *facilius impetrabis*. Denique omnes fere IV. & V. Seculi Patres verbis disertissimis Sanctorum invocationem commendant, populisque inculcant, quorum singula loca exscribere operis esset prope immensi. Egregie more suo Leo Magnus Sermone in Natalem SS. Petri, & Pauli: *Sicut autem*, *& nos experti sumus*, *& nostri probavere majores*, *credimus*, *atque confidimus*, *inter omnes labores istius vitæ*, *ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium Patronorum orationibus adjuvandos*, *ut quantum propriis peccatis deprimimur*, *tantum Apostolicis meritis erigamur*.

VIII. Sed age hunc ipsum Sanctorum cultum tribus argumentis comprobemus ab ima antiquitate, vetustaque Ecclesiæ politia petitis. I. enim certum est omnes fere calumnias, quibus nos impetunt septemtrionales Agiomachi, jam olim ab Gentilibus primo, mox ab hæreticis in veteres Patres congestas fuisse. Recentes hi Agiomachi Romanam, Catholicamque Ecclesiam magno tumultu, ac prorsus dementibus clamoribus accusant, quod tot pene Deos colat, quot sunt Martyres, tot habeat Idola, quot Sanctorum Imagines. Atqui id ipsum quondam nostris Eunapius Gentilis auctor (14) & Julianus Apostata apud *Cyrill. Lib. VI. contr. Jul.* objecit: id ipsum Manichæi, teste Augustino (15), Eunomiani, Eustathiani, aliique. Patres vero, non quod illi vellent, abolenda sanctorum nomina, frangendas imagines, spargendas ventis sacras Reliquias censuerunt, sed, quod nunc omnes Catholici profitemur, hanc unam Gentilibus, Hæreticisque confutandis rationem iniere, ut constanti sententia dicerent colere se Sanctos homines, non ut Deos, sed ut Deo amicos, potentesque nostrarum calamitatum deprecatores, cultu non quidem Latreutico, sed σχετικῷ *Relativo*, seu media illa adoratione civilem inter, divinamque. Sic Gentiles Theodoretus confutat (16). Sic Manichæos Augustinus (17). Sic Vigilan-

lutem impetrarent, *Martyrem quemvis adire solitas fuisse*: Ad unum, *inquis*, martyrum accedens per illud postulationem suam affert Domino; hujusmodi mediatorem vocibus interpellans: tu qui propter Christum passus es, intercede pro passione, & morbo.... Tu ipse quoque Martyres aliquando rogasti, antequam fieres Martyr.

(14) *Eunapius Sardianus in Vit. Ædesii*: Atque hos ipsos Monachos etiam Canobi collocarunt, hominum ad hoc alligantes mentes, ut pro intelligibilibus Diis, mancipiorum, ac ne illorum quidem proborum, cultum susciperent: quippe illi capita quorumdam colligentes, qui scelerum convicti, & publico judicio pœnis addicti fuerant, hos Deos faciebant, & ad eos advolventes sese Numinum instar habebant, ad ipsorum sepulcra polluti. Hos vero Martyres appellabat, & Ministros ac Legatos, qui supplicum preces ad Deos perferrent, servitia cum fuerint improba, & infida, flagrisque pessime concisa; quæ nequitiæ suæ cicatrices in suis idolis circumferebant, atque hujusmodi Deos nihilominus terra parturit.

(15) *Manichæi ap. August. Lib. XX.* Sacrificia eorum (*Gentilium*) vertistis in dapes, idola in martyres; quos votis similibus colitis, defunctorum umbras vino placatis, & dapibus: sollemnes gentium dies cum ipsis celebratis, ut calendas, & solstitia. De vita certe mutastis nihil. Estis sane schisma, a matrice sua diversum, nihil habens nisi conventum.

(16) *Theodoretus Serm. VIII. contra Gent.* Nos, o Viri, (*Gentiles*) nec sacrificia, nec libamina Martyribus afferimus: sed eos tamquam divinos, & Deo caros honoramus. Tanto enim Creatorem, Salvatoremque suum amore prosecuti sunt, ut jugulari pro ipso optabile duxerint.

(17) *Augustinus Serm. CX. de diversis*: Nos Martyres nostros, quibus illi (*Gentilium Dii*) nulla ex parte sunt conferendi, pro Diis non habemus, non tamquam Deos colimus. Non eis templa, non eis altaria, non sacrificia exhibemus, non eis Sacerdotes offerunt. Absit: Deo præstantur, immo Deo ista offeruntur, a quo nobis cuncta præstantur: etiam apud memorias sanctorum Martyrum cui offerimus? nonne Deo? Habent honorabilem locum Martyres sancti; advertite. In recitatione ad altare Christi loco meliore recitantur; non tamen pro Christo adorantur.... Quando audistis dici apud memoriam sancti Theogenis, offero tibi Petre, aut offero tibi Paule? Nunquam audistis, non fit, non licet: & si dicatur tibi, numquid tu Petrum colis? Responde: quod de Fructuoso respondit Eulogius: ego non colo Petrum, sed colo eum, quem colit & Petrus. Tunc te amat.

gilantium Hieronymus (18). Quæ cum ita sint, jam illud per se consequitur, veteres Patres non solum Sanctorum cultum non deseruisse, cum ob id ipsum ab Gentilibus, atque Hæreticis incusarentur, sed etiam contra eorum calumnias strenue diluisse, idque iis ipsis argumentis, quibus usi sunt recentiores inter nos Theologi.

X. 2. Plenæ sunt Ecclesiasticarum Historiarum chartæ, pleni Patrum libri ingentibus, stupendisque miraculis, quæ ut ad Martyrum sepulcra, eorumque intercessionem fierent, identidem concessit Deus. Post divinam corporum SS. Gervasii, atque Protasii inventionem, quæ Mediolani contigit Ambrosio eam regente Ecclesiam, cui etiam per somnium delitescentium Martyrum divinitus innotuit locus, cum ingens Dæmoniacorum multitudo liberata est, tum cæcus aciem oculorum recuperavit, quod ipse Augustinus (19) vidit, memoriæque prodidit. Plura etiam miracula narrat idem Augustinus *Lib. XXII. de Civitat. Dei Cap. VIII.* per contactum Reliquiarum S. Stephani patrata. Plura Paulinus Nolanus (20) effecta per intercessionem S. Felicis Martyris. Plura Ambrosius ab SS. Nazario, & Celso, Vitali, & Agricola: ut merito dixerit longe ante Hilarius *Libro contra Constantium*, esse, quod ipsis Gentilibus tyrannis gratularentur Christiani: illorum quippe sævitia factum est, ut innumera beneficia per Martyrum intercessionem in militantem Ecclesiam redundarent: *Plus crudelitati vestræ*, inquit, *Nero, Deci, Maximiane, debemus: Diabolum enim per vos vicimus: sanguis ubique beatorum Martyrum exceptus est: dum in his Dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, dum admirationum opera cernuntur*. Atqui tot miracula, tam frequentia, nulloque umquam tempore intermissa quamdam quasi Dei ipsius attestationem continent ejus cultus, quem præluit olim, hodieque sanctis præstat Catholica Ecclesia. Sunt enim miracula, maxime si frequentia sint, si assidua, si supra naturæ vires, veritatis ipsius argumentum firmissimum.

X. 3. Consuevere Patres antiquissimi cum scriptis, tum synodalibus sanctionibus irrepentes sensim in Martyrum cultum abusus corrigere, atque abolere. Hinc primo cautum diligenter fuit, ut spuriæ ab genuinis Reliquiæ discernerentur, neque Pseudo Martyres adorarent Christiani, quod jussit cum primis Synodus Laodicena (21) antiquissima. Martinus quoque Turonensis Episcopus aram demolitus est Martyri incerti nominis dicatam, quum divinitus ei innotuisset Latronis scelerati cor-

(18) *Hieron. contra Vigilantium:* Quis enim, o insanum caput, aliquando martyres adoravit? quis hominem putavit Deum? Nonne Paulus, & Barnabas cum Lycaonibus Jupiter, & Mercurius putarentur, & eis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta sua, & se homines esse dixerunt? Non quod meliores non essent olim mortuis hominibus, Jove, atque Mercurio: sed quod sub gentilitatis errore honor eis Deo debitus deferretur, *&c.*

(19) *August. de Civit. Dei Lib. XXII. Cap. VIII.* Miraculum quod Mediolani factum est, cum illic essemus, quando illuminatus est cæcus, ad multorum notitiam potuit pervenire, quia & grandis est civitas: & ibi erat tunc Imperator, & immenso populo teste res gesta est, concurrente ad corpora martyrum Protasii, & Gervasii, quæ cum laterent, & penitus nescirentur, Episcopo Ambrosio per somnium revelata reperta sunt: ubi cæcus ille, depulsis veteribus tenebris, diem vidit.

(20) *Paulinus Nat. XI. de S. Felice:*

Nam divina manus medica virtute per omnes
Est illic operata vias, qua corpora sancta
Impressere sacrn vestigia viva meatu . . . .
Ex illo sacri cinere, quasi semina vitæ,
Diversis sunt sparsa locis: quaque osse minuto,
De modica sacri stipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic pia gratia fontes
Et fluvios vitæ generavit gutta favillæ.

(21) *Conc. Laodic. Can. XXVIII.* Quod omnem Christianum non oporteat deserere Martyres Christi, & ire ad pseudomartyres, id est hæreticorum, & quos ipsos constet hæreticos exstitisse; hi namque sunt alieni a Deo; sint igitur anathema qui ad tales accesserios.

corpus ibi conditum esse, quod fuse narrat Severus in ejus vita (22). Patres vero ad unum omnes docent, non esse quorumvis Sanctorum Reliquias indiscriminatim colendas, sed eas modo, quorum certa constat auctoritas. Quod proprie Martyres *Vindicare* dixit Optatus (23) per Episcopi scilicet diligentem inquisitionem, approbationemque. Deinde vero eccui Patrum gravissimorum non improbatæ fuerunt intemperantes epulæ, comessationes, nundinationesque ad Martyrum memorias fieri solitas? De quibus nos plura etiam supra scripsimus Cap. V. Ac gravis sane est Gregorii Nazianzeni *Orat. IV.* in has corruptelas sententia: *Festum*, inquit, *diem agamus, Fratres, non corporis nitore, neque vestitus commutatione, ac magnificentia, non comessationibus, & ebrietatibus, quarum fructus cubilia, & impudicitias esse didicistis: neque vicos floribus coronemus: neque vel mensas unguentorum fœditate, vel vestibula ornemus: non aspectabili domus igne splendescat, non tibiarum concentibus, aut plausibus indecore personet. Hæc quippe lex est Græcanicorum solemnium. Nos autem non ad hunc modum Deum honoremus: sed animæ splendore, ac lucernis totum Ecclesiæ corpus illuminantibus*. Jam vero ipsi hi Patres, qui vehementibus sæpe argumentis hos abusus insectati sunt, ne uno quidem verbo improbarunt umquam, reprehenderuntque Christianos, quod sanctos homines secundùm Deum colerent, quod eos invocarent, quod eorum se fidei commendarent, quod eos cultu etsi non Latreutico, Relativo certe, ac δουλείας prosequerentur. Atqui si recentes consulas Agiomachos, is abusus est prorsus non ferendus.

§. II. *De usu, cultuque Sanctarum Imaginum in veteri Ecclesia.*

XI. Si cui mirum videatur tribus prioribus Ecclesiæ Seculis nullas aut fere nullas Sanctorum Imagines fuisse, is illud sedulo perpendat, esse Sanctas Imagines ex eorum genere, quæ ἀδιάφορα vocitant Theologi i. e. *Indifferentia*, quæ scilicet salva Religionis ipsius ἐν τῇ *substantia* omitti, adsciscique possunt, prout e re Christianorum publica existimantur. Hinc, quandoquidem per tria priora Ecclesiæ Secula undequaque alte radices defixerat pagana Gentium superstitio Idola, turpiumque Deorum simulacra adorantium, majoribus nostris utile, neque abs re visum fuit, ab pictis sanctorum hominum imaginibus, quoad ejus fieri poterat, abstinere, ne si qui Gentilium recens conversi Jesu Christo nomen darent, hi nefario Idolorum cultui assueti, pari ritu, rationeque sanctas etiam imagines venerarentur. Hinc raro imaginibus usi sunt, aut si quas imagunculas pinxere Christi, aut sanctorum Apostolorum, Martyrumve vultus referentes, eæ privatæ erant, clamque asservatæ sunt, non publicis in templis expressæ: eo sane consilio, quo primo Decalogi præcepto Judæis omnes omnino imagines vetitas fuisse docuit Tertullianus (24): *Propter hanc*, inquit, *caussam ad eradicandam scilicet materiam Idololatriæ lex divina proclamat: Ne feceris Idolum*. Verum ubi, pace nostris per Constantinum Magnum parta, de ipsa Paganorum Idololatria veluti triumphum egit Ecclesia, statim usus Imaginum increbrescere cœpit, eæque cultu etiam religioso affectæ sunt.

XII. Quamvis vero infrequentes per primas illas Christianismi ætates imagines fuerint: in ipsa tamen antiquitate non-

(22) *Severus in Vit. Beat. Mart. Cap. VIII.*

(23) *Optat. Milevit. Lib. I.* Per Lucillam nescio quam feminam factiosam, quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia, cum correctionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset; quæ ante spiritualem cibum, & potum, os nescio cujus Martyris, si tamen Martyris, libare dicebatur, & cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, & si Martyris, sed nec dum vindicati, correpta, cum confusione, irata discessit.

(24) *Tertull. de Idololatria Cap. III.*

nonnulla vestigia ostendere licet ejus praxis, quam demum palam IV. Seculo amplexa est Ecclesia. Ac primo statua illa ab Syrophœnissa Christo erecta illustre suppeditat argumentum non esse prorsus imagines Christianis interdictas. Illa enim quod per Christum ab sanguinis profluvio liberata fuerat, ut accepti beneficii perennis apud posteros extaret memoria, æream ipsius Servatoris statuam erigi curavit, quæ quarto etiam Seculo visebatur. Ad hæc miraculum etiam monumento accessit. Herba quippe insuitatæ formæ juxta statuæ ipsius pedes nascebatur, quæ ubi fimbrias Pallii statuam ipsam obtegentis contigerat, statim velut vim capiebat omnes morbos curandi. Hæc Eusebius, qui & ipsam statuam viderat (25). Tum Philostorgius addit ejusdem statuæ ab Gentilibus per ignominiam confractæ fragmenta collegisse diligenter Christianos, atque in Ecclesiæ Diaconico composuisse, quo multi confluebant colendi, visendique gratia tantum Christianæ religionis monumentum (26).

XIII. Jam vero ex hac historia tria plane constant. 1. Quamvis Eusebius dicat hanc Christo statuam posuisse Syrophœnissam ἐθνικῇ συνηθείᾳ *gentili quadam consuetudine*, qua benefactores suos, quicumque ii demum essent, cultu, atque honore prosequebatur: idem tamen Eusebius sat perspicue indicat, Christianos etiam illam præcipuo quodam cultu veneratos esse, a minori, quod ajunt, ducto argumento. Statim enim subdit Cathedram etiam Jacobi Apostoli ab Fidelibus singulari religione ad sua usque tempora asservatam, cultamque fuisse (27), quod præter occasionem subdidisset, nisi ei constitisset Syrophœnissæ statuam ab Christianis quoque honore affectam fuisse. 2. Miraculum herbæ ad pedes Christi statuæ pullulantis, morborumque genera omnia sanantis satis per se commonstrat, non esse damnandas, neque divina lege interdictas Imagines. 3. Quarto Seculo non solum ab cultu Imaginum non abhorruisse Fideles, sed earum etiam Reliquias confractas, disjectasque collegisse diligenter, & conservasse.

XIV. Deinde vero plura extant monumenta, quibus colligitur, vetustissimos etiam Christianos aliquas Imagines habuisse quamvis rudes, inelegantesque, Christi tamen, Apostolorum, Martyrumve vultus exprimentes. Hinc, quod Christiani depictam in calicibus habebant imaginem Pastoris illius, cujus fit in Euangelii mentio, ut ita ostenderent esse aliquam mœchis spem veniæ, siquidem legitima pœnitentia essent perfuncti, hinc, inquam, Tertullianus jam Cataphrygarum fascinatus incantationibus graviter Catholicos objurgat *Lib. de Pudicitia Cap. X. Cui ille*, inquit, *si forte patrocinabitur Pastor, quem in Calice depingis* (*prostitutorem & ipsum*) *Christiani Sacramenti, merito & ebrietatis idolum, & mœchiæ asylum post calicem subsequuturæ, de quo nihil libentius bibas, quam ovem pœnitentiæ secundæ. At ego ejus Pasto-*

(25) *Euseb. Cæsar. Lib. VII. Histor. Eccles. Cap. XVIII.* Quippe juxta januam illius (*Syrophœnissæ*) ænea mulieris effigies stare dicitur columnæ lapideæ imposita genibus flexis, protensisque manibus instar supplicantis. Ex adverso autem effigies viri ex eodem metallo conflata, stantis, ac diploide decenter induti, manumque mulieri porrigentis. Ad cujus pedes in ipsa basi ignota quædam nasci dicitur planta: quæ ad fimbriam usque æneæ diploidis assurgens depellendis omnis generis morbis præsentissimum remedium est. Hanc statuam Jesu Christi speciem referre ajebant. Mansit porro ad nostra usque tempora, nosque adeo urbem illam ingressi ipsam conspeximus.

(26) *Philostorgius Lib. VII. Cap. III.* Statuam vero in Diaconico Ecclesiæ collocarunt competentem ei curam, atque observantiam deferentes . . . . observandi caussa ad eum locum cupide adventant, amorem ipsius Archetypi declarantes.

(27) *Euseb. Lib. VII. Cap. XIX.* Sane & Jacobi illius cathedram, qui primus Hierosolymorum Episcopus ab ipso Servatore, & ab Apostolis est constitutus, & quem Fratrem Domini cognominatum fuisse, divina testantur volumina, ad nostra usque tempora conservatam fratres illius Ecclesiæ jam inde a majoribus magna prosequuntur reverentia: satis perspicue declarantes, qualiter tum antiquiores, tum nostri temporis Christiani, viros Sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt, & hactenus venerantur. Sed de his satis.

floris scripturam haurio, qui non potest frangi. Quæ sane verba imaginem Christi Pastoris habitu pinxisse veteres ostendunt. Tum Ælius Lampridius in vita Alexandri Severi narrat, Imperatorem hunc in Larario suo Imagines habuisse Christi, & Abrahæ. Atqui profecto, uti quomodo pingi oporteret Abraham, ab Judæis d dicit, ita quomodo pingendus foret Christus ab unis Christianis potuit edoceri Severus. Hoc ipsum vero, quod narrat Lampridius, subindicare etiam videtur Eusebius *Lib. VII. Histor.* ubi testatur consuevisse & ipsos Gentiles Imperatores Christi imagines exprimere (28). Ex quo illud plane conficitur, tribus etiam prioribus Seculis Imaginum usum obtinuisse.

XV. Id autem, quod Tertulliani, Lampridii, atque Eusebii testimoniis evicimus, ipsa etiam Ecclesiastica monumenta luculenter ostendunt. Repertæ quippe sunt nostra etiam ætate in subterraneis Cœmeteriorum cryptis, Romanisque præsertim Catacumbis infinitæ propemodum imagunculæ, quas nitidissimis tabulis incisas, descriptasque edidere viri insignes Aringhus in *Roma subterranea Tom. I.* Bottarius, aliique. Hos autem Auctores consulendi si cui lubido sit, atque facultas, facile deprehendet Imagines quamplures, quæ secundum, ac tertium Seculum sapiunt. In earum una Pastorem videas ovem succollantem, alteramque ad pedes porro agentem. In Lucerna item Pastor visitur ovem humeris gestans. Agnus præterea præ se inter pedes Crucem ferens: quæ Christi figuræ sunt. Ad hæc Imagines Petri, & Pauli plerumque conjunctim depictæ, tum Ss. Martyrum Cypriani, Justi, Laurentii, Damæ, cujus est in Epistolis Pauli mentio, aliorumque. Quæ monumenta plane ostendunt, antiquissimos Christianos Imagines & habuisse, & coluisse.

XVI. Ad IV. vero, & V. Seculi Patres quod attinet, tanta est eorum in stabiliendo, inculcandoque sanctarum Imaginum usu, atque cultu consensio, ut ne ipsi quidem Agiomachi eorum auctoritatem sustinere potuerint: quare nos ad tria priora Secula provocant; quasi vero quarto, quintoque omnis Ecclesiæ auctoritas penitus interciderit, aut nulla etiam primis illis ætatibus monumenta occurrant, eorum refellendis commentis satis firma, uti supra a nobis demonstratum est. Ergo, quoniam id in dubium revocari nequit, duo hic observabimus. I. Veteres Patres Sanctarum Iconum usum non solum legitimum credidisse, sed etiam utilem, atque opportunum edocendis, excitandisque rudium præsertim hominum animis. Gregorius Nyssæ Episcopus tum *Orat. de Deitate Filii, & Spiritus S.* Abrahami meminit, ejusque sacrificii in tabulis depicti, atque ad ejus se picturæ conspectum magnam vim lacrymarum profudisse testatur, tum *Orat. de S. Theodoro* hujus Martyris Ecclesiam vario picturarum genere exornatam describens: *Solet*, inquit, *pictura tacens in pariete loqui, & maxime prodesse*. S. Paulinus *Epist. XII. ad Severum* SS. Trinitatis effigiem musivo opere pictam commemorat (29), caussamque ejus rei affert, quod *Picturæ Librorum instar sint*. Nilus Abbas Chrysostomi discipulus Olympiodoro Præfecto, qui Basilicam fundarat, data eidem Epistola suadet, ut illam picturis exor-

(28) *Idem ibid. Cap. XVIII.* Non vero mirandum est, Gentiles a Servatore nostro beneficiis affectos hæc præstitisse; cum & Apostolorum Petri, ac Pauli, Christique ipsius pictas Imagines, ad nostram usque memoriam servatas, in tabulis viderimus. Quippe prisci illi absque ullo discrimine cunctos de se bene meritos gentili quadam consuetudine tamquam Servatores colere hujusmodi honoribus consueverant. Sane & Jacobi illius Cathedram &c.

(29) *Paulinus Nolanus Epist. XXXII. ad Severum Sulpicium*:

Pleno coruscat Trinitas mysterio:
Stat Christus agno: vox Patris de Cælo sonat:
Et per columbam Spiritus Sanctus fluit.
Crucem corona lucido cingit globo;
Cui coronæ sunt corona Apostoli.
Quorum figura est in columbarum choro.

exornet: *Ut qui*, inquit, *litteras nesciunt, neque sacras litteras possunt legere, picturæ contemplatione, in memoriam revocent illorum præclare facta, qui Deo vero sincere servierunt* (30). Theodoretus auctor est (31) S. Simeonis Stylitæ imagines tot Romæ depictas fuisse, ut vel in officinarum propylæis prostarent passim. Hunc etiam faciunt illa Patrum loca, ex quibus apparet ad Iconum conspectum, tactumque vel miracula effecta, vel pietatem, animique commotiones excitatas fuisse. Ita per Edessenam Servatoris nostri Imaginem innumera miracula patrata fuisse scribit Evagrius (32). Ita Maria Ægyptiaca ex intuitu Imaginis Deiparæ Virginis, resipuit statim, tantumque pœnitentiæ desiderium concepit, ut procul in deserta loca digressa admirabile illud pœnitentis animi exemplum posteris dederit, uti hæc Historia narratur in *Act. VII. Synodi*. Ergo usum Sacrarum Iconum legitimum, utilemque existimarunt veteres.

XVII. 2. Apud majores nostros non solum *Historicas*, ut ajunt, Imagines usu receptas fuisse, sed etiam, quæ nullam historiam continerent, vultusque solum exprimerent Sanctorum hominum. Probant id innumeræ Imagines in Romanis cryptis repertæ, in quibus sæpe Christus, Apostoli, & Martyres depinguntur nullis adjectis symbolis, uti videre est apud Bottarium, Aringhum, Mancheniom, aliosque. Ad hæc ecquamnam demum historiam retulere aut bonus ille Pastor, cujus meminit Tertullianus (33), aut Imagines Gervasii & Protasii Ambrosio memoratę, aut Christus, Petrus, & Paulus ab Augustino relati (34)? Nazianzenus (35) narrat Imagines Meletii adeo frequentes fuisse, ut in annulis, in poculis, in parietibus effingerentur. Similiter S. Hieronymus (36) refert Ss. Apostolorum Imagines in ipsis vasculorum cucurbitis adumbratas fuisse. Postremo Historia Imaginis Servatoris, quam Christus ipse admoto faciei linteolo expresserat, atque ad Regem Abgarum miserat, quamvis eruditorum omnium judicio spuria sit, atque supposititia, ambigendum tamen non est, eam vetustis etiam temporibus Edessæ magno in pretio fuisse, multaque miracula per eam contigisse, cujus etiam translatitius dies jam inde ab V. Seculo Constantinopoli celebrabatur. Atqui Imago illa Historica esse non potuit.

XVIII. Illud demum omissum nolumus, antiquos Imagines potius, quam statuas, aut simulacra probasse. Immo Germanus Constantinopolitanus Patriarcha (37) unas illas admittendas esse censuit, statuas vero, ut quid gentilitium, ac plane

(30) *Nilus Abbas in Synodo VII. Act. IV.*

(31) *Theodoretus Relig. Histor. Cap. XXVI. ubi testatur:* Romæ passim in officinarum propylæis erectas fuisse Sancti illius Imagines, ut hanc sibi tutelam ac præsidium adjungerent.

(32) *Evagrius Lib. IV. Historiæ Eccles.*

(33) *Tertull. Lib. de Pudic. Cap. X.* Cui ille, si forte patrocinabitur Pastor, quem in calice depingis, (prostitutorem & ipsum) Christiani Sacramenti, merito & ebrietatis idolum, & mœchiæ asylum post Calicem subsecuturæ, de quo nihil libentius bibas, quam ovem pœnitentiæ secundæ. At ego ejus Pastoris scripturam haurio, qui non potest frangi.

(34) *August. Lib. I. de consensu Evang. Cap. X.* Quum enim vellent (*Gentiles*) tale aliquid fingere, Christum scripsisse ad discipulos suos cogitaverunt, ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tamquam ad illos qui ei familiarius adhæsissent; quibus illud quasi secretum digne committeretur: & occurrit eis Petrus & Paulus; credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt: quia merita Petri & Pauli etiam propter eorumdem passiones celebrius, & sollemniter Roma commendat.

(35) *Nazianz. Hom. de S. Meletio.*

(36) *Hieron. in Cap. IV. Jonæ Proph.* Et revera in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgo Saucomanias vocant, solent Apostolorum Imagines adumbrari.

(37) *Germ. Constantinopolitanus Patriarcha Epist. in VII. Syn. Actis. Action. VI.* Nec eo veros nos ista dicimus tamquam æreas statuas facere studeamus: sed ut tantummodo significemus, cum illud ex gentili more factum non repudiarit Dominus, verum longo tempore suæ bonitatis miraculum in eo demonstrari ipsi placuerit, sanctiorem illam, quæ apud nos obtinuit, consuetudinem nefas esse vituperare.

ne idololatricum repudiavit. Hinc Græci raro, aut ne raro quidem ſtatuas Fidelibus colendas ponunt. Contra vero frequentiſſimæ apud eos ſunt ſive coloratæ, ſive textoriæ, ſive ceratæ effigies. Inde tamen minime conjicias, ſimulacra penitus interdicta eſſe, aut idololatriam ſapere. Neque enim ullus produci poteſt canon, qui illa fieri, ponique prohibeat. Tum nulla ſat probabilis cauſſa eſt, cur Imagines Chriſtianorum cultui proponendæ ſint, ſtatuæ non item.

XIX. Earumdem vero Imaginum cultum quamvis plura ex his quæ hactenus commemorata ſunt, confirment, ſunt tamen longe adhuc plura, quæ id ipſum plane conficiunt. Paulinus Nolanus S. Martini imaginem *venerandam* appellat, i. e. veneratione, cultuque dignam:

Martinum veneranda viri teſtatur imago.

Eraclides Nyſſenus ab Photio memoratus binas ſcripſit Epiſtolas: *In quarum altera*, inquit, *ſententia inerat de venerandarum Imaginum antiquitate*. S. Simeonis Stylitæ Icones proculdubio adorarunt Romani, auctore Theodoreto, cujus antea meminimus. Ait enim eas vel in ipſis officinis ſupenſas fuiſſe, *ut hanc ſibi tutelam, & præſidium adjungerent*. Prudentius ſexcentis fere in locis Imaginum cultum inculcat, præſertim in Hymno Περὶ Στεφάνων, ubi pervoluto ſibi in genua ante S. Caſſiani ſepulcrum ait obviam ſtetiſſe contra ejuſdem S. Martyris effigiem (38). Anaſtaſii Bibliothecarii Collectanea collationem quamdam deſcribunt S. Maximi cum Theodoſio Epiſcopo Cæſareenſi, ubi dicitur omnes ejus conventus Patres genibus plicatis Imaginem Servatoris, ac Beatæ Mariæ ſalutaſſe (39). Demum Gregorius Magnus (40) Januarium Calaritanum monet, ut effigiem Virginis, crucemque ab Petro quodam clerico per vim in Synagogam Judæorum illatam, inde auferat debito cum cultu, ac veneratione. Plura ſi cupis, adiſis Theologos.

§. III. *Expenduntur aliquot monumenta veterum contra ſanctarum Imaginum uſum: tum quo adorationis genere eæ colendæ ſint, explicatur.*

XX. Solent ab Agiomachis nonnulla veteris Eccleſiæ monumenta produci, oſtentarique, quibus illi contendunt plane interdici, atque aboleri Imaginum uſum. Nos autem, fuſiori de iis rebus diſputatione Theologis relicta, pauca perſequemur. Neque enim moramur loca bina: alterum Euſebii Cæſareenſis (41), Epiphanii alterum (42). Quorum ille ab Conſtantia Licinii uxore rogatus, uti ſibi Chriſti Imaginem tranſmitteret, recuſavit id, cauſſamque dedit, quod, cum Chri-

(38) *Prudentius libro περὶ στεφάνων Hymno IX.*

Stratus humi tumulo advolvebar, quem ſacer ornat
  Martyr dicato Caſſianus corpore.
Dum lacrimans mecum reputo mea vulnera, & omnes
  Vitæ labores, ac dolorum acumina:
Erexi ad Cælum faciem, ſtetit obvia contra
  Fucis colorum picta Imago Martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
  Ruptam minutis præferens punctis cutem.

(39) *Anaſtaſ. Collect. Lat. pag. 172. In VII. Syn.* Et in his ſurrexerunt omnes cum gaudio, & lacrimis: poſitiſque in terra genibus oratio facta eſt. Et unuſquiſque ipſorum Sancta Euangelia, pretioſamque Crucem, & Imaginem Dei, ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, atque Dominæ noſtræ, quæ illum peperit, Sanctiſſimæ Dei genitricis ſalutaverunt: ponentes nihilominus manus ſuas ad certificationem eorum, quæ dicta ſunt.

(40) *Gregor. M. Lib. VII. Epiſt. V. ad Januar. Calarit.* Ut ſublata exinde cum ea, qua dignum eſt veneratione, Imagine, atque Cruce, debeatis, quod violenter ablatum eſt, reformare.

(41) *Euſeb. in Actis Syn. VII. Action. VI.*

(42) *Epiphan. Epiſt. ad Joannem Hieroſ.* In foribus velum pendebat tinctum, atque depictum, & habens Imaginem quaſi Chriſti, vel Sancti cujuſdam: Non enim ſatis memini, cujus fuerit. Cum ergo hoc vidiſſem in Eccleſia Chriſti contra auctoritatem Scripturarum, hominis pendere Imaginem, ſcidi illud.

Christus duplici constaret Natura, divina, atque humana, neutra coloribus exprimi quiverat: non illa, quippe quæ sub aspectum non cadit, neque vero humana, quam penitus absorpsit divina. Hic vero, quum Anablatam vicum præteriret, atque ad ejus Ecclesiæ fores velum conspicatus esset *hominis quasi Christi, vel Sancti cujusdam* Imagine figuratum, scidit illud continuo, tollique curavit. Namque Eusebio supposita est ea Epistola, quod stilus ipse ab Eusebiano dissimilis prodit, uti observarunt viri eruditi, cumprimis doctissimus Petavius *Lib. XV. de Incarn. Cap. XIV.* Epiphanium vero ejusdem Epiphanii verba explicant, id scilicet velum vultus expressos habuisse hominis profani quasi Christi, aut alicujus Sancti, sic ut idem Epiphanius, qui illud scidit, satis meminisse non potuerit.

XXI. Sunt vero Canones duo duorum Conciliorum, qui Christianas antiquitates ab Synodalibus maxime sanctionibus repetentibus diligenter explicandi sunt. Ergo Patres Illiberitani *Can. XXXVI.* Picturas in Ecclesiis fieri vetant. *Placuit*, inquiunt, *picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* Multa multi dixere, hunc ut explicarent Canonem. Præ ceteris tamen ejus sensum assequutus esse videtur Albaspinæus, qui putat agi ibi de Imaginibus Dei ipsius, hasque vetari, ne in Ecclesiarum parietibus depingantur, ob Gentilium prætertim, & Catechumenorum imbecillitatem. Quum enim ii sæpe audirent Christianorum Deum Æternum, Interminabilem, Incomprehensibilem, Incorporeumque esse, facile præceptam antea de eo opinionem minuissent, sicubi in Ecclesiis conspexissent, quem Immensum audierant, brevi muro exceptum, quemque Incorporeum prædicari sibi meminerant, coloribus expressum, delineatumque. Hæc ille. Ac sane verba illa hujus canonis *adorari, colique* summam significant Adorationem, Latreuticam, ac Dei propriam, proindeque unas ibi Dei imagines vetari necesse est; quod etiam visum fuit aliis præterea Patribus (43).

XXII. Altera Synodalis sanctio, quam dictis hactenus obstare diximus, est Concilii Francofordiensis habiti anno DCCXCIV. Carolo Magno imperante, cujus Canon II. (44) VII. Synodum, Nicænam secundam damnat ob id maxime, quod sanctarum imaginum adorationem præceperit. At decepti sunt Gallicani Episcopi errore facti, quem dicunt. Credidere enim Nicænos Patres eamdem imaginibus adorationem tribuisse, quæ Deificæ Trinitati tribuitur. *Allata est*, inquiunt, *quæstio Græcorum... in qua scriptum habebatur, ut qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium, aut ado-*

(43) *Fuit enimvero dudum inter Catholicos quæstio, liceret ne Dei, rerumque incorporearum imagines exprimi. Gregorius quidem II. atque Germanus Constantinopolitanus, ut eorum loca in Act. VII. Synodi citantur, negarunt id eo ducti argumento, quod rerum spiritualium natura incomperta nobis sit. At contra alii censuerunt posse Dei imagines pingi ea forma, qua aliquando per symbola hominibus videndum se præbuit. Hinc Paulinus figuram Spiritus S. meminit sub columbæ specie Epist. XII. ad Severum Sulpicium:*

Pleno coruscat Trinitas mysterio:
Stat Christus agno: vox Patris cælo tonat:
Et per Columbam Spiritus Sanctus fluit.

Donec fere communi omnium Theologorum sententia posterior hæc opinio recepta est, ut Imagines Dei eatenus pingantur figura, qua se mortalibus conspicabilem dedit.

(44) *Concil. Fracofurd. Can. II.* Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt: in qua scriptum habebatur, uti qui Imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra Sanctissimi Patres nostri omnimode adorationem, & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnarunt. *Hic vero graviter decepti sunt Francofordienses Patres hanc Synodum Constantinopolitanam esse credentes, non Nicænam II. Quod monuimus, ut ne quis miretur, si dicamus eos minime sententiam assequutos fuisse VII. Synodi de Imaginum adoratione. Præterea hic damnare videntur non tam ipsam Synodum, quam sententiam ab Constantino Constantiensi in Cypro Episcopo in eodem VII. Concilio prolatam, ut mox videbimus: quamvis & in hoc iterum decepti sint græca non probe callentes.*

adorationem non impenderent, *anathema judicarentur*. Quod quoniam semel falso statuerant, merito Nicænam Synodum II. proscripsere. Atqui id nusquam, ne somniarant quidem, Nicææ coacti secundo Patres (45). Ergo huic Francofordiensi sanctioni caussa fuit imperita, ac prava latina Synodi Nicænæ interpretatio. Sic non minus hallucinatus est Concilio Francofordiensi æqualis Auctor *Operis Carolini* sic dicti, qui sententiam Constantini Constantiensis in Cypro Episcopi in Actis VII. Synodi relatam mire detorsit, ac prorsus dilaceravit hoc pacto: *Sanctas*, *& venerandas Imagines secundum servitium adorationis*, *quod substantiali*, *& vivificatrici Trinitati* debetur, *emitto* i. e. approbo. Paulo aliter eadem Constantiensis Episcopi sententia citatur ab Hadriano in Apologia sua (46), sed quæ tamen in idem recidit. Atqui prorsus contrarium dixerat Constantinus in Actis VII. Synodi: sanctas scilicet Imagines colendas esse, Deum vero latriæ cultu adorandum, quæ fuit semper Catholicæ Ecclesiæ fides. Vide Nicæni II. Concilii Acta (47). Ceterum negandum non est Gallicanos Episcopos diu hæsisse, ac fluctuasse ad Imaginum cultum quod spectat, neque satis perspicue docuisse, quemadmodum sanctis Iconibus utendum foret, an ad Ecclesiarum modo decus, ornamentumque, & rudium hominum instructionem, an ad cultum non quidem divinum, sed divino minorem. Incerte enim hæc sunt per eorum temporum Auctores enunciata, uti apparet ex scriptis Jonæ Aurelianensis, Walfridi Strabonis Abbatis Augiensis, atque Auctoris operis Carolini; donec tandem auctoritate permoti Romanæ sedis præscriptum in VII. Synodo Imaginum cultum recepere. Vide clarissimum, & eruditissimum Petavium *De Incarn. Lib. XV. Cap. XVI.*

XXIII. Quoniam vero adorationis Imaginibus præstandæ injecta mentio est, non incommodum visum est, non prætereire hic, quo demum cultu colendæ sint. Patres VII. Synodi in *Definit. Fidei*, quam Ὅρον nominant, universum Imaginum cultum ad duo hæc referunt Ἀσπασμὸν καὶ τιμητικὴν Προσκύνησιν *osculum*, *& honorificam adorationem* (48). Atque eodem ferme pacto sese explicant omnes ei Concilio Synchroni Scriptores, uti Imaginibus ἀσπασμὸν, καὶ προσκύνησιν aut διάθεσιν i. e. *Affectum honorandi* semper tribuant, λατρείαν vero soli Deo adscribant. Ergo quid tandem sit illa τιμητικὴ προσκύνησις *honorifica adoratio* explicandum est. Id vero plane expediunt excerpta sententiarum de Imaginibus *Tom. II. Biblioth. PP.* Christo enim convenire ajunt λατρευτικὴν προσκύνησιν *latreuticam adorationem*, Imaginibus autem Σχετικὴν καὶ ὁμωνυμικὴν. *Relativam*, *& ambiguam*: eam scilicet, quæ minime in imagine ipsa consistit, sed per imaginis archetypum ad Deum tandem refertur. Sanctos enim nisi ob Deum, & in Deo ipso adores, Idololatra es. Porro autem Σχέσις *Relatio* duplex est: altera, cui nulla virtus

(45) *Canon ab VII. Synodi Patribus de cultu imaginum editus Actione VII. hic est*: Statuimus cum omni exacta cura, & diligentia, similiter ac Sanctæ Crucis, & vivificæ figuram, venerandas & Sanctas Imagines, palam proponi, quæ coloribus tessellisve constant, aut alia quavis idonea materia .... & ut ipsis osculum, & honorariam adorationem deferant, non tamen verum, secundum fidem nostram, Latriæ cultum, qui soli divinæ naturæ convenit.

(46) *Hadrianus in Apolog. VII. Syn.* Quod infauste, & præcipitanter, sive insipienter, Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus dixit: suscipio, amplector honorabiliter sanctas, & venerandas Imagines, & quæ secundum servitium adorationis, quæ substantiali, & vivificatrici Trinitati, emitto. Et qui sic non sentiunt, neque glorificant, a Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia segrego.

(47) *Acta Syn. VII. Action. III.* Constantinus sanctissimus Episcopus Constantiæ Cypri dixit: his consentio, & concors sum, suscipiens, & cum honore amplectens sanctas, & venerandas Imagines: ac latriæ adorationem soli supersubstantiali, & vivificæ Trinitati defero: & eos, qui non ita sentiunt ab Sancta Catholica, & Apostolica Ecclesia segrego.

(48) *Acta ejusdem Conc. Action. VII.* Et ut ipsis osculum, & honorariam adorationem ἀσπασμὸν καὶ τιμητικὴν προσκύνησιν deferant, non tamen verum secundum fidem nostram Latriæ cultum, qui soli divinæ naturæ convenit.

tus est, nulla animata perfectio, quæ aliquem proprie demeretur honorem, uti sunt res inanimæ, mutæque: altera, cui virtus subest, atque excellentia quædam, uti Angeli, hominesque. Habent enim cum *τὸ ὂν esse*, tum excellentiam quamdam, præstantiamque ex præclare factis manantem, licet utrumque ab ipso Deo in eos derivatum sit, quæ prout major, minorve est, eo majorem, minoremve honorem demeretur. Hinc sicuti Sanctos, atque Angelos *σχετικῶς* observamus, quatenus quamdam ab ipso Deo participatam excellentiam præseferunt, quo fit, ut verum illud sit nos in Sanctis Deum ipsum colere: ita contra Imagines veneramur duplici, uti ita dicam, *σχέσει Relatione*, quatenus & Sanctos referunt, & hi rursus participatam ab Deo immortali virtutem continent.

XXIV. Jam vero ex hac Catholica de Imaginum adoratione doctrina duo prono alveo fluunt. 1. Imaginis cujuscumque adorationem non esse ab Prototypo sejungendam sic, ut binæ sint adorationes Imaginis, & Prototypi. Est enim id similitudinis ergo sæpe a Patribus usurpatum. Namque, ut probarent Filium Patris imaginem Patri ipsi esse *ὁμοούσιον Consubstantialem*, Imaginum naturalium exemplo usi sunt, quæ idem cum Prototypo sunt, neque quum adorantur, ut quid sejunctum ab ipso Archetypo considerantur, uti id cum primis docuere Athanasius, atque Basilius (49). 2. Universum Imaginum cultum in ipsos Prototypos redundare, atque in illis velut finiri, terminarique. Ut enim egregie id expressit Basilius (50): *Τῆς εἰκόνος τιμὴ ἐπὶ τὸ πρωτότυπον διαβαίνει Imaginis cultus ad ipsum Prototypum transit*. Excerpta Conc. VII. id ipsum inculcant exemplo ejus, qui se ipsum in speculo intuetur, qui si suam Imaginem deosculari velit, non tam speculum ipsum, quam in speculo simulacrum suum deosculatur (51). Vide etiam Hadrianum Pontificem, Germanum Constantinopolitanum, aliosque (52). Quod si qui Scholasticorum subtiliores Imaginum cultum nescio quem, certe non *σχετικὸν Relativum*, sed absolutum per se, ipsiusque Imaginis proprium commenti sunt, sciant acutiorem esse eorum in hac re pertractanda industriam, quam veterum Patrum non tulerit ætas. Hinc quum nulla apud illos harum tricarum vestigia deprehenderimus, merito ab his velut otiosis quæstionibus supersedemus.

§. IV. *De Cruce, in qua Christus passus est, tum de quarumvis Crucium adoratione.*

XXV. Quamvis affatim supra de sanctarum Imaginum cultu, adorationeque disputatum sit, quarum certe numero & ipsæ Cruces accensentur, tamen singularem de iis tractationem instituemus: quandoquidem diversa harum ab reliquis Imaginibus ab ipsis Hæreticis habita ratio est. Neque enim omnes Iconomachi Cruces repudiarunt: immo si unum excipias Claudium Taurinensem, si solos Paulicianos, & Bogomilos detestandas Manichæorum propagines, reliqui omnes Iconum

(49) *Athan. Orat. IV.* In imagine regis inest species, & forma, & in rege vicissim inest ea species, quæ est in imagine. Est enim similitudo regis in imagine nulla re discrepans: adeo ut qui imaginem intuetur, in regem conspiciat: ac rursus, qui videt regem, agnoscat hunc eumdem esse qui est in imagine.... Qui igitur adorat imaginem, in ipsa regem adorat: quippe hujus forma, & species est imago.

Basil. Lib. De Spir. Sancto Cap. XVII. Propterea regis imago appellatur Rex: neque enim duo sunt Reges. non enim dividitur imperium.

(50) *Basil. ibid.*

(51) *Excerpta de Imag.* Quamobrem, cum adoratur imago; Christus adoratur, cujus est assimilatio: non autem materia, quæ assimilationem istam excipit. Atque ut in speculo contuentis ipsum facies quodammodo describitur, & manet a materia separata. Quod si cui libeat apparentem illic suam imaginem osculari, ad materiam quidem applicat sese, verum imaginem amplectitur.

(52) *Hadrian. P. in Apol. VII. Syn. Germanus in Excerptis de Imag.*

num hostes eas cum retinendas, tum vero etiam colendas censuere, uti id plurimis probat eruditissimus Petavius *Lib. de Incarn. XV. Cap. VII.* Ergo primum illud statuendum est, quod impurissimi, impudentissimique nostrorum temporum Heterodoxi negarunt: Crucem illam scilicet, a qua Servator noster pependit morte turpissima, atque injustissima damnatus, IV. Seculo Hierosolymis inventam fuisse. Atqui docent id Synchroni Scriptores Eusebius (53), atque Cyrillus Hierosolymitanus (54): atque hic perspicue sic Constantium Imperatorem alloquitur: *Ac tempore quidem Deo dilectissimi, beataeque memoriæ Patris tui Constantini, salutare Crucis lignum Hierosolymis inventum est, divina gratia ei, qui pietate recte quærebat, etiam occultorum sanctorum locorum inventionem annuente.* Tum præsertim per Helenam Constantini matrem divinitus commonefactam contigisse id testantur Rufinus *Lib. I. Histor.* Paulinus Nolanus *Epist. XI. ad Sever.* Socrates *Lib. I. Cap. XXIII.* Sozomenus, Theodoretus, Ambrosius, aliique; ut qui id in dubium revocare velit, is non tam Crucis, quam omnis omnino veritatis hostis videatur. Qui vero Scriptores ejus admirandæ Inventionis meminere, iidem passim cultum eidem præstitum cum ab reliquo populo, tum ab ipsis Imperatoribus memorarunt, uti præ ceteris Ambrosius (55), & Paulinus Nolæ Episcopus (56), qui & illud addit eamdem Crucem quotannis ab Hierosolymitano Episcopo publicæ populorum adorationi propositam fuisse.

XXVI. Hinc illa tanto semper in honore habita est, ut singuli quique Christiani in summis ponerent deliciis, siquidem ejus vel minutissima crustula potiri possent. Paulinus Nolanus (57) quum exiguam S. Crucis partem Severo Sulpicio transmisisset *magnum in parvo se ei munus, munimentumque præsentis, pignusque æternæ salutis* dare dicit. Quare mirandum non est; si uti Cyrillus Hierosl. loquitur, unum illud Crucis lignum pene universum orbem plenitudine sua impleverit. Namque, uti memoriæ proditum est ab Joanne Chrysostomo (58), magna erat Christianorum in conquirendis ejus Reliquiis cura, quas ubi adepti fuerant aureis thecis complectebantur, colloque suspendebant. Neque vero inde sta-

(53) *Euseb. Lib. III. de Vit. Constant. Cap. XXIX.* Tanta est Servatoris nostri gratia, nullus ut orationis cultus præsentis miraculi dignitatem assequi possit. Etenim monimentum illius sanctissimæ Passionis, jampridem sub terra delitescens, tanto annorum spatio occultatum fuisse ad id usque tempus, quo, communi omnium hoste sublato, in libertatem vindicatis servis suis refulgere deberet, omnem re vera superat adorationem. Nam si omnes quot quot per orbem universum videntur esse sapientes, in unum convenientes, dignum aliquid eloqui re tanta voluerint, ne cum minima quidem ejus parte certare poterunt. Tantum quippe naturam omnem humanæ intelligentiæ capacem vincit illius magnitudo miraculi, quanto cælestia constat humanis esse potiora.

(54) *Cyrill. Hierosl. in Epist. ad Constantium.*

(55) *Ambros. Tom. V.* Venit ergo Helena, ut lignum Crucis requireret: accessit ad Golgotham, & ait: ecce locus pugnæ, ubi est victoria? Quæro vexillum salutis, & non invenio. Ego, inquit, in regnis, & Crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? Quomodo me redemtam arbitror, si redemtio ipsa non cernitur? ... Sapiens Helena, quæ Crucem in capite Regum levavit, ut Crux Christi in Regibus adoretur.

(56) *Paulinus Epist. XI. ad Severum Sulpicium*: Digno mox (*Crux*) ambitu consecratur, condita in passionis loco basilica, quæ auratis corusca laquearibus, & aureis dives altaribus arcano positam sacrario Crucem servat. Quam Episcopus urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo Princeps ipse adorantium promit.

(57) *Idem ibid.* Accipite ergo ab unanimis fratribus in omni bono vestrum sibi consortium cupientes, accipite magnum in modico munus, & in segmento pene atomo hastulæ Crucis sumite munimentum præsentis, & pignus æternæ salutis.

(58) *Chrysost. Hom. XI. Tom. VI.* Illud ipsum lignum, in quo Sanctum Corpus est extensum, & crucifixum, quanto omnium studio expetitur? Itaque multi exiguum ex eo frustum adepti, auro includentes viri pariter, ac feminæ de collo suo suspendunt, idque ornamenti loco habent. Atqui damnationis signum erat illud lignum, & supplicii. Verum qui omnia fecit, & ea mutat, qui orbem terrarum a tanta pravitate transtulit, & ex terra cælum fecit, idem quoque rem illam infamiæ plenam, ac turpissimam omnium mortem super cælos evexit.

ſtatuas falſas, atque ſuppoſititias eas Reliquias fuiſſe. Fuit enim id ejus pretioſiſſimi ligni proprium, ut licet quotidie explendæ undique accurrentium fidelium pietati, cruſtæ multæ inde abraderentur, integrum tamen uſque maneret, neque ullam ſui diminutionem pateretur. Quod quidem miraculum teſtantur Paulinus Nolanus (59) ac Cyrillus Hieroſolymitanus, qui eo utitur ad probandam Chriſti Θεότητα *Divinitatem* (60).

XXVII. Porro reliquarum Crucium ad ejus ſimilitudinem effictarum, in qua mortuus Chriſtus fuerat, uſus item antiquiſſimus eſt etiam per tria priora Eccleſiæ Secula. Neque enim eorum veram eſſe dixerim opinionem, qui Crucium aut pingendarum, aut ſculpendarum auctorem primum ſtatuunt Conſtantinum M. cui vigilanti per viſum ſplendida Crucis figura oblata quum fuiſſet, mox alias ei ſimiles exprimi curavit, quas *Labara* paſſim vocitarunt, uti teſtatur Euſebius (61), quæ deinde praxis ad alios quoque manavit. Namque ex Minucio Felice *in Octavio num. IX. edit. Cantabr.* ex Tertull. *Lib. I. contra Gentes Cap. III.* & ex Origen. *contra Celſum Cap. II.* conſtat, Gentiles ſæpe id noſtris exprobraſſe, quod Crucem colerent. Ac quamvis Chriſtiani negaverint id Apologiſtæ, ac Tertullianus objectum Crucium cultum in ipſos retorſerit Ethnicos, Minucius vero palam profeſſus ſit Chriſtianos *Cruces nec colere nec optare*: id tamen de eo cultu intelligendum eſt, quod inanimis etiam elementis tribuere Gentes conſueverunt, i. e. de latreutica adoratione. Aliter qui rumor ille inter Paganos increbuiſſet, ſi nullas penitus Cruces habuiſſent, nullumque vel σχετικὸν *Relativum* cultum eis impertiviſſent noſtri? Ad hæc effoſſæ, repertæque ſunt ſuperiori ætate in Romanis Cœmeteriis pleræque multæ Imagines Crucis figuram exprimentes, gemmiſque ornatæ, uti in Ectypo marmorei Sarcophagi Probi, & Probæ Martyrum. Vide Aringhum, & Bottarium, apud quos inciſæ viſuntur Cruces Chriſti, Petri, Pauli, aliorumque Martyrum manibus geſtatæ, quas e Romæ Subterraneæ cubiculis huc illuc ſparſas expreſſaſque magna cura edendas curarunt Viri illi inſignes. Ex quo jam illud plane conficitur, habuiſſe veteres Chriſtianos Cruces, eaſque aliquo cultu proſequutos fuiſſe, quod eiſdem vitio verſum ab Gentilibus fuit.

XXVIII. Atque hæ quidem Cruces clam furtimque in Sarcophagis, in Lucernis, Cryptiſque expreſſæ ſunt Paganorum metu. Ubi vero Conſtatinus Magnus ejuſdem Crucis ope cum ſibi, tum Chriſtianis pacem quæſivit, incredibile dictu eſt, quantus repente Crucium numerus ſuccreverit, quantuſque ei cultus habitus ſit. Hinc eæ cum nummis cuſæ ſunt, ut eſt nummus ille in Burgheſio Muſæo aſſervatus, & a Blanchino editus *Tom. IV. Anaſt. Biblioth.* in cujus adverſa facie Criſpus Cæſar inſculptus eſt hac inſcript. CRISPUS NOB. CÆS. in poſtica vero Chriſtus viſitur velut throno aſſidens, ſiniſtraque Crucem geſtans, dextra vero quaſi benedictionem daturus cum hac rurſus epigraphe: SALUS ET SPES X RPUBLICÆ. *Salus & Spes Chriſtus Reipublicæ*. Chryſoſtomus porro docet tantam fuiſſe Crucis venerationem, ut eam in foribus, in parietibus, in viis, in lectis, in palliis, in armis, & in vaſis depingere volupe eſſet Chriſtianis. Quin immo

(59) *Paulinus Nolanus Epiſt. XI. ad Severum Sulpic.* Quæ quidem Crux in materia inſenſata vim vivam tenens ita ex illo tempore (*quo reperta eſt*) innumeris pene quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat: quotidie dividuam ſumentibus, & ſemper totam venerantibus. Sed iſtam imputribilem virtutem, & indetribilem ſoliditatem de illius profecto carnis Sanguine bibit, quæ paſſa mortem non vidit corruptionem.

(60) *Cyrillus Hieroſ. Catech. X.* Lignum illud Sanctum Crucis teſtatur (*nempe Deum eſſe Chriſtum*) quod hodieque apud nos cernitur: & per eos, qui cum fide particulam ex illo capiunt, totum iſthinc Orbem terrarum fere complevit.

(61) *Euſeb. Lib. I. de Vita Conſtant. Cap. XXV.* Hoc vero ſalutari ſigno, velut munimento adverſus hoſtiles, infeſtaſque vires omnes perpetuo uſus eſt Imperator: & ejuſdem expreſſas figuras præire deinceps mandavit exercitibus ſuis.

immo rem narrat prorſus mirabilem, conſueviſſe Crucis ſignum & in pecoribus morbo affectis, & in ſuis ipſorum frontibus imprimere fideles (62), quod poſtremum Aſterius etiam Amaſenus Epiſcopus Chryſoſtomo æqualis teſtatur (63). Imperatores vero illam in capite ipſi diademati inſculptam geſtabant, teſte Auguſtino (64). Obſervandum porro eſt praxim Cruces depingendi ubicumque vellent, hac demum lege permiſſam fuiſſe, modo ne in vilibus, ignominioſiſque locis illam ſculperent. Hinc leges Imperiales, ac Conc. Trullanum eas inſculpi vetuerunt in viarum pavimentis, ne prætereuntium veſtigio obtererentur (65). Poſtremo ad confirmandam Sanctarum Crucium Adorationem, præter dicta hactenus, faciunt etiam quædam Hieronymi, Theodoreti, atque Prudentii loca (66), quorum hic poſtremus ſummos Imperatores ſupplices ad Crucis effigiem procumbere dicit eam adoraturos.

§. V. *De Sanctarum Reliquiarum cultu in veteri Eccleſia.*

XXIX. Atque ut ab ipſo nomine exordiamur, illud notandum, nomen ipſum *Reliquias* græce λείψανον duplicem apud veteres ſignificationem habere. Modo enim λείψανα *Reliquiæ* integrum corpus Martyris notant, modo quamvis ejus partem. Hinc Gregorius Nazianzenus *Orat. XVIII. De Laudibus Cypriani*, quod paulo ante σῶμα *Corpus* dixerat, mox loco eodem ἅγια λείψανα *Sacras Reliquias* appellat. Sic rurſus λείψανα pro Martyrum Corporum vel minutiſſimis particulis accipiuntur, uti *Conſtitut. Apoſt. Lib. VI. Cap. ult.* Τῶν παρὰ Θεῷ ζώντων οὐδὲ τὰ λείψανα ἄτιμα, *eorum, qui apud Deum vivunt, ne Reliquiæ quidem ſunt inhonoratæ*. Id ipſum ſtatuas de latino *Reliquiarum* vocabulo. Nam præter obviam cuique notionem, corpus ipſum partibus omnibus conſtans notat. Hinc Ammianus Marcellinus *Lib. XXI. ſub fin.* ubi narravit demortui Conſtantii corpus pol-

(62) *Chryſoſt. Hom. LXI. Tom. VI.* Etenim hanc aſſidue inſculpunt univerſi in membrorum noſtrorum inſigniori parte; ac ſic tamquam cippo, in fronte quotidie figurantes circumferunt. Hæc ipſa crux in ſacra menſa: hæc in Sacerdotum conſecratione: hæc rurſus cum Chriſti corpore ad cœnam myſticam reſplendet. Hanc utique paſſim exultantem videas in ædibus, in nemoribus, in clivis, in mari, & navibus, atque inſulis, in lectis, in palliis, in armis, in thalamis, in conviviis, in vaſis argenteis, & aureis, in unionibus, in picturis muralibus, in jumentorum multifariam affectorum corporibus, aut eorum, qui a dæmonibus infeſtantur, in bellis, in pace, diebus, ac noctibus, in luxuriantium choreis, in duro victu utentium ſodalitiis.

(63) *Aſterius in S. Euphemiam*: Virgo veneranda in pullis veſtibus ſola ſedet, manibus in Cælum extentis, Deum in malis adjutorem invocans. Huic porro precanti ſupra caput apparet ſignum, quod ex præſcripto legis Chriſtiani adorant, & inſcribunt ſibi.

(64) *Auguſtin. Tract. CXVII. in Joannem*: Si ſpectet impietas, ridet Regem pro virga Regni lignum ſui portare ſupplicii. Si pietas, videt Regem bajulantem lignum ad ſemetipſum figendum, quod fixurus fuerat etiam frontibus Regum.

(65) *Cod. Juſt. leg. I. Tit. XII. ubi ſancitur*: Signum illud Servatoris Chriſti nemini licere vel in ſolo, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis inſculpere, vel pingere: ſed quocumque reperitur, tolli.

Conc. Trullan. Can. LXXIII. Quum Crux vivifica ſalutare nobis oſtenderit, nos omne ſtudium adhibere oportet, ut ei, per quam ab antiquo lapſu ſalvati ſumus eum, quem par eſt, honorem habeamus. Unde & mente, & ſermone, & ſenſu adorationem ei tribuentes, Crucis figuras, quæ a nonnullis in ſolo, ac pavimento fiunt, omnino deleri jubemus: ne incedentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur.

(66) *Theodoret. Serm. VI. contra Græcos*: Græci, & Romani, ac barbari Crucifixum profitentes Deum, Cruciſque ſignum venerantes &c.

Hieron. Pſalmi XCVIII. verba hæc: Et adorate Scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt; *ad Crucem Domini referenda eſſe dicit.*

Prudent. in Apotheoſi:

.... Jam purpura ſupplex
Sternitur Æneadæ rectoris ad atria Chriſti:
Vexillumque Crucis ſummus dominator adorat.

pollinctum fuisse, mox subdit: *Ei vehiculo, quod portabat Reliquias &c.* Ubi Reliquiæ corpus sunt defuncti Imperatoris. Consuevere etiam Latini sæpe & ipsum græcum λείψανον ponere. Auctor vitæ Gundulæ Virginis: *Prope Lipsana Virginis ire religiosum duxit.* Quod alibi passim usurpatum fuit.

XXX. Quod vero religioso cultu prosequuti sint Martyrum, ceterorumque Sanctorum hominum Reliquias Christiani, tot sunt, quæ id probant, Patrum loca, ut ævi nostri Vigilantianos multitudine pene obruant sua. Nos unum, aut alterum ex antiquioribus attingemus. Smyrnenses in Epistola ad Philomelienses sæpe a nobis laudata, quum S. Polycarpi martyrium descripsissent, tum addunt illius ossa gemmis contra non cara collegisse sese, & quo par erat loco condidisse, ac quotannis eodem se convenire ipsius Natalem celebraturos, ut est apud Eusebium (67). Eusebius ipse *Lib. XVI. Cap. XI. de Præp. Evang.* Platonis verba profert ex *Lib. V. De Republ.* quibus philosophus ille censebat, eos, qui strenue pugnantes in acie cadunt, uti Genios colendos esse, eorumque etiam Corporum conditoria esse adoranda; tum ipse de suo addit: *Atque hæc ad Deo carorum hominum mortem, quos veræ Religionis milites jure dixeris, accommodare convenit. Hinc & nos ad eorum adire sepulcra consuevimus, & ad illa preces, & vota nuncupare: tum beatas eorum animas honore prosequi, tamquam nos illa ipsa præstare rationi sit consentaneum.* Cyrillus Hierosolymitanus (68) Christianis Reliquias Martyrum adorandi documentum datum esse divinitus dicit per corpus Elisæi Prophetæ, quod licet mortuum, solo contactu defunctum vitæ restituit. Postremo plura sunt IV. & V. Seculi Patrum loca, quæ plane ostendunt quanta fuerit veterum in adorandis, colendisque reliquiis pietas, ac religio, quæ, ne longiores essemus, omittenda censuimus.

XXXI. Porro quicumque in Patrum lectione aliquantisper versatus est, næ is facile deprehendet eos paulo effusiores, vehementioresque fuisse in inculcando Sanctarum Reliquiarum cultu, quam in Iconum, aut aliarum sacrarum rerum honoribus commendandis. Cujus rei hanc caussam esse puto, quod crederent inesse SS. Martyrum corporibus etiam vita functis vim quandam vivificam, efficacissimamque. Hinc Basilius *in Psalm. CXV. Tom. I.* quum dixisset fuisse Hebræorum legem, ne quæ cadaverum tactio foret: *Modo vero*, inquit, *quisquis ossa Martyris attingit, nonnullam sanctificationis communicationem percipit ex ea gratia, quæ corpori illius insidet.* Quinimmo aliqua vi prædita esse vel ipsa Reliquiarum conditoria opinabantur, uti docent præ ceteris Gregorius Nyssenus (69) & Chrysostomus (70). Quare ad hæc etiam accedebant, contingebantque summa cum religione, illorum contactum esse credentes *sanctifi-*

(67) *Euseb. Lib. IV. Cap. XV.* Atque ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis cariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit convenientibus, concedet Deus natalem ejus martyrii diem cum hilaritate, & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos, & confirmandos.

(68) *Cyrill. Hieros. Catech. XVIII.* Vivus enim resurrectionem effecit per animam suam: sed ut non solum animæ justorum honorentur, verum etiam credatur vim quandam inesse justorum corporibus, qui in Elisæi sepulcrum abreptus erat mortuus, ubi mortuum Prophetæ corpus attigit, vivificatus est.

(69) *Nyssen. Orat. in Sanctum Theodorum:* Quisquis igitur arte laboratis operibus oculos suos oblectavit, ad ipsum deinde conditorium corporis propius cupit accedere, illius contactum esse credens sanctificationem, ac benedictionem.

(70) *Chrysost. Orat. de S. Ignatio Tom. V.* Etenim si Elisæi tempore quidam mortis vincula disrupit, & ad vitam denuo reversus est: multo nunc magis, cum abundantior est gratia, cum Spiritus operatio copiosior est, licet conditorium ipsum cum fide tangentem magnam inde virtutem attrahere. Propterea sanctorum nobis Reliquias concessit Deus, volens ad eumdem, qui in illis fuit, zelum velut manu deducere, ac portum quemdam præbere, tantumque remedium contra mala, quæ undequaque nos incursant.

cationem atque benedictionem, ut verbis utar ipsius Nysseni.

XXXII. Ipsa autem conditoria sancta λείψανα complectentia miro opere, eleganti que structura ut exornarentur, satagebant diligenter. Serico enim opere, aut argenteo, aut aurato sæpe construebantur. Hinc illi Prudentii versus Hymno V. de S. Eulalia:

Relliquias, cineresque sacros
Servat humus veneranda sinu.
Tecta corusca super rutilant
De laquearibus aureolis,
Saxaque cæsa solum variant.

Ac Chrysostomus tantam ævo suo fuisse Martyrum sepulcrorum magnificentiam indicat, ut ea ipsis Principum palatiis anteferre non dubitarit (71). Hinc merito spurcas Vigilantii voces execrata est semper Ecclesia, ajentis venerandas Sanctorum Reliquias vilibus pannis, vel cilicio colligandas, aut si quid his vilius est, ac fœdius. Contra quem gravi, sed justa tamen oratione invectus est Hieronymus (72).

XXXIII. Præterea super ipsa Reliquiarum conditoria Altaria construebant primis quidem ætatibus, in cœmeteriis, cryptisque, quum nondum publica nostris erat potestas patriam Religionem profitendi: sequutis vero temporibus aut secus ipsa Cœmeteria, aut in urbibus. Namque effossa Martyrum corpora velut e tenebris in lucem vendicabant, exportabantque etiam in urbes magna populorum frequentia, eaque ubi recondidissent, tum eodem loco altare erigebant, ingentemque Basilicam adstruebant. Sic eodem, ubi martyrium subiverat Cyprianus, loco altare excitatum fuit, in quo Sacrificium immolabant Carthaginienses Christiani: quod altare etiam peculiari nomenclatura *Mensa Cypriani* dicta est, uti ex Augustino apparet (73). Ipsæ vero Basilicæ Martyrum corporibus decoratæ *Memoria*, aut *Martyria* vocatæ sunt, quorum nominum rationem explicatam habes hujus Tomi *Part. I. Cap. I. §. IV.* Immo vero Altaria ita proprius Reliquiarum recondendarum locus visa sunt, ut nullam Basilicam dedicarint, nisi illuc prius subtus altare Reliquiæ illatæ essent, quod singulari Canone sanxit Conc. Carthaginiense (74). Paulinus etiam Nolanus Reliquias necessarias esse dixit ad dedicandas Basilicas (75).

XXXIV. Illud nunc diligenter explicandum est, cur subtus altare potissimum Mar-

(71) *Chrysostom. Homil. XXVI. in Epist. II. ad Corinth.* Sane Crucifixi servorum sepulcra regiis palatiis splendidiora sunt, non tam ædificiorum magnitudine, ac pulcritudine, (quamquam & hoc ipso præstantiora sunt) quam, quod multo amplius est, frequentantium studio.

(72) *Hieron. contra Vigilant.* Dolet Martyrum reliquias pretioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio collocari, vel projici in sterquilinium, ut solus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim: apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum se sentire præsentiam confitentur? Sacrilegus & nunc dicendus est Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam? Omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in serico, & vase aureo portaverunt?

(73) *Augustin. Serm. CXIII.* Ibi hodie venerans multitudo concurrit, quæ propter natalem Cypriani bibit sanguinem Christi. Et tanto dulcius in illo loco propter natalem Cypriani Sanguis bibitur Christi, quanto devotius ibi propter nomen Christi sanguis fusus est Cypriani. Denique, sicut nostis, quicumque Carthaginem novistis, in eodem loco mensa Deo constructa est: tamen mensa dicitur Cypriani, non quia ibi est umquam Cyprianus epulatus: sed quia ibi est immolatus.

(74) *Concil. Carthag. V. Can. X.* Item placuit, ut altaria, quæ passim per agros, aut vias, tamquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, evertantur. Sin autem hoc propter tumultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, ut qui recte sapiunt, nulla ibi devincti superstitione teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ reliquæ sint: aut ubi origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.

(75) *Paulinus Nolanus Epist. XI. ad Severum:* Testis est autem Dominus, quod si vel scrupulum sacri cineris habuissemus, supra quam nobis ad basilicam, quæ proxime in nomine Domini consumabitur, dedicandam necessarium erat, misissemus humanitati tuæ.

Martyrum λείψανα collocarint veteres, tum qui tanto studio, tantaque religione eodem statis Natalitiorum Festorum diebus convenerint. Ac prius illud quidem ex eo manasse puto, quod est in Apocalypsi Joannis *Cap. VI. v. 9.* ubi vidisse se Joannes testatur *sub Altari animas interfectorum propter Verbum Dei*. Hinc enim creditum merito ab priscis Patribus fuit ibi potissimum eorum esse corpora collocanda, qui pro Christo mortem oppetiverant, ubi ejusdem Christi mors quotidie in Sacrificio recolebatur, ut id explicat Auctor *Serm. IV. de Innocentibus*, inter Augustini opera (76). Ad posterius vero quod spectat, præter communem illam caussam, ut se Martyrum precibus commendarent, eisque debitum cultum exhiberent, duplici etiam caussa ad sepulcra Martyrum lætos, ac venerabundos concurrisse Christianos certum est; 1. quidem, ut Christi athletarum tumulos quasi triumphos contuentes, inde excitarentur ad imitanda illorum præclare gesta. *Deus*, inquit eleganter Chrysostomus Hom. XCVII. *nobiscum partitus est Martyres: ipse animas sumsit, nobis vero corpora dedit, ut habeamus perpetuum ad virtutem incitamentum, sancta eorum ossa*. 2. Ut ad eorum Reliquias propius accedentes quasi viventes cum mortuis communicarent, ostenderentque militantem, triumphantemque Ecclesiam etsi locis, atque conditione dissitam, fide tamen, animoque eamdem esse, atque indivisam: quod egregie expressum reor ab Smyrnensibus apud Eusebium (77), ubi magnopere cupiisse se dicunt ad Polycarpi sepulcrum accedere, *Et sacro illius cadaveri communicare*: Κοινωνῆσαι τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ σαρκίῳ. Ac si altius rem repetere velimus, jussum id etiam quodammodo ab Paulo fuit *Cap. XII.* ad Romanos: *Memoriis*, inquit, *sanctorum communicantes &c.* Certe ea fuit Optati Milevitani sententia *Lib. II.* ubi illud Pauli de hac communione accipit cum sanctis Martyrum Reliquiis.

XXXV. Id etiam est non minimum honoris, atque observantiæ indicium veterum Christianorum in Martyrum λείψανα, quod secus eorum tumulos sepeliri honori sibi duxerint vel ipsi Imperatores. Sane id de Constantino Magno memoriæ prodidit Eusebius (78), eum scilicet Templum Apostolorum ingenti structura ædificasse, atque ut ibi medius inter duodecim Apostolorum conditoria componeretur, præcepisse. Hinc præclare more suo dixit Chrysostomus (79) id fuisse Imperatores in sepulcro Piscatorum, quod janitores sunt in Principum aulis. Atque id ab Imperatoribus primo usurpatum mox ceteris etiam Christianis eumdem sepulcri honorem ambientibus, ad quosvis pios homines manavit, uti apparet ex Maximo Taurinensi (80) qui præclare provisum dicit ab Majoribus fuisse, ut sancto-

 rum

(76) *Auctor Serm. IV. de Innocentibus*: Recte sub altario justorum animæ requiescunt, quia super Altare Corpus Domini offertur.... Convenienter igitur & quasi pro quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur.

(77) *Euseb. Lib. IV. Cap. XV.* Verum invidus ille, atque æmulus, & justorum generi semper infestus nequissimus dæmon ... operam dedit, ne corpus illius a nostris auferretur: tametsi multi inter nos essent, qui id agere magnopere cupiebant, & sacro illius cadaveri communicare.

(78) *Idem Lib. IV. de Vit. Constant. Cap. LX.* Ut post obitum suum particeps fieret orationum, quas ad honorandos Apostolos fideles ibi essent postea facturi. Duodecim igitur ibidem Apostolorum loculos, tamquam columnas sacras ad honorem, & memoriam Apostolorum Chori excitans, medium ipse sui corporis capsam constituit, & utrimque sex Apostolorum conditoria disposuit.

(79) *Chrysost. Hom. XXVI. in II. ad Corinth.* Ita quod sunt Imperatoribus in Palatio Janitores, hoc in sepulcro Piscatoribus sunt Imperatores: atque illi quidem velut loci Domini interiora tenent: hi vero tamquam externi, & vicini attributa sibi atriensi januæ contenti sunt.

(80) *Maximus Taurinensis Hom. de SS. Martyribus Tauricis inter Ambrosianas LXXVII.* Nam ideo hoc a majoribus provisum est, ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illos Christus illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes evadimus inferi tenebras, eorum propriis meritis, attamen consocii sanctitate.

rum offibus Chriſtianorum oſſa componantur, ut cum illos tartarus metuat, nos pœna non tangat. Auguſtinus etiam (81) Paulino roganti, an mortuo profit, ſi ejus corpus juxta Martyrum memorias ſepeliatur, reſpondet eſſe id aliquod mortuorum adjumentum, quum Fideles Martyrum memorias recolentes, eis amicorum, propinquorumque animas commendant.

XXXVI. Poſtremo ritus, quibus ipſas Reliquias venerabantur varii erant, quos nos, ut ne brevitatis obliti videamur, paucis compleſtemur. 1. Ergo Martyrum λείψανα deoſculabantur, neque id ſolum, ſed ad oculos etiam, ad aures, atque ad omnes ſenſus admovebant, teſte Nyſſeno (82): quem morem colendarum reliquiarum adhucdum Romana, atque Catholica ſervat Eccleſia, ſi quando eas Fidelium pietati exponit venerandas. 2. Si quibus pannis, aut ſudariis Martyrum oſſa contigerant, hæc etiam magni faciebant. Sic Gregorius Nazianzenus (83) teſtatur, Fideles S. Meletii Confeſſoris faciei ſudaria impoſuiſſe, eiſque pro phylacteriis uſos fuiſſe. Auguſtinus etiam tradit cæcum Mediolani curatum fuiſſe per ſudarium, quod Reliquias contigerat SS. Martyrum Gervaſii atque Protaſii. 3. Ad Martyrum ſepulcra cereos accendebant, quod nos etiam parte ſuperiori adnotavimus, quodque etiam perſpicue indicat Paulinus *Epigramm. de Reliquiis*, cujus eſt id diſtychum:

Ecce ſub accenſis altaribus oſſa piorum
Regia purpureo marmore cruſta tegit.

4. Eas thecis pretioſis incluſas ſecum circumgeſtabant, quod de ſe ipſo teſtatur Gaudentius Brixienſis Epiſcopus (84).

XXXVII. 5. Tandem ſanctis ſæpe Martyribus vota nuncupabant, ac ſiquidem ea rata fuiſſent, ad eorumdem Eccleſias ſuſpendebant. Hinc Paulinus Nolanus (85) cujuſdam meminit, qui S. Felici Nolano ſuem quum ſpopondiſſet, mox voti damnatus, illum probe ſaginatum ad Eccleſiam S. Martyris perduxit, mactavitque. Damaſum etiam Pontificem eidem S. Felici voviſſe teſtatur vetus Diſtychum:

Te duce ſervatus, mortis quod vincula rupi,
Verſibus his Damaſus ſupplex Tibi vota rependo.

Votorum etiam Beato Martino nuncupatorum meminit Gregorius Turonenſis. Lib.

(81) *Auguſt. Lib. de cura pro mortuis Cap. IV.* Quum itaque recolit animus, ubi ſepultum eſt Cariſſimi corpus, & occurrit locus nomine martyris venerabilis, eidem martyri animam dilectam commendat recordantis, & precantis affectus. Qui quum defunctis cariſſimis exhibetur, eum prodeſſe non dubium eſt iis, qui quum in corpore viverent, talia ibi poſt hanc vitam prodeſſe meruerunt.

(82) *Nyſſen. Orat. de S. Theodoro:* Nam ipſas attingere Reliquias, ſi quando aliqua ejuſmodi proſpera fortuna contingat, ut id facere liceat, quam optabile ſit, & ſummis votis expetitum munus, norunt quicumque ſunt experti: & hoc ſuo deſiderio potiti ſunt. Hi enim, tamquam vivum ipſum corpus & florens videntes oſculantur, & ad oculos, ad os, ad aures, ad omnes ſenſus admovent.

(83) *Gregorius Nazianz. Orat. de S. Meletio:* Populus ſudaria faciei ipſius (*Meletii*) impoſita diſcerpſit, ac pro phylacteriis aſſervavit.

(84) *Gaudentius Brixienſis in Tractatu XVII. de Dedicat. Baſilica SS. Quadraginta Martyrum:* Jam quid poſt iſtos decem (*Martyres, quos enumeraverat*) de quadraginta Martyribus dignum loquar, qui ſe itineri meo, quum per urbes Cappadociæ Hieruſalem pergerem, fideles comites præbere dignati ſunt?

(85) *Paulinus Nolanus Nat. XII.*

Venerat huc quidam placitum ſibi ſolvere votum,
Urbis Abellinæ de finibus advena noſtris
Ædibus Hic porcum ſtudio curante paratum
Dilatumque diu, ut ſimul annis, atque ſagina
Creſceret, huc illuc perduxerat, atque ubi venit
Pingue pecus, voti jugulat de more voventum.